

1917  
1918  
1919  
1920  
1921  
1922  
1923  
1924  
1925  
1926  
1927  
1928  
1929  
1930  
1931  
1932  
1933  
1934  
1935  
1936  
1937  
1938  
1939  
1940  
1941  
1942  
1943  
1944  
1945  
1946  
1947  
1948  
1949  
1950  
1951  
1952  
1953  
1954  
1955  
1956  
1957  
1958  
1959  
1960  
1961  
1962  
1963  
1964  
1965  
1966  
1967  
1968  
1969  
1970  
1971  
1972  
1973  
1974  
1975  
1976  
1977  
1978  
1979  
1980  
1981  
1982  
1983  
1984  
1985  
1986  
1987  
1988  
1989  
1990  
1991  
1992  
1993  
1994  
1995  
1996  
1997  
1998  
1999  
2000  
2001  
2002  
2003  
2004  
2005  
2006  
2007  
2008  
2009  
2010  
2011  
2012  
2013  
2014  
2015  
2016  
2017  
2018  
2019  
2020  
2021  
2022  
2023  
2024  
2025  
2026  
2027  
2028  
2029  
2030  
2031  
2032  
2033  
2034  
2035  
2036  
2037  
2038  
2039  
2040  
2041  
2042  
2043  
2044  
2045  
2046  
2047  
2048  
2049  
2050  
2051  
2052  
2053  
2054  
2055  
2056  
2057  
2058  
2059  
2060  
2061  
2062  
2063  
2064  
2065  
2066  
2067  
2068  
2069  
2070  
2071  
2072  
2073  
2074  
2075  
2076  
2077  
2078  
2079  
2080  
2081  
2082  
2083  
2084  
2085  
2086  
2087  
2088  
2089  
2090  
2091  
2092  
2093  
2094  
2095  
2096  
2097  
2098  
2099  
2100



1. Augmenter sa part son qu'on et son jugement: et il ne  
 pravoit pas d'être d'un grand difformité dans les  
 matières qu'il a écrites ces les plus considérables  
 de ses plus utiles et qui sont de plus par ne font pas  
 de ses remarques de grammaire et de mille propriétés.  
 et celle qui se trouve sur la matière est peut être ce qui  
 fait qu'il parait former un avis plus de force et d'élévation  
 d'esprit.

Entre les notes et les autres qui ont apparemment été  
 fait de. et c. et 2. et remarque que dans un mot fort peu  
 de regard sur ce qui par les notes pour juger les parties  
 différents et être peut être une ou son forme d'écriture  
 à un autre une forme de l'écriture de.

M. de la Roche et d'autres cités dans les annales  
 universelles de Gellius qu'on lit Rome. mais c'est dans  
 l'annuaire. En Gellius qui vivait vers l'an 620 de  
 J. C. et Rome et qui a été Comte de Carbon et de plusieurs  
 villes de Lat.



AVLI GELLII<sup>2 2</sup>  
NOCTES ATTICÆ,

SEU

VIGILIAE ATTICAE.

QUAS NVNC PRIMVM A MA-  
gno mendorum numero magnus vete-  
rum exemplarium numerus  
repurgavit.

HENRICI STEPHANI  
NOCTES ALIQVOT PARISIINAE,  
Atticis A. Gellij Noctibus seu Vi-  
gilijs inuigilatæ.

*Eiusdem H. Stephani Annotationes in alios Gellij  
locos prodibunt cum G. Carrionis (qui vet.  
exemplaria contulit) prelo inuicem traditis.*



PARISIIS.

M. D. LXXXV.

CVM PRIVILEGIO CAESA-  
RIS, ET GALLORVM REGIS,  
in decennium.





P. DELBENEO, REGIS  
ET REGINÆ MATRIS CON-  
siliario atque Eleemosynario, Ab-  
bati Duensi & Belleuillæo



ENEFICIUM dan-  
do accepit qui digno dedit,  
inquit celeberrimus ille mi-  
mographus, Laberius. Hu-  
ius ego consilium sequens,  
beneficium dando acceptu-  
rum me dico, quia digno à me datur.

Quis enim  
magis dignus est cui Auli Gellij editio dicetur,  
quàm is qui illum, id est illius lectionem, amat  
atque in pretio habet? & cuius (quod multo  
maius est) lectio alijs etiam utilitatem asserre  
aliquam potest: ita ut non sibi tantum, sed alijs  
quoque legere dici queat? Utilitatem enim illam  
cum alijs communicat qui in ijs quæ legendo  
obseruauit, Græcorum prouerbio obtemperat,  
& suis amicis ea secum esse communia, non so-  
lum vult, sed etiam letatur. Cuius tam propen-

se voluntatis fructum aliquem me propediem percepturum, ex eo spero, quod tibi exemplarium huius editionis unum subito compingendum curaueris, & eam in certis quibusdam locis cum aliis conferre velle dixeris. Hoc ego tibi de illa spondere possum, quam plurimos qui in aliis mendosi erant locos, eam mendo carentes tibi esse exhibituram: sed hoc de omnibus absit ut pollicear. Immo ut meis, ita & aliorum velut succenturiatis coniecturis locum relictum esse fateor, aduersus ea menda quae magnis veterum librorum copiis expugnari non potuerunt. Quod si & tibi (quod spero) succenturiari libuerit, faciam ut Noctium Auli Gellij studiosi sciant cui grates agere debeant. Nunquam enim debitam alij laudem mihi arrogauit: atque id multo minus in posterum quamuis plerique hoc aduersum me peccarint) facere statui.

Nunc autem mihi de hoc saltem gratulari licet, quod hanc Noctium Atticarum editionem digno (vti dixi) ac non ei dicaui, in quem illa ipsa iactari prouerbia possent, quae Gellius in eos iactat quos earum lectione arcet: haec inquam, Nihil cum fidibus graculo, Nihil cum amaracino sui. Contra vero euenturum erat istud, si hoc dignatus honore fuisset aliquem eorum quos Ludonicus Vines sua de his Nocti-



bus tam maledica quàm maleuola censura fascinauit: quorum è numero vnum, magni alioqui nominis virum, in aurem, quum voles, nominabo. O quid maleuolentia, quid vindictæ cupiditas non audet! Itâne Aulum Gellium, tatum virum, tam bene de omni fere literarum genere meritum, à Ludouico Viue, Hispano quidem illo, sed tamen (si Latine linguæ puritatem excipias) bene literato, tam male tractari? huc enim vsque vocabuli huius vsus extendi dico. Amabam Hispaniam (quatenus & quantum à verè Gallo amari Hispania potest) vel eo nomine quòd Ludouicum Viuem nobis dedisset: nunc odio eandem eo etiam ipso nomine prosequor.

Πολλάκι κ' ἔξυμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,  
Ὅστις ἀλιτράινει,

inquit Ascreus poeta: quòd si & istud quod dicam, aliquando contingit,

Πολλάκι κ' ἔδνος ξύμπαν κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,  
Ὅστις ἀλιτράινει,


magnum certè in periculum totam Hispaniam illa tam ἀμουσος Ludouici Viuis δρασυγκοχλωσία coniciet, si vnquam in Musarum vtriusque linguæ potestatem illa regio veniat.

At ego, quàm malè de Musis ille sua Notitium tam δ' μούσων accusatione ac vituperatione meritus est, tam bene de iisdem mereri cur

piens, defensionem seu apologiam scripsi, in qua, etiam quid ad accusandum vituperandumque hunc scriptorem illum stimulauerit, ostendi.

Quòd si plus otij nactus fuisssem, etiam encomium harum Noctium, eorum ingratis qui illi maledicæ Viuis censuræ aurem præbèt, scripturus eram. Et verò prima iam eius lineamenta habeo: quæ quum videbis, etiam si placeant, rogo tamen ut me primam huic tabulæ manum imposuisse, tibi sit satis, extremam quoque imponere, tuis precibus (quæ mihi  $\pi\epsilon\iota\sigma\alpha\rho\acute{\alpha}\gamma\chi\eta$  essent) non cogar. Vale. Parisiis, XIII.





PAVLO STEPHANO  
HENR. STEPHANVS



CCIPIES TANDEM

Paule quem saepe miratus es à me tibi denegari Gellium: quum me ætatis captusque tui rationem habere ignorares. Est enim alioqui scriptor eiusmodi, ut te in deliciis atque oblectamentis eum habere, paucisque alijs scriptoribus Latinis posthabere velim. tantum abest ut eius lectione fruedi potestatem si tibi differre, etiam auferre in animo habuerim. Verum, quum varia sint harum eius vigiliarum & lucubrationum argumenta, ex quibusdam earum locis degustandum tantummodo, in nonnullos propemodum ingurgitandum censeo. Hi autem sunt illi quibus aliquid tractatur non solum ad ingenij cultum faciens, verumetiam quod ex ijs est quæ Græci βιωφελῆν appellarent. Inter quæ non postremum certè Stoica quædam locum tenent: non cuiusmodi sunt Chrysippea vel Zenonia nonnulla, sed qualia Panætij & Epicteti pleraque.

Sed Stoicorum mentio tuas mihi in memoriam reuocat literas, ad quas minimè Stoicas ordine respondere libet. Primùm igitur, me tuis quaternis vnas tantùm reddidisse, aut miraris, aut mirari videris. Quasi verò hac in re paria cum filio facere debeat pater, & velut ἴσφ τῶ μέτρῳ (vt Hesiodi verbis vtar) ἀντεπισέλλειν, ac nō potius filius vel senis literis vnas patris redimere. Eas certè minimè mihi dubiū est quin cunctanter timidèque scripseris, quòd mihi κηκγγελοι futurae essent. Atque hoc tanquam præfagiens famulus, non eadem qua acceperat nocte, sed postridie tantùm mihi tradidit: quum alioqui mòrem meum nondum cognitum haberet, non nisi multo ante aut multo post somnum cibùmve literas quæ κηκγγελιας mihi suspectæ sunt legendi. Tum autem præsertim suspicio hæc & formido, sicut Terentiano seni ita & alijs oritur, quum totum annum & amplius domo abfuerunt. Sed pauca è multis ille Terentianus fenex enumerat, quum dicit,

*Quamobrem omnes, quum secunda res sunt maximè, tum maximè*

*Meditari secum oportet quo pacto aduersam arumnam ferant,*

*pericla, damna, exilia. peregre rediens semper cogitet*

*Aut filij peccatum, aut vxoris mortem, aut morbum filia.*

*Communia esse hæc, fieri posse: vt ne quid animo sit nouum.*

*Quicquid præter spem eueniat, omne id deputare esse  
in lucro.*

O quàm multa his adiici possunt, aduersus quæ Panætius quoque, cuius paulo antè memini, armare nos volens, dicit, vitam hominum qui ætatem in medio rerum agunt, ac sibi suisque esse vsui volunt, negotia periculæque ex improviso assidua & propè quotidiana ferre: ad ea autem cauenda atque declinanda perinde esse oportere animo semper prompto atque intento, vt sunt athletarum qui pancratiastæ dicuntur. nam sicut illi ad certandum vocati, proiectis altè brachijs consistunt, capûtque & os suum manibus oppositis quasi vallo præmuniunt: membræque eorum omnia, priusquã pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata: ita animum atque mentem viri prudentis aduersus vim & petulantias iniuriarum omni in loco atque in tempore prospicientem, debere esse erectam, arduam, septam solidè, expeditam, nunquam cõnientem, nusquam aciem suam flectentem, consilia cogitationésque contra fortunæ verbera contræque insidias iniquorû quasi brachia & manus protendentē: ne qua in re aduersa & repentina incurfio imparatis improtectis que nobis oboriatur. O quàm multa, inquã, ijs quæ à Terentiano Demiphone recēsentur, adiicere possunt ij qui & ætatem in medio rerum agût & procul diúque à suis absunt. Sed omnium hoc in genere & rarissimum & maximè inopinatum est quod primis tuæ epistolæ verbis

(quæ τὴν ἀπὸ Σκυθῶν εἴσιν habere dici possunt) mihi nuntiatur. Vide autem quæ huius fors fuerit. Quu n vix è manibus Gellium deposuisssem, vno quidem in loco scribētem, de terræmotus causâ ne inter ph'isicos quidem philosophos constituisse, & Romanos t cuiſſe, cui deo ſecuari oporteret quas ob eū indicebāt ferias: in altero autē, ex veteribus memorijs afferentē, fuiſſe nuntiatū aliquando ſenatuī, haſtas Martias mouiſſe, nō aliter quàm mouiſſe terrā nuntiarī ſolet: quū, inquā, Gellio hæc docenti vix valedixiſſem, ecce, mihi in manus illa tua epiſtola traditur, cuius prima parte, villā meam terræmotu quaſſitam eſſe ſcribis: & verò ita ſcribis, vt eodem terræmotu concuſſa tum tēporis mens tua fuiſſe videri poſſit. Quod in cauſa potiſſimum eſt cur tuas illos l'teras minimè Stoicas eſſe dixerim. Tuæ tamen hoc ætati nunc condono: ea lege, vt poſtquam firmata virum te fecerit ætas, tibi, tanquam Stoicorum omnium σωικωτάτω, tale nihil contingat: quin potius, ſi fractus illabatur orbis, impavidum feriant ruinae.

Sed nimium fortassis à te, & plus quàm ipſe poſſim præſtare, poſtulo. Hoc ſaltem mihi credito, nihilo magis illo tuo de terræmotu nuntio labefactatum mentis meæ ſtatum fuiſſe, quàm quum eandem villam à militibus direptam fuiſſe mihi apud Heluetios peregrinanti allatum eſt. Quinetiam quoniam hic terræmotus ipſam ſaltem turrim non quaſſauit, id (exemplo Terentiani ſenis) in lucro ponendum

cenfui. Nec paruo mihi folatio iftud fuit, quòd quantumcunque damni mea domus acceperit, minus tamen eo eft quod cæteræ acceperunt. Denique motus quidem repente fui, at non permotus.

Aliud quiddam, aliud eft, Paule, idque à te profectum, quod ægritudinem animo meo attulit. Pauli enim venam in Pauli verſibus defideraui: illam dico venam, quæ plerofque aliquando coegit ſuſpicari, meos aut præceptoris tui verſus nomen tuum mentiri. Verùm, ſi bene te noui (cui autem eſſe notior debes?) ſtatim veniam precans, mœrore quem mea tibi affert abſentia venam illam magna ex parte arefactam eſſe quereris, & tam longum mei quo angeris deſiderium facere dices vt meum Paulum in meo Paulo deſiderem.

Quo ſe cunque modo res habeat, ego πατε-  
κόν π πάχων, paruum & non me ſolùm ſed te etiam indignum munus tuum magno remuneror. Eum enim patrem qui filio ſuo literarium ingenij cultum, eúmque varium, procurare velit è ſcriptore Latino qui recentes inter numerari nõ poſſit, nullũ inuenturũ eſſe dico, è cuius non maiorẽ paginarũ numerũ habente libro, ei plus adiumenti afferre queat. Quis autem parens, non ἀφιλοσόργως ἔχων, eam curam libentiſſimè auidiſſimèque non ſuſcipiat? in eam dies noctésque non incumbat? Filio enim propenſam omnium voluntatem, perpetuam inter omnes nominis celebritatem, diuitias denique illas quę ſolę, vt ſunt, ita etiam vocan-

tur ἀνασῆσαι, procurare dici potest, qui ut ingenium eius modis omnibus excolatur, modis omnibus prouidet. Videmus quàm Gellius ipse, vir quidem (ut opinor) probus, sed tamen ethnicus, de liberis suis hac in parte sit sollicitus: eum illis ipsis propemodum vtem verbis audimus: quanto magis hæ sunt illorum parentum partes qui nomen Christianismo in sacro-sancto baptisinate dederunt? Sed vix tamen vllius inter Christianos magis quàm meæ. quid enim ad præclaram tui institutionem requiri potest, quod à me non expectetur? Atque adeo quid non à te etiam ipso iam expectari putas? Scit enim tota propemodum Europa quam tibi viam non solùm pater, sed ipse quoque auus, Robertus Stephanus, monstrarit, quam vterque viam tibi velut præcalcarit. Quantum vndique beneuolentiæ, quantum laudis & gloriæ tibi cõparabis, si vestigijs illorum insistas, tantum maleuolentiæ, vel potius odij, tantum ignominia tibi conflabis, si eorum vestigia relinquant: si, non dico ab ijs te auertas, sed vel diuertas. Ac eo certè magis reprehensionem mereberis quòd firmo sis habitu corporis ac propemodum athletico, & qui tibi firmã & in posterũ valetudinẽ (modò eam intemperantia non corrumpas) spondet. Me certè, quum mediocri tantum corporis firmitate essem, varijs tamen longorum itinerum laboribus, iisq; quas literarum studia poscunt vigilijs, necnon curis atque oneribus typographicis (dum paternam in paterna



diligentia gloriam æmulor) suffecisse vides: te ergo *ἕως δ' ὀσώματος ὄντα* quinam labores typographici terrere ita possunt, vt ab incepto deterrearis?

Enimuero de isto corporis tui vigore & robore cogitare nō possum, quin veniat in mentem mihi quidam Gellij nostri locus, quē volo & iubeo omnium primum legas. Is enim est in quo mulieribus suadetur (Fauorini philosophi verbis, ab ipso Gellio Latinitate donatis) vt totæ integræ sint liberorum suorum mères, minimeque nutritionis munus, tanquam nimis laboriosum, reformidēt ac refugiant. Illas enim alioqui futuras esse, contra naturam, imperfectum atque dimidiatū matrum genus, si, quod pepererint, statim à sese abiecerint: si in vtero quidē aluerint sanguine suo nescio quid, quod non videret: postea autem alere suo lacte nolint quod videat, quod viuat, quod iam homo vocari possit, quod iam matris officia impleret. Cum iis autem quæ à Fauorino dicuntur, mères eas quæ infantes suos lacte suo non nutriunt, non totas integras mères, sed imperfectum atque dimidiatum matrum genus appellante: cum iis (inquam) bellè congruit Gallie sermonis consuetudo, in hac præsertim vrbe & quibusdā vicinis, vt nutriçes vocentur *mères-nourrices*: quasi dicamus *matres-nutrices*. Non dubito equidem quin Fauorinus, si Græca lingua tale quid habuisset, hoc etiam argumento suum illud dictum cōfirmaturus fuerit: sed habet certè aliquid & sermo ille quod eò perti-

net. Nam si *μητέρα* Græci non minus quàm *πατέρα* ( etsi hoc vsitatius est ) vocauerunt patriam, quasi hæc quoque matris nomen suo quodam iure sibi vendicet: quanto iustius ea mulier quæ primà primum alimētum venienti in luminis oras suppeditat, si non *μήτηρ*, saltem *μητρὶς* vocabitur?

Sed, ne te diutius suspensum teneam, cogitantem cur ego ab illa tuæ *εὐεξίας* mentione in hunc sermonem venerim ( quod te mirari non miror ) recordare, matrem tuam, clarissimam fœminam, in te vno hoc nutritionis officio functam esse: functuram certè & in aliis liberis, nisi ego illius maiorem, quàm ipsamet fui, rationem habuisssem. Recordare, illam sæpe mihi dixisse, quum te solum ex suis liberis tam vegeto & robusto corpore esse videret, Cur tu, mi vir, nõ me passus es in aliis quoque liberis matris officium præstare? Quum ego vires illius laboribus eiusmodi impares esse respõderem: impares certè illis & in nutriendo Paulo erant (aiebat) sed quod vltra vires meas in illius nutritione præstiti, viribus illius, miro Dei beneficio, accreuit. Verùm, quid ego illius nutritionem commemoro, quam ab eadem accepisti educationem taceo? Si non paruæ felicitatis loco ponitur, matre natū esse quæ quum titulis auorum generosa esset ( vt verbis Nasonianis vtar ) animi nobilitate genus exuperabat: quanta tibi felicitatis illius accessio hæc est, quòd totius pueritiæ tuæ eandem illam habere educatricem contigit? Nam Fauorinus, in

fœminæ labris Pitho (quam Suadam & Suadelam quidam ex Latinis vocarunt) residere dicenda est, si eius in labris non resedit? Vel ipse certè vultus, tam serenus semper, nec minus quàm sermo, benignus, aliquas persuadèdi partes agebat. Hinc factum est vt à te & sororibus ea sæpe verbis impetrarit quæ aliæ pleræque matres à suis ne verberibus quidem obtinere queunt. Atque vtinam, Paule, recordari sermonum eius posses. quædã enim materna & φίλοσοφία philtra nunc in illis degustares, quæ tum per ætatem ne subodorari quidem poteras, quum tamen suam in te vim exererent. Nouis loquendi generibus de noua quadam fœminæ præstantia vt cogor, quum alioqui mihi desint verba laudare illam volèti. Quod etiam in causa fuit cur ego, qui alias plerasque epitaphiis ornavi, nullum in eam trium spatium annorum, & amplius, scripserim. Sed ecce, dum eam tibi qualibuscunque possum verborum coloribus depingere conor (nam ita posse nos loqui, ex hoc nostro Gellio disces) mihi quatuor epitaphij versus in mentem venerunt.

HVIC PVDOR ET CANDOR FAMA  
 VICERE FIDEM QVE.

HVIC QVÆ TRES CHARITAS  
 GRATIA VICIT, ERAT.

HVIC SEXVM VICIT PRVDENTIA,  
 VICIT ET ANNOS:

HVIC VICTVM EST MORVM NO-  
 BILITATE GENVS.

Quantacunque tamen fuerit matris tuæ præ-

tudo non parum auxisset, necnon in obseruanda honestissima harum familiarum disciplina diligens fuisset : quid eorum quæ ad rectè formando vel regij alicuius pueri mores pertinent, ignorasse credendum est ? Aut quid tandem eorum quæ ad aliorum institutionem requiruntur, suo ipsa exemplo facillè docere non poterat (quod quidem boni exempli esset) cuius in grauitate modestia, & mirè placens omnibus affabilitas : in cuius frugalitate liberalitas, & in liberalitate frugalitas ( nisi quum afflictis dextra porrigenda, subleuandaque inopia erat ) in cuius facilitate prudens cautio, in cuius denique hilaritate & iocis aliquid serij cernebatur ? Quòd si virtus res est docibilis, vel (vt Græco tutius vtar verbo) *εὐδιδασκτὸν ἢ ἀρετὴ* . (sicut plerique philosophi censuerunt) & quidem ab eo etiam *διδασκτὸν*, cui soluendum est *τὸ διδασκτὸν*, quum nullo propinquitatis vel amicitiae vinculo iunctus sit ei quem docet: quanto magis à patre vel matre doceri posse, quãto altiores huius vel illius doctrinam agere radices existimamus ? Quamobrem, etiamsi hac in parte *μητροδιδασκτος* tantùm (quod cognomen Aristippum iuniorem habuisse legimus) non etiam *πατροδιδασκτος* esses, & materna monita præceptaque fideli mente condita tenere velles, satis superque tamen, eorundem philosophorum iudicio, ad virtutem instructus esse posses: & sicut ad eam te abundè instrui contigisset, ita etiam te ea al quando tandem instructum videndi magna spes esset. In cuius enim

foeminae

tarit, audi rem oppido quam dignam quæ inter illius familiæ memorias ( vt Gelliano vtar vocabulo) referatur. Fuit tempus quum auus tuus, Robertus Stephanus, decemuiratum quædam literarium domi haberet, eumque, vt παντεςθη, ita etiam πάλλωσον. nam vt ex omnibus nationibus conflatus, ita etiam omnium linguarum erat. Decem hi partim literati partim literatissimi viri, quorum quidam correctorio munere fungebantur ( iique præsertim qui epigrammata postremæ eius editioni Thesauri Latini præfixerunt) quum sicut ex diuersis oriundi erant gentibus, sic etiam diuersum sermonem vernaculum haberent, lingua Latina, tanquam cõmuni interprete, inter se vtebãtur. Ac quum ex his decem modò hos modò illos famuli pariter & famulæ de rebus quas ipsi ipsæque vel nouerant vel saltem coniectare poterant, colloquẽtes, quinetiam in mensa quotidie cum de aliis, tum verò de iis quorum illa solet argumentum suggerere, sermonem habentes audirent, ita suas paulatim aures verbis illorum assuefaciebant, vt non solùm pleraque eorũ quæ dicebant intelligere, sed quædam etiam eloqui valerent. Iam verò & hoc totam familiam Latinitati assuefaciebat, quòd ego, fraterque meus, Robertus Stephanus, non alia quàm Latina apud patrem vel quempiam ex illis decemuiris vti lingua auderemus, ex quo iactis primis fundamētis balbutire in ea cœperamus.

Quorsum verò hæc omnia? vt ostendam, ignorantiam, quæ in aliis plerisque familiis

stantia , ad mores tantum pertinuisse quæ tibi monita præceptaque dedit, inficiari nolo : verum si de domesticis ad studia quoque literarum incitamentis dicendum est, hinc certè potes ire per exempla ( Nasonis sermone vtor ) non tantum auita, sed etiam proauita : vt paternum taceam, quod tamen vel vnum , esse omnium instar posse, plurimi fortasse iudicarent. De aui quidem certè tui Roberti Stephani familia, non desunt qui testari possint, se in ea quod alia in nulla , ad rem literariam quod attinet, vidisse : ipsas etiã famulas magnam Latinarum vocum partem intelligentes, multa etiam (sed quasdam deprauatè) loquentes. Auix autè tuæ, eorum quæ Latinè dicebantur ( nisi rarius ali-quod vocabulum intermiseretur) haud multo difficilior erat intellectus quàm si dicta sermone Gallico fuissent. Quid de superstite sorore mea, amita autè tua, nomine Katharina, dicam? Illa quoque eorum quæ Latinè dicuntur interpretem non desiderat. multa verò & ipsa eodem loqui sermone potest, & quidem ita (licet nonnunquam impingat) vt ab omnibus intelligatur. Vnde illi hæc Latinæ linguæ cognitio? Artem certè grammaticam haud magistrã habuit, nec alius illi hac in re quàm vsus, præiuit. eodem enim modo Latinam linguam didicit, quo inter Gallos Gallica, inter Italos Italica, inter alios alia disci solet.

Et quoniam hunc in sermonem incidi, vt scias quam facultatem discendi linguam illam familia quæ mihi paterna, tibi auita est, suppedi-

dum tibi est vt diæta quam *λεπτήν* Græci vocant vtaris:quò tua *δισαρκία* & *πολυσαρκία* incrementum saltem non capiat. Si enim eo victu vtaris qui te magis ac magis possit *κατασαρκωῖ*, meritò tibi aliquis Pythagoræ verbis dixerit, Non desines molestiorem tibi carcerem efficere? Nam hoc dictum in eum præsertim iactari potest, qui excolendo ingenio simulque saginãdo corpori dare vult operam. Siquidem quum omnibus hominibus corpus sit animi quidam carcer, iis certè est potissimũ, qui animum ad studia literarum appellunt. Sed plerique tamen tantam huius carceris curam gerunt, vt interim inclusum eo animũ negligãt: idẽmque quod illi faciant qui de instrumentis alicuius artis valde sunt solliciti, ipsam autem aspernãtur. Fuerunt tamen & philosophi, præter eos quos *ιδονικοῖς* vocarunt, etiam alij qui hac in parte peccarunt. quorũ è numero quendam Platonicum tibi Gellius noster proferet, qui omnes ad bibendum hortabatur: idque se facere ex decreto Platonis prædicabat: tãquam Plato in libris quos de legibus composuit, laudes ebrietatis copiosissimè scripisset, vtilẽmq; esse eam bonis ac fortibus viris cẽsuisset. Ac simul inter eiusmodi orationẽ (inquit) crebris & ingentibus poculis omne ingenium ingurgitabat: fomitem esse quendam dicens & incitabulum ingenij virtutisque, si mens & corpus hominis vino flagraret. Postea autem, quantum illo Platonis loco abuteretur ostendit.

Verũm hĩc obserua obiter quã eleganter

turpis tantum dici potest, in mea habitum iri propemodum piacularem. Te verò non satis est ignorantia morbo non laborare, sed, si expectationi quam sustines satisfacere, speique de te conceptæ vis respondere, multo quam unquam alacrius simul & acrius studiis literarum incumbendum tibi est: & ita quidem ut quum varia sit harum Gellij Noctium doctrina, variam si non nunc, at certè aliquando tandem exercitationem ad earum lectionem afferas: præfertimque ad philosophicas quæ hîc sunt quaestiones ita præparatus accedas, ut in nulla philosophiæ parte argutiari fuligo ob oculos tibi iaciatur. Hoc si non præstiteris, quis veniæ relictus erit locus? quum enim tibi nihil defuerit, ipse tibi defuisse diceris. Nam ut de cæteris taceam quæ optima ad eruditionem tendentibus *εὐόδια* sunt, tantum abest ut tibi desit valetudo (quam parentes liberis subministrare nequeunt) ut etiam supersit: quum non solum valere sed propemodum athleticè valere (Plautinè loquendo) dici possis. Alij igitur patri quod valetudini filij deest, metum incutit: me autem quod tuæ superest, securum esse non finit. Nec verò vnicus, sed duplex mihi timor suboritur, quum te non solum *εὐνοματέιν*, sed etiam *σφοδρῶν* considero: vnus, ne mutata subito voluntate, à Musarum castris ad Martia, aut etiam athletica (còtra quam fecisse Euripidem Gellius tibi narrabit) transfugas: alter, ne hæc *εὐδελον δεξία*, ipsi etiam Hippocrati suspecta, in malum aliquod erumpat. Quamobrem vidē-



huiusmodi non minus cibi quàm potus gurgites, in quos Lucianus acriter inuehitur. Nec verò illius philosophi à me facta mentio fuit, quòd à te simile quidquam peccetur (contrà enim, qui se potu vel cibo ingurgitant, tam firma quàm es valetudine, esse non possunt) sed quòd in eum aliòsque huiusmodi illud Pythagoræ dictum conueniret.

Enimuero in Platonis mentione commodùm mentem meam subiit quiddam quod de eo fertur, & ad eum in quo versabar sermonem pertinet. Aiunt enim, eum Academiam, Atticæ insalubrem locum, consultò elegisse, vt in suorum quibusdam nimium bonam corporis habitudinem, velut luxuriantem, coerceret atque reprimeret: siue, vt nescio quis scriptor Græcus verbis aptissimis dixit, *Ὅπως θεϊκόητοι πτωῶν ἀγαν εὐπάθειαν*. Atque hanc nimiam εὐπάθειαν luxuriei vitis comparans, addit, *οἶον ἀμπέλου τιῶς εἰς τὰ περιττὰ φορὰν*. Nunquam tamen Plato nec Platonius quisquam suum hac in re consiliùm mihi probauerit. Nulli igitur hoc suaferim, nedum tibi. philosophari enim pulchrum est, sed tanto periculo τὰ φιλοσοφήματα redimere, id verò pulchrum non est. ideòque meritò aliquis Platoni responderit,

*Non tamen hoc tanti est, ager vt esse velim.*  
quemadmodum à Nasone dicitur,

*Non tamen hoc tanti est, pauper vt esse velis.*  
Te itaque, *παντὸς τοῦ αἰσίου*, loca insalubria, etiam si fuerint *παντοδαπῶν φιλοσοφημάτων* plena, fugere, in saluberrima quæque semper te recipere,

simul & significanter à Gellio dictum sit, Crebris & ingentibus poculis omne ingenium ingurgitare. Vix fortasse aliud loquendi genus in tota reperiri Latinitate posset, quo res hæc aptius exprimeretur. Simul tamen animaduertere, quod & in aliis plerisque locis animaduerendum tibi erit, Gellianas elegantias plerunque aliquid nouitatis habere. Qui enim ingenium poculis ingurgitare dicitur, perinde est ac si ingenium in pocula tanquam in gurgitem queмпiam & voraginem proiicere diceretur: at quum aliquem poculis aut cibus se ingurgitare audimus, eum ex ventre suo gurgitẽ quendam facere intelligimus. Quamquam & in alia verba hoc loquendi genus resolui potest.

Libet verò & memoriæ hîc tuæ periculum facere: vel potius, quoniam à te absum, volo, quàm tibi ea fidelis sit, ipse experiaris. Age igitur, cogita annon apud quempiam ex poetis Latinis aliquid non minus grauiter quàm scitè de homine ita ingenium ingurgitante dictum legeris. Quinetiam, vt memoriæ tuæ adminiculer, addo, ex celebrioribus poetis vnum esse. Si tibi in mentem non venerit, certè vbi dixerò, te non potuisse eius recordari subpudebit. Scito igitur me illum Horatij locum *αὐτὴν ἄσπερον*, in quo talem hominẽ diuinæ auræ particulam humo affigere (seu affligere) dicit. Eum autem ex Platone pulcherrimam hæc animi periphrasin mutuatũ esse, mea Schediasmata te docebũt.

Missum facio illum philosophi nomine indignum philosophum, missos etiam alios hu-

alij malunt) illum offendissem, sui promissi admonui, & me hanc in urbem postridie profecturum dixi. Quum ille se memorem à me mōneri, & se quoque paucis pōst diebus idem iter ingressurum respondisset: ita inter nos conuenit, vt simulatque hanc in urbem aduenisset, verba in rem conferremus. Aduenit: alloquor: locos ex veteribus libris in vtroque scriptore emendatos video: & suas in vtrumque Notas, simulatque ad finem perducta impressio fuerit, pollicetur. Nec longo pōst tempore Auli Gellij Noctes prelo committuntur.

Sed quum ille initio mihi hoc assensus esset, vt quę in superioris temporis editionibus tolerabiles lectiones erāt non mutaret, verūm de iis quę earum loco in veteribus libris extarēt, admonere in suis Notis contentus esset: mutato tamen (nescio qua de causa) consilio, illas etiam mutandi libertatem sibi cōcessit. Atque hinc factum est vt in quibusdam locis à recepta scriptura, contrā quā vellem, discessum sit. Prima autem controuersia de quodam loco fuit quo caput septimum libri primi finitur. Quum enim ibi obseruari à nobis velit, Ciceronem hoc in loco, *Testis est Sicilia: quam multis vndique cinctam periculis, non terrore belli, sed consilij celeritate explicauit: non explicuit, sed explicauit* dixisse, certo cōsilio, quòd numerosam esse orationem vellet: in iis quę hanc præcesserunt editionibus, hæc verba illi Ciceronis loco subiuncta leguntur, *at si EXPLICIT diceret, imperfecto & debili numero verborum sonus claudere-*

ideoque vilę mee, licet terremotu quassatā esse scribas, ἐμφιλοχωρεῖν, ac potius κεκολασμένην ἢ πινὴ διαίτην tuam illam nimiam & velut luxuriantem corporis ἀπάθειαν reprimere iubeo.

Sed nec de somno tacebo. Somnum enim ex iis esse quę sagineant & pinguefaciunt (quum tibi contrariis opus sit) etiam poeta ille testatur, qui dicit, -- *pingues exige somnos.*

Testatur & Naso, quum de vigiliis contrā scribit,

*Attenuant iuuenum vigilata corpora noctes.*

Te igitur non minus somni quàm cibi parcum esse (licet illud isti tuę ætati multo quàm hoc sit difficilius) iubeo.

VENIO ad hanc Gellij editionem: quoniam te à multis de ea interrogatum iri prævidens, cur tamdiu expectata fuerit, ex quo commisso prelo fuit, scire cupientibus. Audi igitur. Quum ego Auli Gellij & Macrobij editiones publicè promississem, iis quos habebam veteribus libris confusus: aliorum præterea auxilio opus mihi fore, & quidem ad Aulum Gellium præsertim quod attinet, tandem cognoui. optimum enim esse meum illud exemplar, sed multa ei deesse comperi. Quum igitur recordarer Ludouicum Carrionem iam ante quatuor annos hac in vrbe mihi dixisse, multos se veteres libros vtriusque horum scriptorum cum excusis contulisse, quinetiam quas ex illa collatione haberet emendationes mihi obtulisse: anno autem superiore Aureliis (sive Aurelianis, vt

illarum Notarum folia (ita vocamus quod sexdecim pagellas continet) ab eo vix extorqueri potuerint. Quum igitur tantam cunctationem ferre amplius non possem, & Notis illis, quarum præcipuum munus est, nomina librorum veterum vnde singulæ quas ista editio affert emendationes petita sunt, recensere, Gellium carere posse animaduertentem: eum absque illa manuscriptorum recensione manumittendum esse iudicavi, atque adeo manumisi.

Sed quum me puderet illum ita edere ut nulla nova commentatione adiutus in publicum prodiret, præsertim quum multi Notas illas ab hac editione expectarent: aliquid noui de meo saltè illi dare libuit. Quod præstare ut possem, noctes aliquot vigilare necesse habui: quum Fræcfordiensium nundinarum tēpus, ad quas mittere Gellium simul & Macrobiū cupiebam, instaret. Meæ igitur illæ in Gellium Noctes, qualescunque sunt, ex re nomen habent: & venia, vbi quid peccarunt, dignæ sunt. noctibus enim somnū obrepere *συνηνωσόν ἐστι.*


Ideo autem magno desiderio has editiones ad Francfordienses nundinas mittēdi tenebar, quòd à plerisque literatis Germaniæ viris, (ut & ipse nosti) tanquam lumine cassus lugear: quòd à longo iam tempore nihil quod ex officina mea prodiret viderint. Duobus enim modis gratificaturum me illis existimaui, & mœrorem eorum lætitia commutando, & simul eorum bibliothecas noua supellectile instruendo. De Germanis enim si bene mereri


non cupiam, ingratus profecto sim, quum multorum non solum humanitatem sed liberalitatem quoque sim expertus: & quum etiam (quod aliis in regionibus inauditum esse puto) in vnus eorum hæredibus velut hæreditario quodam iure illud liberalitatis erga me studium manserit. Vbi enim Thomæ Redingeri hæredes illum in me ob dicatos sibi libros liberalem fuisse, futurum etiam, si mors eum non præuenisset, intellexerunt, pulcherrimum munus ad me, vix de nomine sibi notum, ab ipsa Vralislauia vsque, vltro miserunt, tanquam Redingeri manibus gratificantes.

At Germani tamen (dicet aliquis) sicut & Galli atque Itali, Græcorum scriptorum editiones auidius à te expectant. Verum ille ex hoc audiat, nullius Græci scriptoris editionem, me quidem certè dignam, posse itidem ex aliena officina, me procurante tantummodo, proficisci, sed meam sicut operam, ita & officinam requirere. Quinetiam de hoc à te certiores fieri amicos velim, me, quicquid otij ab editionis Gellianæ & Macrobianæ procuratione (si ita loquendum est) & à negotiis quæ aulica vel saltem semiaulica vita affert, suffurari potui, in ea contulisse quæ ad præparandas aliquot Græcorum scriptorum ἐκδόσεις pertinent. Ex eorum autem numero sunt DIONYSIVS HALICARNASSEVS & POLYBIVS, quibus meam dilationem multa commoda allaturam esse spero. Sed in ARISTOTELIS præsertim editionem omnia vndique auxilia,

pro eo ac debui, diligēter conquīsiui, & etiam  
 nunc πάντα ἀνιχνύων καὶ διερευνώμενος καὶ σκελεπού-  
 μενος διατελώ. Illud enim verbum aui tui Ro-  
 berti Stephani semper in memoriam recurrit,  
 de libris quorum editionem procrastinabat,  
 Sat citò, si fat bene. Sed me alius interim typo-  
 graphus præueniet. Immo verò me ab illis  
 præueniri nego, quorum editionem mea, quo-  
 ties libuerit, multis à tergo passibus relin-  
 quet. Cuius rei vel in Pausania documentum  
 dare possum.

Verùm, ad Gellium & Macrobiū vt reuer-  
 tar, eorum tibi lectionem nunc ita commen-  
 do ( Gellij tamen potissimum) vt proximis li-  
 teris tuis noui ex iis profectus in signe aliquod  
 δῶγμα expectem. Vale. Parisiis, x. CAL.  
 A P R.











A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Quali proportione quibúsq; collectionibus Plutarchus ratiocinatum esse Pythagoram philosophum dixerit, de comprehensio-  
poris proceritate, qua fuit Hercules, cum tam inter homines viueret.



**P**LUTARCHVS, in libro quem scribit, ὁπόσον ἔτυχεν ἢ σωματικῶν ἀνθρώπων καὶ ἐδουλιαν καὶ ἀετλῶν διαφορά, scite subtiliterq; ratiocinatum Pythagoram philosophum dicit, in reperienda modulandáq; status longitudinisq; eius præstantia. nam cum ferè cōstaret, curriculum stadij, quod est Pisa ad Iouis Olympij, Herculem pedibus suis metatum; idque fecisse longum pedes sexcentos; cetera quoque stadia in terra Græcia, ab aliis postea instituta, pedum quidem esse numero sexcentum, sed tamen aliquantulum breuiora: facile intellexit, modum spatiumque planta Herculis, ratione proportionis habita, tanto fuisse quàm aliorum procerius, quanto Olympicum stadium longius esset quàm cetera. Cōprehensa autem mensura Herculanis pedis, quãtã longinquitas corporis ei mensura conueniret, secundum naturalem membrorum omnium inter se competentiam, modificatus est: atque ita id collegit, quod erat consequens; tanto fuisse Herculem corpore excelsoiorem quàm alios; quãto Olympicum stadium ceteris pari numero factis antèiret:

## CAPVT II.

Ab Herode Attico c. v. tempestiuè depromta in quendam iactabundum & gloriosum adolescentem specie tantùm philosophiæ sectatorem verba Epicteti Stoici, quibus festiuiter à vero Stoico seiunxit vulgus loquacium nebulonum, qui se Stoicos nuncuparent.

**H**erodes Atticus, vir & Græca facundia & consulari honore præditus, arcessēbat sæpe nos, cum apud magistros Athenis essemus, in villas ei vrbi proximas, me & Cl. V. Seruilianum, complurisque alios nostrates, qui Roma in Græciam ad capiendum ingenij cultum concesserant. Atque ibi tunc, cum essemus apud eum in villa, cui nomen est Cephisia, & astu anni & sidere autumnii flagrantissimo, propulsabamus caloris incommoda lucorum umbra ingentium, longis ambulacris & mollibus adium posticum refrigerantibus, lauacris nitidis & abundantibus & collucentibus, totiusque villæ venustate aquis undique canoris atque auibus personante. Erat ibidem nobiscum simul adolescens philosophiæ sectator, disciplinæ, ut ipse dicebat, Stoicæ, sed loquacior impendio & promptior. is plerunque in conuiuio, sermonibus, qui post epulas haberi solent, multa atque immodica de philosophiæ doctrinis intempestiuè atque insubidè differebat, præque se vno ceteros omnis linguæ Atticæ principes gentemque omnem togatam, totumque nomen Latinum, rudes esse & agrestes prædicabat: atque interea vocabulis haud faciliè cognitis, syllogismorum captionumque dialecticarum laqueis strepebat, κρυπτῶν τὰς σαζούσας θεωρίας, aliòsque id genus griphos neminem posse dicens nisi se dissoluere: rem verò ethicam, naturamque humani ingenij, virtutumque ori-

gines, officiaque earum confinitima aut contraria, morborum vitiorumque fraudes animorumque labes ac pestilentias, asseuerabat nulli esse magis ea omnia explorata, comperta, meditataque quam sibi. cruciatibus autem doloribusque corporis & periculis mortem minitantibus habitum statumque vita beata, quem se esse adeptum putabat, neque ladi neque imminui existimabat; ac ne oris quoque & vultus serenitatem Stoici hominis unquam vlla posse agitudine obnubilari. Has ille inanis cum flaret glorias, iamque omnes finem cuperent, verbisque eius defetigati pertadussent: tum Herodes Græca, ut huius plurimus mos fuit, oratione utēs, Permite, inquit, philosophorū amplissime, quoniā respondere nos tibi non quimus, quos idiotas & rudes vocas, recitari ex libro, quid de huiusmodi magniloquentia vestra senserit dixeritque Epictetus Stoicorum vel maximus. iussitq. proferri dissertationū Epicteti digestarum ab Arriano secundum librum: in quo ille venerandus senex iuuenes, qui se Stoicos appellabant, neque frugis neque opera proba, se in theorematibus tantum nugalibus & puerilium isagogarum commentationibus oblectantes, obiurgatione iusta incessit. Lecta igitur sunt ex libro, qui prolatus est, ea quæ addidit. Quibus verbis Epictetus seuerè simul ac festiuiter seiunxit atque diuisit à vero atque sincero Stoico, qui esset proculdubio ἀλώπτος, ἀνεκβίαιος & ἀπαρεμπόδιτος, ἐλάδεις & δ' ἄπορος, δ' δαίμων, vulgus aliud nebulonum hominum, qui se Stoicos nuncuparent; atraque verborum & argutiarum fuligine ob oculos audientium iacta sanctissima disciplina nomen ementirentur.

Εἰπέ μοι περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν. Ἀκουε.

Ἰλιόθεν μὲ φέρων ἀνεμος Κικόνεοσι πέλασεν.

Τῶν ὄντων τὰ μὲν εἶναι ἀγαθὰ, τὰ δὲ κακὰ, τὰ δὲ ἀδιάφορα. ἀγαθὰ μὲν οὖν αἱ ἀρεταὶ καὶ τὰ μετέχοντα αὐτῶν.

κακὰ δὲ, κακίαι, καὶ τὰ μετέχοντα κακίας. ἀδιάρροα δὲ, τὰ μεταξὺ τούτων, πλῆθος, ὑγίεια, ζωὴ, θάνατος, ἡδονή, πό-  
 νος. πόθεν οἶδας; ὅπως Ἑλλάνικος λέγει ἐν τοῖς Αἰγυπτια-  
 κοῖς. τί γὰρ διαφέρει τοῦτο εἰπεῖν, ἢ ὅτι Διογένης ἐν τῇ ἡδι-  
 κῇ, ἢ Χρύσιππος, ἢ Κλεάνθης; βεβασάνικας οὖν αὐτὸ, καὶ  
 δόγμα σεαυτοῦ πεποίησαι. δείκνυε πῶς εἶπας ἐν πλοῖφ  
 χεῖμα ἕξαι. μέμνησαι ταύτης τῆς διαρέσεως, ὅταν φερό-  
 ση τὸ ἴσιον. καὶ ἀνακραυγάζασάντι σοι ἔάν τις κακόχολος  
 παρασῆ εἴπῃ, λέγε μοι σὺ τοὺς θεούς, ἀ πρώτῳ ἔλεγες,  
 μὴ κακία ὅτι τὸ ναυαγῆσαι; μὴ τι κακίας μετέχον; οὐκ  
 ἀρα ἕξλον ἐνσείσεις αὐτῶ; τί ἡμῖν καὶ σοι ἀνθρώποις ἀπολ-  
 λύμεθα, καὶ σὺ θέλων παίζεις. ἀν δὲ σε ὁ Καῖσαρ μετα-  
 πέμφηται κατηγροῦ μόνον, μέμνησαι τῆς διαρέσεως. ἀν  
 τις σοὶ εἰσόνῃ καὶ ὠχρίωντι ἄμα καὶ τρέμοντι. προσελθὼν  
 εἴπῃ, τί τρέμεις ἀνθρώποις; πῶς τίνων σοὶ ὅτι ὁ λόγος; μή τι  
 ἔσω ὁ Καῖσαρ ἀρετῶν καὶ κακίαν τοῖς εἰσερχομένοις δίδωσι;  
 τί μοι ἐμπαίζεις καὶ σὺ πρὸς τοῖς ἐμοῖς κακοῖς; ὁμῶς φιλό-  
 σοφε εἶπέ μοι, τί τρέμεις; οὐχὶ θάνατός ὅτι τὸ κινδυνώο-  
 μνον, ἢ δεσποτήριον, ἢ πόντος τῶ σώματος, ἢ φυγῆ, ἢ ἀδο-  
 ξία; τί γὰρ ἄλλο; μή τι κακία; μή τι μετέχον κακίας; σὺ  
 οὖν τίνα ταῦτα ἔλεγες; τί ἐμοὶ καὶ σοὶ ἀνθρώποις; ἀρκεῖ ἐ-  
 μοὶ τὰ ἐμὰ κακὰ, καὶ χαλῶς λέγεις. ἀρκεῖ γὰρ σοὶ τὰ σὰ κα-  
 κὰ, ἢ ἀγέννησια, ἢ δειλία, ἢ ἀλαζονεία, ἢ ἀλαζονδία ἐν τῇ  
 σχολῇ καθήκοντος. τί τοῖς ἄλλοτείοις ἐκαλλωπίζεις; τί Στωϊ-  
 κὸν ἔλεγες σεαυτὸν; τηρεῖτε οὕτως ἑαυτὰς ἐν οἷς ἐπαρ-  
 σετε, καὶ δῖρήσετε πῖνος ἑδ' αἰρέσεως. τοὺς παλείους ὑμῶν  
 Ἐπικουρείους δῖρήσετε, ὀλίγους πινὰς Περιπατητικούς. καὶ  
 τούτους, ἐκλελυμένους. *Hic ille auditis insolentissimus  
 adolescens obticuit; tamquam si ea omnia non ab Epicteto  
 in quosdam alios, sed ab Hero de in eum dicta essent.*

Quòd Chilo Lacedæmonius consiliū anceps pro salute amici cepit, quòdque est circumspèctè & anxìè considerandum, an pro vtilitatibus amicorum delinquendum aliquando sit: nòtatáque inibi & relata quæ Teophiaſtus & M. Cicero super ea re scripserunt.

**L**acedæmonium Chilonem, vnum ex illo inclyto numero sapientium, scriptum est in libris eorum qui vltas resque gestas clarorum hominum memoria mandauerunt, cum de vita sua postremo eum inibi mors occuparet, ad circumstantes amicos sic locutum: Dicta mea, inquit, factaque in atate longa pleraque omnia fuisse non pœnitenda, forsitan vos etiam sciatis. Ego certè in hoc quidem tempore non fallo me, nihil esse quicquam commissum à me, cuius memoria rei aliquid pariat ægritudinis: nisi profecto illud vnum sit, quod rectène an perperam fecerim nòdum mihi planè liquet. Super amici capite iudex cum duobus aliis fui. lex ita fuit vti eum hominem condemnari necesse esset. Aut amicus igitur capitali perdendus, aut adhibenda fraus legi fuit. Multa cum animo meo ad easum tam ancipitem medendum consultanti visum est esse id quod feci, præ hoc quod erant alia, toleratu facilius. tacitus ad condemnandum sententiam tuli: his, qui simul iudicabant, vt absoluerent persuasi. sic mihi & iudicis & amici officium in re tanta saluum fuit. sed hanc capio ex eo facto molestiam, quòd metuo ne à perfidia & culpa non abhorreat in eadem re eodémque tempore, inque communi negotio, quod mihi optimum factu duxerim, diuersum eius alijs suasisse. Hic autem Chilo, præstabilis homo sapientia, quonam vsque debuerit contra legem contráque ius pro amico progredi,

a. iij.

dubitavit; eaque res in fine quoque vita ipso animum eius anxio. & alij deinceps multi philosophiæ sectatores, ut in libris eorum scriptum est, satis anquisitè satisque sollicitè quaesierunt, ut verbis, quae scripta sunt, ipsis utar, εἰ δὲ βούθειν τῶν φίλων ὅσα τὸ δίκαιον, καὶ μέγχι ὠόου, καὶ ποία. Ea verba significant quaesivisse eos, an nonnumquam contra ius contravere morem faciendum pro amico sit, & in qualibus, & in quibus causis, & quemnam ad usque modum. Super hac quaestione cum ab aliis, sicuti dixi, multis, tum vel diligentissimè à Theophrasto disputatur, viro in philosophia Peripatetica modestissimo doctissimoque. Eaque disputatio scripta est, si rectè meminimus, in libro eius de amicitia primo. Eum librum M. Cicero videtur legisse, cum ipse quoque librū de amicitia cōponeret. & cetera quidem, quae sumēda à Theophrasto existimavit, ut ingenium faciēdiāque eius fuit, sumpsit & transposuit cōmodissimè aptissimēque. hunc autem locū, de quo satis quaesitum esse dixi, omnium rerum aliarum difficillimum strictim atque cursim transgressus est: neque ea, quae à Theophrasto pensim atque enucleatè scripta sunt, exsecutus est; sed, anxietate illa & quasi morositate disputationis praetermissa, genus ipsum rei tantum paucis verbis notavit. ea verba Ciceronis, si recensere quis vellet, apposui. His igitur finibus utendum esse arbitror, ut, cum emendati mores amicorum sunt, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine vlla exceptione communitas: ut, etiam si qua fortuna acciderit ut minus iustae voluntates amicorum adiuvandae sint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, declinandum de via sit, modò ne summa turpitudine sequatur. est enim quatenus amicitiae venia dari possit. Cum agetur, inquit, aut caput amici, aut fama, declinandum



est de via, ut etiam iniquam voluntatem illius adiutemus. sed cuiusmodi declinatio ista esse debeat, qualisque ad adiuuandum digressio, & in quanta voluntatis amici iniquitate, non dicit. quid autem refert scire me in huiusmodi periculis amicorum, si non magna me turpitudine secutura est, de via recta esse declinandum, nisi id quoque me docuerit, quam putet magnam turpitudinem, & cum decessero de via, quousque degredi debeam? Est enim, inquit, quatenus dari amicitiae venia possit. hoc immo ipsum est, quod maximè discendum est, quòdque ab his, qui docent, minimè dicitur, quatenus quòque sine dari amicitiae venia debeat. Chilo ille sapiens, de quo paulo ante dixi, conseruandi amici causa de via declinauit. sed video quousque progressus est. falsum enim pro amici salute consilium dedit. id ipsum tamen in fine quoque vita, an iure posset reprehendi culpaeque dubitauit. Contra patriam, inquit Cicero, arma pro amico sumenda non sunt. hoc profecto nemo ignorauit, etià priusquam Theognis, ut Lucilius ait, nasceretur. sed id quero, id desidero: cum pro amico contra ius & contra quā licet, salua tamen libertate atque pace, faciendum est; & cum de via, sicut ipse ait, declinandum est: quid & quātum, & in quali causa, & quonamisque id fieri debuit. Pericles ille Atheniensis egregius vir ingenio, bonisque omnibus disciplinis ornatus, in una quidem specie sed planius tamen quid existimaret professus est. nam cum amicus eum rogaret ut pro re causaque eius falsum decieret: his ad eum verbis usus est, Δεῖ μὲ συμπαροῦν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μὲν δεῶν. Theophrastus autē, quo dixi libro anquistius quidem super hac re ipsa & exactius pressiusque quam Cicero differit. sed is quoque in docendo non de unoquoque factò singillatim existimat, neque certis exemplorum documentis sed generibus rerum summam uniuersamque

utitur; ad hunc fermè modum. Parua, inquit, & tenuis  
 vel turpitude, vel infamia subeunda est, si ea re magna  
 utilitas amico quæri potest. rependitur quippe & com-  
 pensatur leue damnum delibata honestatis maiore alia  
 grauiorèque in adiuuando amico honestate: minimàque  
 illa labe & quasi lacuna fama imminentis partarum  
 amico utilitatum ratione solidatur. neque nominibus,  
 inquit, moueri nos oportet, quod paria genere ipso non sunt  
 honestas meæ fama & rei amici utilitas. ponderibus hæc  
 enim potestatisque præsentibus, non vocabulorum ap-  
 pellationibus neque dignitatibus generum diiudicanda  
 sunt nam cum in rebus aut paribus aut non longè secus  
 utilitas amici & honestas nostra consistit: honestas pro-  
 culdubio præponderat. cum verò amici utilitas nimio est  
 amplior; honestatis autem nostra in re non graui leuis ia-  
 ctura est: tunc quod utile amico est id primum illo, quod  
 honestum nobis est fit plenius. sicuti magnum pondus  
 æris parua lamina auri fit preciosius. Verba adeo ipsa  
 Theophrasti super ea re adscripsi. οὐκ οἶσι εἶπου τούτω  
 τῷ γένει πμῶτερον ἢ δὴ καὶ ὁ πᾶν ἀν ἡ μέρος τούτου  
 πρὸς τὸ τηλικόν θατέρω συγκρινόμενον, αἰρετὸν ἔσαι. λέ-  
 γω δ' οἶον, οὐ καὶ χρυσίον πμῶτερον χαλκοῦ, καὶ τηλικόν  
 χρυσοῦ πρὸς τὸ τηλικόν χαλκοῦ μέγεθος ἀντιπαρε-  
 βαλλόμενον, πλέον δόξει, ἀλλὰ ποιήσει πνὰ ρόπην καὶ τὸ  
 πλῆθος καὶ τὸ μέγεθος. Favorinus quoque philosophus hu-  
 iusmodi indulgentiâ gratiâ tempestiuus, laxato paulû  
 permissôq. subtili iustitiæ examine, his verbis definiuit,  
 ἡ καλὴ καὶ ἡ χάρις ὅτι τοῖς ἀνθρώποις τούτω ἔστιν ὑφείας  
 ἀκριβείας ἐν δέοντι. post deinde idē Theophrastus ad hanc  
 fermè sententiam disseruit. Has tamen, inquit paruitates  
 rerum & magnitudines atque has omnes officiorum exi-  
 stimationes alia nonnunquam momenta extrinsecus atque  
 alia quasi appendices personarum & causarum & tem-

porum & circumstantia ipsius necessitates, quas includere in precepta difficile est, moderantur & regunt & quasi gubernant, & nunc ratas efficiunt nunc irritas. Hac taliâque Theophrastus cautè & sollicitè & religiosè, causa differendi magis disputandique diligentia quàm cum decernendi sententia atque fiducia, differuit. quoniam profecto causas scientiæ, corporum varietates, disceptationumque differentiã ignorantes directũ atque perpetuũ distinctumq. in rebus singulis preceptum, quod ego nos in prima tractatus istius parte desiderare dixeram, non capiunt. Eius autem Chilonis, à quo disputatiuncula huius initium fecimus, cum alia quedam sunt monita utilia atque prudentia, tum id maximè explorata utilitatis est, quòd duas ferocissimas affectiones amoris atque odij intra modum tantum coërcuit. Hac, inquit, fini ames, tanquam forte fortuna osurus: hac itidem tenus oderis, tanquam fortasse post amaturus. Super hoc eodem Chilone Plutarchus philosophus in libro περὶ Συχῆς primo ita scripsit Χείλων ὁ παλαιὸς ἀκούσας πινὸς λέγοντος, μηδένα ἔχειν ἐχθρὸν, ἠρώτησεν εἰ καὶ μηδένα φίλον ἔχει νομίζων ἐξ ἀνάγκης ἐπακολουθεῖν καὶ σωεπάγειν φιλίας καὶ ἀπεχθείας.

## CAPVT IIII.

Quàm tenuiter curiosèque explorauerit Antonius Iulianus in oratione M. Tullij verbi ab eo mutati argutiam.

**A**NTONIUS Iulianus rhetor perquam fuit honesti atque amœni ingenij; doctrina quoque ista utiliore ac delectabili, veterumque elegantiarum cura & memoria multa fuit: ad hoc scripta pleraque antiquiora tam curiosè spectabat, aut virtutes pensitabat, aut

*vitia rimabatur, ut iudiciū esse factū ex amussim diceret. Is Iulianus super eo enthymemate, quod est in oratione M. Tullij, qua pro Cn. Plancio dixit, ita existimauit. sed verba prius, de quibus ab eo iudicium factum est, ipsa ponam. Quamquam dissimilis est pecuniæ debitio & gratia. nā qui pecuniā dissoluit; statim nō habet id, quod reddidit. qui autem debet; æs retinet alienum. gratiam autem & qui refert, habet; & qui habet, in eo ipso quod habet, refert. Neque ego nunc Plancio definam debere, si hoc soluero. nec minus ei redderem voluntate ipsa, si hoc molestiæ non accidisset. Crispum sanè, inquit, agmen orationis rotundūmque, ac modulo ipso numerorum venuustum, sed quod cum venia legendum sit verbi paulum ideo immutati, ut sententia fides salua esset. namque debitio gratiæ & pecuniæ collata verbum utrobique seruari posset. ita enim rectè opposita inter sese gratia pecuniæque debitio videbitur, si & pecunia quidem deberi dicatur & gratia. sed quid eueniat in pecunia debita solutæve, quid contrà in gratia debita redditæve, debitionis verbo utrimque seruato differatur. Cicero autem, inquit, cum gratiæ pecuniæq; debitionem dissimilem esse dixisset, eiusque sententia rationem redderet, verbum debet, in pecunia ponit; in gratia subiicit habet, pro debet. ita enim dicit, Gratiā autē & qui refert habet, & qui habet in eo ipso quod habet, refert. sed id verbum, habet, cum proposita comparatione non satis conuenit. debitio enim gratiæ, non habitio, cum pecunia confertur. atque ideo consequens quidem fuerat sic dicere: & qui debet, in eo ipso quod debet, refert. quod absurdum & nimis coactum foret, si nondum redditam gratiam eo ipso redditam diceret, quia debetur. immutauit ergo, inquit, & subdidit verbum ei verbo, quod omiserat, finitimum;*

vt videretur & sensum debitionis collata non reliquisse, & concinnitatem sententiæ retinuisse. Ad hunc modum Iulianus enodabat dijudicabatque veterum scriptorum sententias, quas apud eum adolescentes lectitabant.

## CAPVT V.

Quòd Demosthenes rhetor cultu corporis atque vestitu probris obnoxio, infamique munditia fuit: quòdque item Hortensius orator ob eiusmodi munditias gestumque in agendo histrionicum Dionysia saltatriculæ cognomento compellatus est.

**D**emosthenem tradunt vestitu sincero & cultu corporis nitido venustoque & nimis accurato fuisse, hinc etiã κομῆ illa χλαμὶς καὶ μαλακοὶ χιτωνίσκοι ab æmulis aduersariisque probro data. hinc etiam turpibus indignisque in eum verbis non temperatum, quin parum vir, ὄρε quoque polluto, diceretur. Ad eundem modum Hortensius omnibus fermè oratoribus atatis suæ, nisi M. Tullio, clarior, quòd multa mundicia & circumspectè compositæque indutus & amictus esset, manusque eius inter agendum forent arguta admodum & gestuosa, maledictis compellationibusque probrosis iactatus est; multaque in eum, quasi in histrionem, in ipsis causis atque iudiciis dicta sunt. Sed cum L. Torquatus, subagresti homo ingenio & infestius, grauius acerbiusque apud consilium iudicium, cum de causa Sullæ quæreretur, non iam histrionem eum esse diceret, sed gesticulariam Dionysiamque eum notissimam saltatriculam nomine appellaret: tum voce molli atque demissa Hortensius, Dionysia, inquit, Dionysia malo equidem esse, quàm quod tu, Torquate, ἀμικτος, ἀγροδλαυτ & καὶ ἀπόσιτ &.

## CAPVT VI.

Verba ex oratione Metelli Numidici, quam dixit ad populum in cēſura, cūm eum ad vxores ducendas adhortaretur: eaque oratio quam ob cauſam reprehēſa, & quem contra in modum deſenſa ſit.

**M**ultis & eruditis viris audientibus legebatur oratio Metelli Numidici. grauis ac diſerti viri, quam in cenſura dixit ad populum de ducendis vxoribus, cūm eum ad matrimonia capeſſenda adhortaretur. in ea oratione ita ſcriptum fuit, Si ſine vxore, quiritēs, poſſemus eſſe: omnes ea moleſtia careremus. ſed quoniam ita natura tradidit vt, nec cum illis ſatis commodē, nec ſine illis vllō modo viui poſſit; ſaluti perpetuæ potius quàm breui voluptati conſulendum. Videbatur quibusdam Metellum cenſorem, cui conſilium eſſet ad vxores ducendas populum hortari, non oportuiſſe neque de moleſtia incommodiſque perpetuis rei vxoria conſiteri; neque adhortari magis id eſſe, quàm diſſuadere, abſterrerēque: ſed contra in illud potius orationem debuiſſe ſumi dicebant, vt & nullas plerumque eſſe in matrimoniis moleſtias aſſeueraret, & ſi quæ tamen accidere nonnumquam viderentur, paruas & leues facileſque eſſe toleratu diceret; maioribꝫque eas emolumentis & voluptatibus obliſſerari: eaſdemque ipſas neque omnibus neque natura vitio, ſed quorundam maritorum culpa & iniuſtitia euenire. Titus autem Caſtricius rectē atque condignē Metellum eſſe locutū exiſtimabat. Aliter, inquit, cenſor loqui debet, aliter rhetor. rhetori cōceſſum eſt ſententiis vt i falſis, audacibus, ſubdolis, captioſis. ſi modò veriſimiles ſunt & poſſunt ad mouendos hominum animos quali-

cumque astu irrepere. præterea turpe esse ait rhetori si quid in mala causa destitutum atque impugnatum reliquat. Sed enim Metellum, inquit, sanctum virum illa gravitate & fide præditum cum tanta honorum atque vitæ dignitate, apud populum Romanum loquentem nihil decuit aliud dicere, quàm quod verum sibi esse atque omnibus videbatur: præsertim cum super ea re diceret, quæ quotidiana intelligentia & communi peruulgatæque vitæ usu comprehenderetur. De molestia igitur cunctis hominibus est notissima confessus; eaque confessione fidem sedulitatis veritatisque commeritus; tum denique facile & procliviter, quod fuit rerum omnium validissimum atque verissimum, persuasit civitatem saluam esse sine matrimoniorum frequentatione non posse. Hoc quoque aliud ex eadem oratione Metelli dignum esse existimauimus assidua lectione, non hercule minus, quàm quæ à gravissimis Philosophis scripta sunt. Verba Metelli hæc sunt, Di immortales plurimum possunt; sed non plus velle nobis debent, quàm parentes. at parentes, si pergimus errare, suis bonis nos exheredant. Quid ergo nos à dis immortalibus diuinitus expectemus, nisi errationibus finem faciamus? isdem deos propitios esse æquum est, qui sibi aduersarij non sunt. di immortales virtutem approbare, non adhibere debent.

## CAP. VII.

In hisce verbis Ciceronis ex oratione quinta in Verrem, *hanc sibi rem sperant praesidio futurum*, neque mendam esse nec vitium, erratæque istos, qui bonos violant libros, & *futuram* scribunt: atque inibi de quodâ alio Ciceronis verbo dictum, quod probè scriptum perperam mutatur: & adspersa pauca de modulis numerisque orationis, quos Cicero avidè sectatus est.

**I**N oratione Ciceronis quinta in Verrem, in libro spectata fidei Tironiana cura atque disciplina facta, ita scriptum fuit, Homines tenues obscuro loco nati navigant: adeunt ad ea loca, quæ numquam ante adierat; vbi neque noti essent, quod venerunt; neque semper cum cognitoribus esse possunt. Hac vna tamen fiducia ciuitatis, non modò apud nostros magistratus, qui & legum & existimationis periculo continentur, neque apud ciuis solùm Romanos, qui & sermonis & iuris & multarum rerum societate iuncti sunt, fore se tutos arbitrantur, sed quocumque venerint hanc sibi rem praesidio sperant futurum. *Videbatur compluribus in extremo verbo menda esse. debuisse enim scribi non futurum, sed futuram: neque dubitabant quin liber emendandus esset, ne, ut in Plauti comædia mæchus (sic enim menda suæ illudebant) ita in Ciceronis oratione Solæcismus esset manifestarius. Aderat fortè ibi amicus noster, homo lectione multa exercitus; cui pleraque omnia veterum litterarum quæsita, meditata, euigilatæque erant in libro inspecto ait nullum esse in eo verbo neque mendam*



neque vitium: Ciceronem probè ac venustè locutum. nam futurum, inquit, non refertur ad rem, sicut legentibus temerè & incuriosè videtur; neque pro participio positum est: sed verbum est indefinitum, quod Græci appellant ἀπασέμερον, neque numeris neque generibus præferens, sed liberum undique & impromiscum est. quali C. Gracchus verbo usus est in oratione, cuius titulus est, DE QUINTO POPILIO CIRCVM CONCILIABVLA, in qua ita scriptum est, Credo ego inimicos meos hoc dicturum. Inimicos, inquit, dicturum, & non, dicturos. videturne ea ratione positum esse apud Gracchum, dicturum, qua est apud Ciceronem, futurum? sicut in Græca oratione sine vlla vitij suspitione, omnibus numeris generibusque sine discrimine attribuantur huiuscemodi verba ποιήσεν, ἔσειδεν, λέξεν, & similia. In centesimo quinquagesimo quoque Quadrigarii annali libro verba hæc esse dixit, Dum ij conciderentur; hostium copias ibi occupatas futurum. in duodevicesimo annali eiusdem Quadrigarij principium libri sic scriptum, Si pro tua bonitate & nostra voluntate tibi valetudo suppetit; est quod speremus deos bonis bene facturum. item in Valerij Antiatii quarto vicesimo simili modo scriptum: Si hæc res diuinæ factæ ritèque perlitatæ essent, haruspices dixerunt omnia ex sententia processurum esse. Plautus etiam in Casina, cum de puella loqueretur, occisurum dixit, non occisuram, his verbis,

Etiamne habet Casina gladium? Habet, sed duos,

Quibus, altero te occisurum ait, altero villicum.

Item Laberius in Gemellis,

Non putavi, inquit, hoc eam facturum.  
 Non ergo isti omnes Solæcismus quid esset ignorauerunt.  
 sed & Gracchus, dicturum, & Quadrigarius, futu-  
 rum, & benefacturum; & Plautus, occisurum;  
 & Antias, processurum; & Laberius, facturum,  
 indefinito modo dixerunt. qui modus neque in numeros,  
 neque in personas, neque in genera, neque in tempora di-  
 strahitur, sed omnia isthæc una eademque declinatione  
 complectitur: sicuti M. Cicero dixit, futurum, non viri-  
 li genere neque neutro (Solæcismus enim foret planè,) sed  
 verbo usus est ab omni necessitate generum absoluto. Idem  
 autè ille amicus noster in eiusdem M. Tullij Ciceronis ora-  
 tione, quæ est de imperio Cn. Pompeij, ita scriptum esse à  
 Cicerone dicebat, atque ipse ita lectitabat: Cum vestros  
 portus, atque eos portus, quibus vitam ac spiri-  
 tum ducit s, in prædonum fuisse potestatem scia-  
 tis Neque Solæcismus esse aiebat, in potestatem fuisse,  
 ut vulgus semidoctum putat, sed ratione dictum certa et  
 proba contendebat, qua & Græci ita uterentur: & Plau-  
 tus verborum Latinorum elegantissimus in Amphitryone dixit, Numero mihi in mentem fuit. non, ut  
 dici solitum est, in mente. Sed enim præter Plautum,  
 cuius ille in præsentis exemplo usus est, multam nos quo-  
 que apud veteres scriptores locutionum talium copiam  
 offendimus; atque his vulgo annotamentis inspersimus.  
 Ut rationem autem istam missam faciamus & auctoritates:  
 sonus tamen & positura ipsa verborum satis declarant,  
 id potius ἐπιουεία ἢ λέξεω modulamentis orationis  
 M. Tullij conuenisse, ut, quoniam utrumuis dici Latine  
 posset, potestatem dicere mallet, non potestate. illud e-  
 nim sic compositum iucundius ad aurem conspectiusque  
 insuauius hoc imperfectiusque est; si modò ita explorata  
 aure homo sit, non surda nec iacenti: sicuti est hercle quòd,  
 explicauit

explicauit; dicere maluit, quam explicuit: quod esse iam vsitatius ceperat. Verba sunt hac ipsius ex oratione, quã de imperio Cn. Pompeij habuit. Tellis est Sicilia: quam multis vndique cinctam periculis non terrore belli sed consilij celebritate explicauit. at si, explicuit, diceret: imperfecto & debili numero verborum sonus clauderet.

## CAPVT VIII.

Historia in Ibris Sotioris philosophi reperta super Laide meretrice & Demosthene rhetore.

**S**otion ex Peripatetica disciplina haud sare ignobilis vir fuit, is librum multa variaque historiae refectionem composuit; eumque inscripsit, *κλέγς ἀπὸ ἀθείας*. ea vox hoc ferme valet, tamquam si dicas, cornucopiae. In eo libro super Demosthene rhetore & Laide meretrice historia hac scripta est. Laïs inquit, Corinthia ob elegantiam venustatemque formae grandem pecuniam demerebat: conuentusque ad eam ditiorum hominum ex omni Graecia celebres erant: neque admittebatur, nisi qui dabat, quod poposcerat. poscebat autem illa nimium quantum. hinc ait natum esse illud frequens apud Graecos dictum adagium. οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κορίνθου ἔσθ' ὄπλῆς. quod frustra iret Corinthum ad Laidem qui non quiret dare quod posceretur. Ad hanc ille Demosthenes clanculum adit; & ut sibi sui copiam faceret, petit. at Laïs *μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον* poposcit. hoc facit numi nostratis denarium decem milia. Tali petulantia mulieris atque pecunie magnitudine ictus *εὐπαιδύς*que Demosthenes auertit; & discedens, Ego inquit, paenitere tanti non emo. Sed Graeca ipsa, quae fertur dixisse, lepidiora sunt, οὐκ ἀνῶμαί, inquit, *μυρίων δραχμῶν μὲν ἔλειπεν*.

## CAPVT IX.

Qui modus fuerit quis ordo disciplinæ Pythagoricæ; quantumque temporis imperatum obseruatumque sit dicendi limul ac tacendi.

**O**Rdo atque ratio Pythagoræ, ac deinceps familiae successionis eius, recipiendi instituendique discipulos huiuscemodi fuisse traditur. Iam à principio adolentes, qui sese ad discendum obtulerant, ἐπιστορονομόντι. Id verbum significat mores naturasque hominum, coniectatione quadam de oris & vultus ingenio deque totius corporis filo atque habitu, sciscitari. eum, qui exploratus ab eo idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim inibat quin & tempus certum statuebat, ut tacerent; non in omnes idem, sed aliud aliis tempus pro existimato captis sollertia. Is autem qui tacebat, quæ dicebantur ab aliis, audiebat; neque percunctari, si parum intellexerat, neque commentari, quæ audierat, fas erat. sed non minus quisquæ tacuit quàm biennium. hi prorsus appellabantur intra tempus tacendi audiendique ἀκούσιχοι. est ubi res didicerant rerum omnium difficillimus tacere audireque; atque esse iam cœperant silentio eruditi, cui erat nomen ἐχουθία: tum verba facere & querere, quæque audissent scribere, & qua ipsi opinarentur expromere potestas erat. hi dicebantur in eo tempore μαθηματικοί; ab his scilicet artibus, quas iam discere atque meditari inceptauerant: quoniam Geometriam & Gnomonicam, Musicam, ceterasque item disciplinas altiores μαθηματα veteres Græci appellabant. vulgus autem, quos gentilicio vocabulo Chaldaos dicere oportet, mathematicos dicit. exinde his scientiæ studiis ornati ad perspicienda mundi opera & principia naturæ procedebant: ac tunc denique nominabantur φυσικοί. Hæc

eadem super Pythagora noster Taurus cum dixisset; Nunc autem, inquit, isti, qui repente pedibus illotis ad philosophos deuertunt, non est hoc satis, quod sunt omnino ἀθεωπητοι, ἀμωσοι, ἀγνώμονες; sed legem etiam dant, qua philosophari discant. alius ait; hoc me primum doce. item alius; hoc volo, inquit, discere, istud nolo. hic à symposio Platonis incipere gestit propter Alcibiadis comissionem, ille à Phadro propter Lysiae orationem. Est etiam, inquit, prò Iupiter, qui Platonem legere postulet, non vitæ ornandæ sed lingua orationisque comendæ gratiâ, nec ut modestior fiat sed ut lepidior. Hæc Taurus dicere solitus nouitios philosophorum sectatores cum veteribus Pythagoricis perfitans. Sed id quoque non prætereundum est, quod omnes simul, qui à Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familia pecunieque habebat, in medium dabant; & coibatur societas inseparabilis, tamquam illud fuerit antiquum consortium, quod re atque verbo appellabatur κοινὸς βίον.

## CAPVT X.

Quibus verbis compellauerit Fauorinus philosophus adolescentem Cascè nimis & vetustè loquentem.

**F**auorinus philosophus adolescenti veterum verborum cupidissimo & plerasque voces nimis prisca et ignotissimas in quotidianis communibusque sermonibus expromenti, Curius, inquit, & Fabricius, & Coruncanus antiquissimi viri nostri, & his antiquiores Horatij illi tri gemini planè ac dilucidè cū suis fabulati sunt: neque Auruncorum, aut Sicanorum, aut Pelasgorum, qui primi incoluisse Italiam dicuntur, sed ætatis suæ verbis locuti sunt.

tu autem, proinde quasi cum matre Euandri nunc loquar, sermone ab hinc multis annis iam desito uteris, quod scire atque intelligere neminem vis, qua dicas. Nonne, homo inepte, ut quod vis abundè consequaris, taceres? sed antiquitatem tibi placere ais, quod honesta & bona & sobria & modesta sit. viue ergo moribus præteritis; loquere verbis præsentibus: atque id, quod à C. Casare excellentis ingenij ac prudentiæ viro, in primo de Analogia libro, scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, ut, tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum.

## CAPVT XI.

Quòd Thucydides historiæ scriptor inclytus Lacedæmonios in acie non tuba sed tibiis esse vfos dicit: verbâque eius super ea re posita: quòdque Herodotus Halyatten regem fidicinas in procinctu habuisse tradit: atque inibi quædam notata de Gracchi fistula concionatoria.

**A**uctor historia Græca grauißimus Thucydides Lacedæmonios summos bellatores non cornuum tubarumve signis, sed tibiarum modulis in præliis vfos esse refert; non prorsus ex aliquo ritu religionum, neque rei diuinæ gratia, neque etiam ut excitarentur atque euibrarentur animi, quod cornua & litui moliuntur; sed contra, ut moderatiores modulatioresque fierent; quod tibicinis numeris temperatur. nihil adeo in congregiendis hostibus atque in principiis præliorum ad salutem virtutemque aptius ratis, quam si permulcti sonis mitioribus non immodicè ferocirent. cum procinctæ igitur classes erant, &

*instruēta acies, cœptumque in hostem progredi: tibicines inter exercitum positi canere incœptabant. ea ibi præcognitione tranquilla & delectabili atque adeo venerabili, ad quandam quasi militaris musica disciplinam vis & impetus militum, ne sparsi dispalati que proruerent, cohibebatur. Sed ipsius illius egregij scriptoris uti verbis libet, quæ & dignitate & fide grauiora sunt. καὶ μὲν ταῦτα ἡ ξύνοδος ἦν. Ἀργεῖοι μὲν καὶ οἱ ξύμμαχοι ἐντόνος καὶ ὄργῃ χωρῶντες; Λακεδαιμόνιοι δὲ βραδείως καὶ ἐπὶ αὐλητῶν πολλῶν, νόμῳ ἐγκρατεσώπων. ἔ τοῦ δέ τις χάρειν, ἀλλ' ἵνα ὁ μαλῶς μὲν, υἱοῦ βαίνοντες προσέδοιεν, καὶ μὴ διαπαδείην αὐτοῖς ἢ τάξις. ὅπερ φιλεῖ μέγιστα σπρόπεδα ποιεῖν ἐν ταῖς προσόδοις. Cretenses quoque in prælia ingredi solitos memoria datum est præcinnente ac præmoderante cithara greßibus. Halyattes autem rex terra Lydia more atque luxu barbarico præditus, cum bellum Milesiis faceret, ut Herodotus in historiis tradit, concinentes fistulatores & fiducines, atque feminas etiam tibicinas in exercitu atque in procinctu habuit, lasciuientium delicias conuiuiorum. Sed enim Achaos Homerus pugnam indispiscit ait non fidicularum tibiariūmque cœcertu, sed mentium animorūmque conspiratu tacito nitibundos.*

*Οἱ δ' ἀπ' ἴσων σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοί,*

*Ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεθα ἀλλήλοισιν.*

*Quid ille vult ardentissimus clamor militum Romanorū, quem in congressibus præliorum fieri solitum scriptores annalium memorauerunt? contra institutum fiebat antiquæ disciplinae tam probabile? an tum etiam gradu clementi & silentio est opus, cum ad hostem itur in congressibus longinquo procul distantem? c. n. verò propè ad manus ventū est, tum iam è propinquo hostis & impetu propulsandus & clamore terrendus est? Ecce autem, pro tibicina Laconica, tibia quoque illius concionatoria in mente. n. venit quæ*

C. Graccho cum populo agenti præisset ac præmonstrasse modulos ferunt. sed nequaquam sic est, ut à vulgo dicitur, canere tibia solitum, qui ponè eum loquentem staret, variisque modis tum demulcere animum actionemque eius, tum incendere. quid enim foret ista re ineptius, si, ut planipedi saltanti, ita Graccho concionanti numeros & modos & frequentamenta quadam varia tibicen incineret? Sed qui hoc compertius memoria tradiderunt, stetisse in circumstantibus dicunt occultius, qui fistula brevis sensim grauiusculum sonum inspiraret ad deprimentum sedandumque impetum vocis eius. efferuescente namque impulsu & instinctu extraneo naturalis illa Gracchi vehementia indiguisse non, opinor, existimanda est. Marcus tamen Cicero fistulatore[m] istum utriusque rei adhibitum esse à Graccho putat; ut sonis tum placidis tum citatis aut demissam iacentemque orationem eius erigeret, aut ferociensem seuientemque cohiberet. verba ipsius Ciceronis apposui. Itaque idem Gracchus, quod potes audire, Catule, ex Licinio cliente tuo litterato homine, quem seruum sibi habuit ille ad manum, cum eburnea solitus est habere fistula, qui staret post ipsum occultè cum concionaretur, peritum hominem; qui inflaret celeriter eum sonum, qui illum aut remissum excitaret, aut à contètionem reuocaret. Morem autem illum ingrediendi ad tibicinum modulos prælij institutum esse à Lacedæmoniis Aristoteles in libris problematum scripsit; quo manifestior fieret exploratioque militum securitas & alacritas. nam diffidentia, inquit, & timori cum ingressione huiusmodi minimè conuenit: & maestri atq. formidantes ab hac tam intrepida ac tam decora incedendi modulatione alieni sunt. verba pauca Aristotelis super ea re apposui. διὰ τὴν ἐπειδὴν πολέμειν μέλλοσι, πρὸς αὐτὸν ἐμβαίνουσιν; ἵνα τοὺς δειλοὺς ἀχρημονέυτας γέ



Volon. 179.

## CAPVT XII.

Virgo Vestæ quid ætatis ex quali familia & quo ritu quibúque cerimoniis & religionibus & quo nomine à Pontifice Maximo capiatur: & quo statim iure esse incipiat simulatque capta est: quódque, vt Labeo dicit, nec illa intestato cuiquam nec ei intestatæ quisquam iure heres est,

**Q**ui de Vestali virgine capienda scripserunt, quorum diligentissimè scripsit Labeo Antistius, minorem quam annos VI. maiorem quam annos X. natam negauerunt capi fas esse. item quæ non sit patrima & matrima. item, quæ lingua debili sensuue aurium deminuta aliãve qua corporis labe insignita sit. item quæ ipsa aut cuius pater emancipatus sit: setiam si vno patre in aui potestate sit: item cuius parentes alter ambouè seruitutem seruiuerunt, aut in negotiis sordidis deuersantur. sed eam, cuius soror ad id sacerdotium lecta sit, excusationem mereri aiunt: item cuius pater flamen, aut augur aut xv vir s. F. aut qui VII vir epulonum aut salius est. Sponsæ quoque pontificis & tibicinis sacrorum filia vacatio à sacerdotio isto tribui solet. Præterea Capito Ateius scriptum reliquit, neque eius legendam filiam qui domicilium in Italia non haberet, & excusandam eius qui liberos tres haberet. Virgo autem Vestalis simul est capta atque in atrium Vestæ deducta & pontificibus tradita; eo statim tempore sine emancipatione ac sine capitis minutione è patris potestate exit, & ius testamenti faciendi adipiscitur. De more autem ritúque capiunda virginis litteræ quidem antiquiores non existant, nisi quæ capta

prima est à Numa rege esse captam. Sed Papiam legem invenimus; qua cauetur ut pontificis maximi arbitrato virgines è populo viginti legantur; sortitioque in concione ex eo numero fiat; & cuius virginis ducta erit, ut eam pontifex maximus capiat, eaque Vesta fiat. sed ea sortitio ex lege Papia non necessaria nunc videri solet. nam, si quis honesto loco natus adeat Pont. max. atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cuius duntaxat salvis religionum observationibus ratio haberi possit, gratia Papie legis per senatum fit. Capi autem virgo propterea dici videtur, quia pontificis maximi manu prehensi ab eo parente, in cuius potestate est, veluti bello capta abducitur. In libro primo Fabii Pictoris, quæ verba pontificis maximi dicere oporteat, cum virginem capit, scriptum est. Ea verba hæc sunt. SACERDOTE M. VESTALEM. QVAE. SACRA. FACIAT. QVAE. IOVS. SIET. SACERDOTE M. VESTALEM. FACERE. PRO. POPOLO. ROMANO. QVIRITIBVS. Q. VTEI. QVAE. OPTVMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. Plerique autem capi virginem solam debere dici putant. sed flamines quoque Diales, item pontifices & augures capi dicebantur L. Sylla rerum gestarum libro II. ita scripsit. P. Cornelius, cui primam cognomen Syllæ impositum est flamen Dialis captus. M. Cato de Lusitanis, cum Ser. Galbam accusavit, eum dicit ius pontificium discere noluisse. Ego me nunc volo ius pontificium optimè scire. iam ne ea causa pontifex capiat? Si volo augurium optimè tenere, & quis me ob eam rem augurem capiat? Præterea in commentariis Labeonis, quæ ad duodecim tabulas composuit, ita scriptum est. Virgo Vestalis neque heres est cuiquam intestato, neque intestatæ quisquam: sed bona eius in publicum re-

digi aiunt. id quo iure fiat, quæritur. *Amata inter capiendum à Pont. max. appellatur, quoniam, quæ prima capta est, hoc fuisse nomine traditum est.*

## CAPVT XIII.

Quæsitum in philosophia quidnam foret in recepto mandato rectius, id ne omnino facere quod mandatum est, an nonnunquam etiam contra, si id speres ei, qui mandauit, utilius fore: superque ea questione expositæ diuersæ sententiæ.

**I**N officiis capiendis, censendis, iudicandisque, quæ Græcè *καθήκοντα* philosophi appellant, quæri solet an negotio tibi dato & quid omnino faceres definito, contra quid facere debeas, si eo factò videri possit res euentura prosperius & exque utilitate eius, qui id tibi negotium mandauit. anceps questio & in utramque partem à prudentibus viris arbitrata est. sunt enim non pauci qui sententiã suam vna in parte defixerint, & re semel statuta deliberatãque ab eo, cuius negotium id pontificiũque esset, nequaquam putauerint contra dictum eius esse faciendum, etiam si repentinus aliqui casus rem commodius agi posse polliceretur; ne si spes fefellisset, culpa imparientia & pœna ind. precabilis subeunda esset: si res fortè melius vertisset, diis quidem gratia habenda, sed exemplum tamen intransmissum videretur, quo bene consulta consilia religione mandati soluta corrumperentur. Alij existimauerunt incommoda prius, quæ metuenda essent si res gesta aliter foret quàm imperatum est, cum emolumento spei pensitanda esse. & si ea leuiora minorãque; utilitas autem contra grauior & amplior spe quantum potest firma ostenderetur: tum posse aduersum mandata fieri censuerunt; ne o-

blata diuinitus rei bene gerendæ occasio amitteretur, neque  
 timendum exemplum non parendi crediderunt, si rationes  
 huiuscemodi duntaxat non adessent. cum primis autem  
 respiciendum putauerunt ingenium naturamque illius,  
 cuius res præceptumque esset; ne ferox, durus, indomitus, in-  
 exorabilisque sit; qualia fuerunt Postumiana imperia &  
 Manli. n. a. nam si tali præceptori ratio reddenda sit; nihil  
 faciendum esse monuerunt aliter, quàm præceptum est. In-  
 fructus deliberatiusque fore arbitramur theorematum  
 hoc de mandatis huiuscemodi obsequendis, si exemplum  
 quoque P. Crassi Muciani clari ac inlustri viri apposueri-  
 mus. Is Crassus à Sempronio Asellione & plerisque aliis  
 historiae Romanæ scriptoribus traditur quinque habuisse  
 rerum bonarum maxima & præcipua; quòd esset ditissim-  
 us, quòd nobilissimus, quòd eloquentissimus, quòd iuris-  
 consultissimus, quòd pontifex maximus. Is, cum in consu-  
 latu obtineret Asiam prouinciam, & circumscidere op-  
 pugnareque Leucas oppidum pararet; opusque esset firma  
 atque proceratrabes, quæ arietem faceret quo muros eius  
 oppidi quateret: scripsit ad magistrum ἀρχιτέκτονα Με-  
 λεατῆσιμιο sociorum amicorumque populi Romani, ut ex  
 malis duobus, quos apud eos uidisset, uter maior esset eum  
 mittendum curaret tum magister ἀρχιτέκτων, comperto  
 quamobrem malum desideraret, non, uti iussus erat, maio-  
 rem, sed, quem esse magis idoneum aptioremque faciendo  
 arieti facilioremque portatu existimabat, minorem misit.  
 Crassus eum vocari iussit; & cum interrogasset cur non  
 quem iusserat misisset, causis rationibusque quas dicitabat  
 spectatis, vestimenta detrahi imperauit; virgisque multum  
 cecidit; corrumpi atque dissolui officium omne imperantis  
 ratus, si quis ad id, quod facere iussus est, non obsequio debi-  
 to sed consilio non desiderato respondeat.

## CAPVT XIII.

Quid dixerit feceritque C. Fabricius magna vir gloria magnisque rebus gestis, sed familiæ pecuniæque inops; cùm ei Samnites tamquam indigenti graue aurum donarent.

**I**ulius Higinus, in libro de vita rebusque illustrium virorum sexto, legatos dicit à Samnitibus ad C. Fabricium Imperatorem populi Romani venisse; & memoratis multis magnisque rebus, qua bene ac benivolè post redditam pacem Samnitibus fecisset, obtulisse dono grandem pecuniã; orasseque uti acciperet utereturque: atque id facere Samnites dixisse, quod viderent multa ad splendorem domus atque victus desieri; neque pro magnitudine dignitatèque lautum paratum esse: tum Fabricium planas manus ab auribus ad oculos, & infra deinceps ad nares & ad os & ad gulam, atque inde porro ad ventrem inum deduxisse; & legatis ita respondisse; dum illis omnibus membris, quæ attigisset, obsistere atque imperare posset, nunquam quicquam defuturum: propterea pecuniam, qua nihil sibi esset usus, ab iis, quibus eam sciret vsui esse, non accipere.

## CAPVT XV.

Quàm importunum vitium sit plenumque odij futilis inanisque loquacitas, & quàm multis in locis à principibus vtriusque linguæ viris de-  
testatione iusta culpata sit,

**Q**ui sunt leues & futiles & importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi verbis humidis & lapsantibus diffluunt; eorum orationem bene existi-

matum est in ore nasci non in pectore. linguam autem debere aiunt non esse liberam nec vagam, sed vinculis de pectore imo ac de corde aptis moueri & quasi gubernari. Sed enim videas quosdam sic scaterere verbis sine ullo iudicij negotio cum securitate multa & profunda, ut loquentes plerumque videantur loqui sese nescire. Ulysses contra Homerus virum sapienti facundia præditum, vocem mittere ait non ex ore sed ex pectore, quo scilicet non ad sonum magis habitumque vocis quam ad sententiarum penitus conceptarum altitudinem pertineret: petulantiaque verborum coercenda vultum esse oppositum dentium iuculente dixit: ut loquendi temeritas non cordis tantum custodia atque vigilia cohibeatur, sed & quibusdam quasi excubiis in ore positis sapiatur. Homerica, de quibus supra dixi, hæc sunt,

Ἀλλ' ὅτε δὴ ρ' ὄψα τε μέγ' ἄλλω ἐκ σήδεσσι.

Τέρον ἐμὸν ποῖον σέ' ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

M. Tullij quoque verba posui, quibus stultam & inanem dicendi copiam grauius & verè detestatus est. Dummodò, inquit, hoc constet, neque infantiam eius qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat, neque inscitiam illius cui res non suppetat verba non desint, esse laudanda. quorum si alterum sit optandum: malim equidem indifertam prudentiam, quam stultam loquacitatem. item in libro de oratore primo verba hæc posuit. Quid enim est tam furiosum quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis nulla subiecta sententia nec scientia? Cum primis autem M. Cato atrocissimus huiuscemodi vitij insectator est. namque in oratione quæ inscripta est, SI. SE. COELIVS. TRIB. PLEB. APPELLASSET. Nunquam, inquit, ta-

cet, quem moribus tenet loquendi, tanquam veterosum bibendi atque dormiendi. quod si non conueniant; tamen conuocari iubet. ita est cupidus orationis, vt conducat, qui auscultet. itaque auditis non auscultatis tanquam pharmacopolā. nam eius verba audiuntur: verū n ei se nemo cōmittit, si æter est. Idem Cato in eadem oratione eidem M. Cælio trib. pl. vilitatem opprobrans non loquendi tantum verum etiam tacendi, Frustrō, inquit, panis conducipoteest vel vti taceat vel vti loquatur. neque non meritò Homerus unum ex omnibus Therfiten, ἀμετροεπῆ ἀχροτόμουδον appellat: modò verba illius multa, & ἀνοσμα strepentium sine modo graculorum similia esse dicit. quid enim est aliud ἀμετροεπῆς ἐκκολῶα? Euripidis quoque versus de id genus hominibus consignatissimè factus est. λαλεῖν ἀριστος, ἀδωατώτατος λέγειν quod Sallustius noster imitari volens, loquax, inquit, magis quàm facundus. Qui propter Hesiodus poëtarum prudentissimus linguam non vulgandam sed recondendam esse dicit proinde vt thesaurum: eiusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta & parca & modulata sit.

Γλώσσης τοι θυσαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἀριστος  
Φειδωλῆς. πλείη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.

Epicurium quoque illud non inscitè se habet,

Οὐ λέγειν δεινός, ἀλλὰ σιγᾶν ἀδωατός.

Ex quo profecto hoc sumptum est;

Qui cum loqui non posset; tacere non poterat.

Fauorinum ego audiri dicere versus istos Euripidi, ἀχαλινῶν σομάτων ἀνόμουτε ἀφροσύνης τὸ τέλ & διςυχία, non de iis tantum factos accipi debere, qui impia aut illicita dicrent; sed vel maximè de hominibus quoque posse di-

ci stulta & immodica blaterantibus; quorum lingua tam prodiga infrenisque sit, ut fluat semper aestuetque collusione verborum tæterrima: quod genus homines à Grecis significantissimo vocabulo λάλις appellatos. Valerium Probum grammaticum illustrem ex familiari eius docto viro comperi Sallustianum illud, Satis eloquentiæ, sapientiæ parum, breui antequam vita decederet, sic legere cœpisse, & sic à Sallustio relictum affirmasse; Satis loquentiæ, sapientiæ parum. quod loquentia nouatori verborum Sallustio maxime congrueret; eloquentia cum insipientia minimè conueniret. Huiuscemodi autem loquacitatem verborumque turbam magnitudine inani vastam facetissimus poëta Aristophanes insignibus vocabulis denotauit in his versibus,

Ἀνθρώπων ἀγεροποιὸν, ἀθάδδομον,  
 ἔχοντ' ἀχάλινον, ἀκρατὲς, ἀπύλωτον  
 σόμα, ἀπειδάλητον, κομπορακελοῦρήμονα.

neque minus insigniter veteres quoque nostri hoc genus homines in verba proiectos locutuleios, & blatterones, & lingulacas dixerunt.

## CAPVT XVI.

Quòd verba isthæc Quadrigarij ex Annali tertio, *ibi mille hominum occiditur*, non licentia neque de poëtarum figura, sed ratione certa & proba grammaticæ disciplinæ dicta sunt.

**Q**uadrigarius in tertio Annalium ita scripsit: *Ibi occiditur mille hominum. occiditur, inquit, non, occiduntur. item Lucilius in tertio Satyrarum; Ad portam mille, à porta est sex inde Salernum: mille, inquit, est, non mille sunt. Varro in octauodecimo*



*Humanarum*: Ad Romuli initium plus mille & centum annorum est. *M. Cato in 1. Originum.* Inde est fermè mille passuum. *M. Cicero in sexta in Antonium,* Ita'ne Ianus medius in L. Antonij clientela est? qui vnquam in illo Iano inuentus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensam? In his atque multis aliis, mille, numero singulari dictum est. neque hoc, ut quidam putant, vetustati concessum est. aut per figurarum concinnitatem admissum est: sed sic videtur ratio poscere. mille, enim non pro eo ponitur quod Græcè χίλιοι dicitur, sed quod χιλιάς. & sicuti vna χιλιάς & duæ χιλιάδες; ita vnum mille & duo milia certa atque directa ratione dicitur. quamobrem id quoque rectè & probabiliter dici solitum, mille denarium in arca est, & mille equitum in exercitu est. *Lucilius autem, præter quod supra posui, alio quoque in loco id manifestius demonstrat. nam in libro quintodecimo ita dicit.*

Hunc milli passum qui vicerit atque duobus,

Campanus sonipes subcursor nullus sequetur

Maiore spatio; ac diuersus videbitur ire.

*Item alio in libro nono.*

Tu milli nummum potes vno quærere centum.

Milli passum dixit, pro mille passibus, & vno milli nummum, pro, vnis mille nummis; aperteque ostendit mille & vocabulum esse, & singulari numero dici, eiusque pluratiuum esse, milia, & casum etiam capere ablatiuum; neque ceteros casus requiri oportere, cum sint alia pleraque vocabula quæ in singulos tantum casus, quædam etiam quæ in nullum declinentur. quapropter nihil tam dubium est, quin *M. Cicero* in oratione, quam

*scripsit pro Milone, ita scriptum reliquerit: Ante fundum Clodij, quo in fundo, propter insanas illas, substructiones, faci è mille hominum versabatur valentium: non, versabantur. quod in libris minus accurate scriptis est. alia enim ratione, mille hominum, alia, mille homine; dicendum est.*

## CAPVT XVII.

Quanta cum animi æquitate tolerauerit Socrates vxoris ingenium intractabile: atque inibi quid M. Vairo in quadam Satyra de officio mariti scripserit.

**X** Antippe Socratis philosophi vxor morosa admodum fuisse fertur & iurgiosa: irarumque & molestiarum muliebrum per diem perque noctem satagebat. Has eius intemperies in maritum Alcibiades demiratus, interrogauit Socratem quanam ratio esset cur mulierem tam acerbam domo non exigeret. Quoniam, inquit Socrates, cum illam domi talem perpetior, insuesco & exerceor, ut ceterorum quoque foris petulantiam & iniuriam facilius feram. Secundum hanc sententiam quoque Varro in satyra Menippea, quam de officio mariti scripsit, Vitium, inquit, vxoris aut tollendum, aut ferendum est. qui tollit vitium; vxorem comodiorem præstat. qui fert; sese meliorem facit. Hæc verba Varronis, tollere, & ferre, lepidè quidem composita sunt: sed, tollere, apparet dictum pro, corrigere. Id etiam apparet eiusmodi vitium vxoris, si corrigi non possit ferendum esse Varronem censuisse: quod ferri scilicet à viro honestè potest. vitia enim flagitiis leuiora sunt.

## CAPVT XVIII.

Quod M. Varro in quãrtodecimo Humanarum, L. Aelium magistrum suum *ᾠεὶ ἐτυμολογίας* differentem falsa reprehenderit: quodque idem Varro in eodem libro furis *ἔτυμον* dicit fallum.

**I**N quãrtodecimo Humanarum libro M. Varro doctissimum tunc ciuitatis hominem L. Aelium errasse ostendit; quod vocabulum Græcum vetus traductum in linguã Romanam, proinde atque si primitus Latine fictam esset, resolverit in voces Latinas ratione etymologica falsa. verba ipsa super ea re Varronis posuimus. In quo L. Aelius noster litteris ornatissimus memoria nostra errauit aliquotiẽs. nam aliquot verborum antiquorum Græcorum, proinde atque essent propria nostra, reddidit causas falsas. non enim leporem dicimus, vt a *τ*, quod est leuipes: sed quod est vocabulũ antiquũ Græcũ. *m*. Ita enim vetera illorum ignorantur, quod, pro iis, aliis nunc vocabulis vtantur; & illorum esse plerique ignorent Græcum, quod nunc nominant *ἔλλωα*; puteum, quod vocant *φρέαρ*; leporem, quod *λαζών* dicunt. in quo non modo Aelii ingenium non reprehendo; sed industriam laudo. successum enim fortuna, experientiam huius sequitur. hæc Varro in primo libro scripsit de ratione vocabulorum scitissime, de vsu vtriusque linguæ peritissime, de ipso Aelio clementissime. sed in posteriore eius libri parte dicit, furem ex eo dictum, quod veteres Romani furuum atrum appellauerint; & fures per noctem, quæ atra sit, facilius furentur. nonne sic videtur Varro de fure errasse, tanquam Aelius de lepore? nam quod à Græcis nunc *κλέων* dicitur, antiquiora

Græca lingua, φῶρ, est dictum. hinc per affinitatem litterarum, qui φῶρ Græcè, Latine fur est. Sed ea res fugeritne tunc Varronis memoriam; an contra aptius & coherentius putarit furem à furuo, id est, nigro appellari; in hac re de viro tam excellentis doctrinæ non meum iudicium est.

## CAP. XIX.

Historia super libris Sibyllinis ac de Tarquinio Superbo rege.

**I**N antiquis annalibus memoria super libris Sibyllinis hac prodita est. Anus hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum regem adit, nouem libros ferens, quos esse dicebat diuina oracula: eos velle venundare. Tarquinus precium percunctatus est. mulier nimium immensum poposcit. rex, quasi anus ætate desiperet, derisit. tum illa foculum coram cum igni apposuit; & tres libros ex nouem deussit: & et quid reliquos sex eodem precio emere vellet, regem interrogauit. sed enim Tarquinus id multò risit magis; dixitque anum iam proculdubio delirare mulier ibidem statim tres libros alios exussit; atque id ipsum denuo placidè interrogauit an tres reliquos eodem precio emat. Tarquinus ore iam serio atque attentiore animo fit: eam constantiam confidentiamque non insuper habendam intelligit: libros tres reliquos mercatur nihilo minore precio quam quod erat petatum pro omnibus. Sed eam mulierè tunc à Tarquinio degressam postea nusquam loci visam constitit. Libri tres in sacrarium conditi Sibyllini appellati. ad eos, quasi ad oraculum, XV. viri aduent, cum dij immortales publicè consulendi sunt.

## CAPVT XX.

Quid Geometræ dicāt schemata, quibúsque omnia ista Latinis vocabulis appellentur.

**F**igurarum, quæ ἑπίματα geometra appellant; generâ sunt duo: planum & solidum. hæc ipsi vocant ἐπιπέδον καὶ σφαιρόν. Planum est; quod in duas partis solum lineas habet, quæ latum est & quæ longum: qualia sunt triquetra & quadrata, quæ in area sunt, sine altitudine. Solidum est; quâdo non longitudines modò & latitudines planas numeri linearum efficiunt, sed etiam extollunt altitudinem: quales sunt fermè metæ trianguli, quas pyramidas appellant; vel qualia sunt quadrata undique, quæ ἰσοπέδι οἱ ἡμεῖς, nos quadrantalia dicimus. ἰσοπέδι enim est figura ex omni latere quadrata: quales sunt, inquit M. Varro, tesserae, quibus in alueolo luditur; ex quo ipsæ quoque appellatæ ἰσοπέδι. in numeris etiâ similiter ἰσοπέδι dicitur, cum omne latus eiusdem numeri equaliter in sese soluitur; sicuti fit cum ter terna ducuntur: atque idem ipse numerus triplicatur. Huius numeri cubum Pythagoras vim habere lunaris circuli dixit: quod & luna orbem suum lustret septem & viginti diebus; qui numerus ternio, qui Græcè dicitur τετρας, tantundem efficiat in cubo. Linea autem à nostris dicitur, quam γραμμὴ Græci vocant. eam M. Varro ita definit: Linea est, inquit, longitudo quædam sine latitudine & altitudine. Euclides autem brevius, prætermittâ altitudine, γραμμὴ inquit, ἐστὶ μῆκος ἀπὸ ἀπέρας. quod exprimere vno Latino verbo non queas, nisi audeas dicere illatabile.

## CAPVT XXI.

Quod Iulius Higinus affirmatissimè contenderit legisse se librum P. Virgilii domesticum, in quo scriptum esset; *& ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror*, non, quod vulgus legeret; *sensu torquebit amaro.*

**V**ersus istos ex Georgicis Virgilij plerique omnes sic legunt:

At sapor indicium faciet manifestus: & ora  
Tristia tentantum sensu torquebit amaro.

Higinus autem non hercle ignobilis grammaticus, in commentariis quae in Virgilium fecit, confirmat & perseverat non hoc à Virgilio relictum sed quod ipse inuenerit in libro, qui fuerit ex domo atque familia Virgilij,

---& ora

Tristia tentantum sensu torquebit amaror. neque id soli Higinio sed doctis quibusdā etiā viris cōplacitum. quoniam videtur absurdè dici; sapor sensu amaro torquet; cum ipse, inquit, sapor sensus sit, non alium in semetipso sensum habeat: ac proinde sit quasi dicatur; sensus sensu amaro torquet. Sed enim cum Favorinus Higini commentarium legisset; atque ei statim displicita esset insolentia & insuauitas illius; sensu torquebit amaro: risit, & Iouem lapidem, inquit, quod sanctissimum iusiurandum est habitum, paratus sum ego iurare Virgilium hoc nunquam scripsisse. sed Higinum ego dicere verum arbitror. non enim primus finxit hoc verbum Virgilius insolenter: sed in carminibus Lucretij inuentum est: nec est aspernatus auctoritatē poëtae ingenio & facultate praecellentis. verba ex quarto Lucretij haec sunt,

-- dilutáque contra,

Cum tuimur misceri absynthia : tangit amaror.

*Non verba autem sola sed versus propè totos & locos quoque Lucretij plurimos sectatum esse Virgilium videmus.*

## CAPVT XXII.

An, qui causas defendit, rectè Latinèque dicat superesse se ei, quod defendit, & superesse, proprie quid sit.

**I**Roborauit inueterauitque falsa atque aliena verbi significatio eius, quod dicitur; hic illi superest; cum dicendum est, aduocatum esse quem cuiquam, causamque eius defendere. atque id dicitur, non in compitis tantum neque in plebe vulgaria, sed in foro, in comitio, apud tribunalia. qui integrè autem locuti sunt, magnam partem, superesse, ita dixerunt, ut eo verbo significarēt superfluere & superuacare atque esse supra necessarium modum. itaque M. Varro in Satyra, qua inscripta est, Nescis quid vesper ferus vehat, superfuisse dicit immodicè & intempestiuè fuisse. verba ex eo libro hæc sunt. In conuiuio legi nec omnia debent, & ea potissimum quæ simul sunt βιωφελῆς, & delectent potius: ut id quoque videatur non defuisse magis quàm superfuisse. Memini ego prætoris docti hominis tribunali me forte assistere; atque ibi aduocatum non incelebrem sic postulare, ut extra causam diceret, remque, qua agebatur, non attingeret. tunc prætorem ei, cuius res erat, dixisse, aduocatum eum nō habere: & cum is, qui verba faciebat, reclamaſset: ego illi V. Cl. super sum: respondi prætorem festiuiter; tu planè superes, non ades. M. autem Cicero in libro, qui inscriptus est de iure civili in

artem redigendo, verba hæc posuit. Nec verò scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit; doctrina etiam superfuit. *in quo loco, superfuit, significare videtur, supra fuit & præstitit, superavitque maiores suos doctrina sua superfluenti, tum & nimis abundanti. disciplinas enim Tubero Stoicas & dialecticas percalluerat. In libro quoque de Rep. secundo id ipsum verbum Ciceronis non temere transeundum. verba ex eo libro hæc sunt. Nō grauarer, Læli, nisi & hos velle putarem, & ipse cuperem te quoque aliquam partem huius nostri sermonis attingere: præsertim cū heri ipse dixeris, te nobis etiam superfuturum. verū, si id quidem fieri non potest, ne desis omnes te rogamus. exquisitè igitur & compertè Iulius Paulus dicebat homo in nostra memoria doctissimus, superesse non simplici ratione dici tam Latine, quàm Gracè: Gracos δεῖναι in utrāque partē ponere; vel quòd superuacaneum esset ac non necessarium, vel quòd abundans nimis & affluens & exsuperans. sc̄ quoque nostros veteres superesse aliàs dixisse, pro superfluenti & superuacuo neque admodum necessario, ita ut supra posuimus Varronem dicere: aliàs ita, ut Cicero dixit, pro eo quod copia quidem & facultate ceteris anteiret, supra modum tamen & largius prolixiusque flueret, quàm esset satis. Qui dicit ergo se superesse ei, quem defendit, nihil istorum vult dicere: sed nescio quid aliud indictum inscitumque dicit. at ne Virgilij quidem poterit auctoritate uti, qui in Georgicis ita scripsit.*

Primus ego in patriam mecum modò vita superfit.

hoc enim in loco Virgilius ἀνεπερέως verbo usus videtur; quòd superfit dixit pro longinquius diutiusque adfit. illud cōtra eiusdem Virgilij est aliquanto probabilius:



Florentíſque ſecant herbas, fluuioſque mini-  
ſtrant,  
Farráque; ne blando nequeant ſuperesse la-  
bori.

*ſignificat enim ſupra laborem eſſe, neque opprimi à labore. An autem ſuperesse dixerint veteres pro reſtare & perficienda rei deſſe quarebamus. nam Salluſtius in ſignificatione iſta non ſuperesse, ſed ſuperare dicit. verba eius in Iugurtha hæc ſunt. Is plerúq; ſeorſum à rege exercitum ductare, & omnis res exſequi ſolitus erat, quæ Iugurthæ feſſo aut matoribus aſtricto ſuperauerant. Sed inuenimus in tertio Ennii annalium in hoc verſu,*

Inde ſibi memorat vnum ſuperesse laborem. id eſt, reliquum eſſe & reſtare. quod quidem diuiſè pronunciandum eſt; vt non vna pars orationis eſſe videatur, ſed duæ. Cicero autem in ſecunda Antonianarum, quod eſt reliquum, non ſuperesse, ſed. reſtare dicit. præter hæc, ſuperesse, inuenimus dictum pro ſuperſtitem eſſe. ita enim ſcriptum eſt in libro epistoſarum M. Ciceronis ad Plancum, in epistoſa Aſinij Pollionis ad Ciceronem verbis hiſ. Nam neque deſſe reip. volo, neque ſuperesse. per quod ſignificat, ſi reſpublica emoriatur & pereat, nolle ſe viuere. in Plauti autem Aſinaria manifeſtius idipſum ſcriptum eſt in iis verſibus, qui ſunt eius comædia primi.

Sicut tuum viſ vnicum gnatum tuæ

Superesse vitæ ſoſpitem & ſuperſtitem.

Cauenda igitur eſt non improprietat ſolum verbi, ſed e-  
tiam prauitatis omnis; ſi quis ſenior aduocatus adoleſcenti  
ſe ſuperesse dicat.

*Sola  
omniū  
ſe nunc ſi  
ſe m. acc. d. q.  
ſe accipit*

## CAPVT XXIII.

Quis fuerit Papirius Prætextatus; quæve istius causa cognomen sit: historiâque illa omnis super eodem Papirio cognita iucunda.

**H**istoria de Papirio Prætextato dicta scriptâque est à M. Catone in oratione, quæ usus est ad milites contra Galbam, cum multa quidem venustate atque luce atque munditia verborum. ea Catonis verba huic prorsus commentario indidissim, si libri copia fuisset id temporis cum hæc dictavi. quod si non virtutes dignitatésque verborum, sed rem ipsam scire quæris; ferme ad hunc modum est. Mos antea senatoribus Romæ fuit in curiam cum prætextatis filiis introire. Cùm in senatu res maior quæpiam consultata, eaq. in diem posterum prolata est; placuit: que ut hanc rem, super qua tractauissent, ne quis enuntiaret prius quàm decreta esset. mater Papirij pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percunctatur filium quidnam in senatu patres egissent. puer respondit tacendum esse; neque id dici licere. mulier fit audiendi cupidior. secretum rei et silentium deberi puer affirmans animum eius ad inquirendum euerberat. quærit igitur compressus violentiusque. tum puer, matre urgente, lepidi atque fistui mendacij consilium capit. actum in senatu dixit utrum videretur utilius magisque è republica esse, vnusne ut duos uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset. hoc illa ut audiuit: animo compauescit; domo trepidans egreditur; ad ceteras matronas defert quod audierat. perueniunt ad senatum postera die matrum familias caterua; lacrimantes atque obsecrantes orant una potius ut duobus nupta fieret, quam ut uni duæ senatores ingredientes in curiam, quæ illa mulierum intemperies & quid sibi postulatio

*isthac vellet, mirabantur. puer Papius in medium curiæ progressus, quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset, rem, sicuti fuerat, denarrat. senatus fidem atque ingenium pueri deosculatus consultum facit, uti posthac pueri cum patribus in curiam ne introcant, nisi ille vnus Papius: eique puero postea cognomentum, honoris gratia, inditum Prætextatus; ob loquendi tacendique in ætate prætextata prudentiam.*

## CAPVT XXIII.

Tria epigrammata trium veterum poëtarum, Næuii, Plauti, Pacuuii, quæ facta ab ipsis sepulchris ipsorum incisa sunt.

**T**rium poëtarum illustrium epigrammata, Cn. Næuii, M. Plauti, M. Pacuuii, quæ ipsi fecerunt & incidenda suo sepulchro reliquerunt, nobilitatis eorum gratia & venustatis, scribenda in his commentariis esse duxi. Epigramma Næuii plenum superbiæ Campanæ: quod testimonium esse iustum potuisset, nisi ab ipso dictum esset:

Mortalis immortalis flere si foret fas:

Flerent diuæ Camœnæ Næuiom poëtam.

Itaque postquam est Orch-no traditus the fauro;

Oblitei sunt Romæ loquier Latina lingua.

*Epigramma Plauti; quod dubitabemus an Plauti foret, nisi à M. Varrone positum fuisset in libro de poëtis primo:*

Postquam morte datu' st Plautus: comœdia luget;

Scena est deserta. dein Risus, Ludu', Iocúsq.,

Et Numeri innumeri simul omnes collacrumarunt.

*Epigramma Pacuuii verecundissimum & purissimum, dignumque eius elegantissima gravitate.*

Adolescens, tamen et si properas, hoc te saxum  
rogat,

Vtei ad se aspicias : deinde quod scriptu-  
st legas.

Hic sunt poetæ Marcei Pacuuii sita

Ossa. hoc volebam nescius ne esses, vale.

## CAPVT XXV.

Quibus verbis M. Varro inducias definierit: quæ-  
situmque inibi curiosius, quænam ratio sit vo-  
cabuli induciaum.

**D***vobis modis M. Varro in libro Humanarum, qui est de bello & pace, Induciæ quid sint definit. Induciæ, inquit, sunt pax castrælis paucorum dierum. item alio in loco, Induciæ, inquit, sunt belli feriæ. Sed lepida magis atque iucunda brevitatis utraque definitio quàm plena aut proba esse videtur. nam neque pax est induciæ (bellum enim manet, pugna cessat.) neque in solis castris neque paucorum tantum dierum induciæ sunt. quid enim dicemus, si induciis in mensum aliquot factis castris concedatur? nonne tum quoque induciæ sunt? aut rursus quid esse id dicemus, quod in primo annali Quadrigari scriptum est. C. Pontium Samnitum à dictatore Romano sex horarum inducias postulasse, si induciæ paucorum tantum dierum appellandæ sunt? belli autem ferias festinè magis dixit quàm apertè atque definite. Græci autem significantius consignantibusque cessationem istam pugnae pactitiam ἐνεχέσιαν dixerunt, exempta vna litera sonitus vastioris, & subiuncta lenioris. nam quod eo tempore non pugnetur & manus cohibeantur, ἐνεχέσιαν appellarunt. Sed profectò non id fuit Varroni*

negotium, ut inducias superstitione definirer, & legibus rationibusque omnibus definitionum inseruiret. satis enim visum est, eiusmodi facere demonstrationem. quod genus Græci τῦπος magis & ὑποσχεσις, quam ὀπισθοὺς vocant. Induciarum autem vocabulum qua sit ratione factum iam diu est quod querimus. sed ex multis quæ iam audiuius vel legimus probabilius id quod dicam videtur. inducias sic dictas arbitramur, quasi τῦδικας inde uti iam. pactum induciarum huiusmodi est, ut in diem certum non pugnetur, nihilque incommodi detur, sed ex eo die postea uti iam omnia belli iure agantur. quod dicitur dies certus præfinitus, pactumque sit, ut ante eum diem ne pugnetur, atque is dies ubi venit inde uti iam pugnetur: iccirco ex iis, quibus dixi, vocibus, quasi per quendam coitum & copulam nomen induciarum connexum est. Aurelius autem Opilius, in primo librorum quos Musarum inscripsit, Induciæ, inquit, dicuntur, cum hostes inter sese vtrunque utroque alter ad alterum impune & sine pugna ineunt. inde ab eo, inquit, nomen esse factum videtur, quasi initus atque introitus. Hoc ab Aurelio scriptum propterea non præterij, ne cui harum noctium æmulo eo tantum nomine elegantius id videretur, tanquam id nos originem verbi requirentes fugisset.

## CAPVT XXVI.

Quem in modum mihi Taurus philosophus responderit percundanti an sapiens irasceretur.

**I**Nterrogavi in diatriba Taurum an sapiens irasceretur dabat enim sæpe post quotidianas lectiones querendi quod quis vellet potestatem. is cum grauiter & copiose de morbo affectiue iræ disseruisset, quæ & in veterum libris & in ipsis commentariis exposita sunt: conuertit

ad me, qui interrogaueram, & Hæc ego, inquit super irascendo sentio. sed & quid Plutarchus noster vir doctissimus ac prudentissimus senserit, non ab re est, ut id quoque audias. Plutarchus, inquit, seruo suo nequam homini & contumaci, sed libris disputationibusque philosophiæ aures imbutas habenti, tunicam detrahi ob nescia quod delictum, cædique eum loro iussit. cæperat verberari; obloquebatur non meruisse ut vapulet; nihil mali nihil sceleris admisisset. postremo vociferari inter vapulandum incipit: neque iam querimonias aut gemitus euulatusque facere, sed verba seria & obiurgatoria: Non ita esse Plutarchum ut diceret; philosophum irasci turpe esse: sæpe eum de malo iracundiæ edissertauisset; librum quoque τῆς ἀπογνωστῆς pulcherrimum conscripsisset; iis omnibus, quæ in eo libro scripta sunt, nequaquam conuenire, quod prouolutus effususque in iram plurimis se plagis mulcaret. tum Plutarchus lente & leniter, Quid autem, inquit, verbero, nunc ego tibi irasci videor? ex vultu meo, an ex voce, an ex colore, an etiam ex verbis correptum esse me ira intelligis? mihi quidem neq. oculi epinor truces sunt, neque os turbidum; neque immaniter clamo; neque in spumam ruboremue efferveſco; neque pudenda dico aut pœnitenda; neque omnino trepido ira & gestio. hæc enim omnia, si ignoras, signa esse irarum solent. & simul ad eum, qui cadebat, conuersus, interim, inquit, dum ego atque hic disputamus, hoc tro age. Summa autem totius sententiæ Tauri hæc fuit. non idem esse existimauit ἀπογνωστῆς καὶ ἀναγνωστῆς; aliudq. esse non iracundum animum, aliud ἀνάγνωστος καὶ ἀναίδουτος. nam aliorum omnium, quos Latini philosophi affectus vel affectiones, Græci πάθη appellat; ita huius quoq; motus animi, qui cum est ulciscendi causa sauior, ira dicitur, non priuationem esse utilem censuit, quæ Græci σθένος dicunt; sed mediocritatem, quam μετρίότης illi appellant.

A. GELLI NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
SECVNDVS.

CAPVT I.

Quo genere solitus sit philosophus Socrates  
exercere patientiam corporis: deque eiusdem  
viri patientia.



**N**TER labores voluntarios & exercitia  
corporis, ad fortuitas patientia vices, firma-  
mentum id quoque accepimus Socratem face-  
re insuenisse. Stare solitus Socrates dicitur,  
pertinaci statu, per dius atque pernox à summo lucis ortu  
ad Solem alterum orientem, inconniuens, immobilis, isdem  
in vestigiis, & ore atque oculis eundem in locum directis  
cogitabundus, tamquam quodam secessu mentis atque ani-  
mi factò à corpore. Quam rem cum Favorinus, de fortitu-  
dine eius viri ut pleraque differens, attigisset, πολλὰς,  
inquit, ἐξ ἡλίου εἰς ἡλίον ἐστῆκεν ἀπαβέσσερος ἢ πρέ-  
μων. Temperantia quoque eum fuisse tanta traditum est,  
ut omnia ferè vitæ suæ tempora valetudine inoffensa vi-  
xerit. in illius etiam pestilentia vastitate, quæ, in bello  
Peloponnesiaco, im-prime ipsam Atheniensium ciuitatem  
internecino genere morbi depopulata est, is parcendi mode-  
randique rationibus dicitur & à voluptatum labe cauif-  
se, & salubritates corporis retinuisse; ut nequaquam fue-  
rit communi omnium cladi obnoxius.

Soluius ad A.  
lib 2. miles p.  
34  
Lyndi inconni-  
immobilis

## CAPVT I I.

Quæ ratio obseruatióque officiorum esse debeat inter patres filiósque in discumbendo sedendóque, atque in id genus rebus domi forísque, si filii magistratus sunt & patres priuati: superque ea re Tauri philosophi dissertatio, & exemplum ex historia Romana petitum.

refert Ioann.  
vis. v. i. u. f. u.  
u. r. a. t. i. o. n. i. s. Lib.  
cap. 7.

**A**D philosophum Taurum Athenas, visendi cognoscendique eius gratia, venerat V. C. L. præses Cretæ prouinciæ; & cum eo simul eiusdem præsidis pater. Taurus, sectatoribus commodum dimissis, sedebat pro cubiculi sui foribus, & cum assistentibus nobis sermocinabatur. introiuit prouinciæ præses & cum eo pater. assurrexit placidè Taurus; & post mutuam salutationem resedit. allata mox una sella est, quæ in promptu erat: atque dum alia promebantur, apposita est. inuitauit Taurus patrem præsidis ut sederet. atque ille ait; Sedeat hic potius, qui populi Romani magistratus est. Absque præiudicio, inquit Taurus, tu interea sede, dum inspiciamus querimusque utrum conueniat, tene potius sedere qui pater es, an filium qui magistratus est. & cum pater assedisset, appositumque esset aliud filio quoque eius sedile, verba super ea re Taurus facit cum summa, di boni! honorum atque officiorum perpensatione. eorum verborum sententia hæc fuit. In publicis locis atque muneribus atque actionibus patrū iura cum filiorum qui in magistratu sunt, potestatibus collata interquiescere paululum & conuiuere. sed cum extra rempub. in domestica re atque vita sedeatur, ambulatur, in conuiuio quoque familiari discumbatur; tum inter filium magistratū & patrem priuatum publicos honores cessare; naturales & genuinos exoriri. hoc igitur,



inquit, quod ad me venistis, quod colloquimur nunc, quod de officiis disceptamus; priuata actio est. itaque utere apud me iis honoribus prius, quibus domi quoque vestra te uti priorem decet. Hac atque alia in eandem sententiam Taurus grauiter simul & comiter disseruit. Quid autem super huiuscemodi patris atque filij officio apud Claudium legerimus, non ab re visum est ut adscriberemus. possumus igitur verba ipsa Quadrigarij ex annali eius sexto transscripta. Deinde facti conules Sempronius Gracchus iterum, Q. Fabius Maximus filius(eius, qui priore anno erat consul. ei consuli pater proconsul obuiam in equo vehens venit. neque descendere voluit, quod pater erat; & quod inter eos sciebant maximam concordia conuenire lictores non auti sunt descendere inbere. Vbi iuxta uenit, tum consul ait, Descendere iube. quod postea quam licitor ille, qui apparebat, citò intellexit, Maximum proconsulem descendere iussit, Fabius imperio paret: & filium collaudauit, cum imperium, quod populi esset, retineret.

## CAPVT III.

Qua ratione uerbis quibusdam uocabulisque ueteres immiserint, h, litteræ spiritum.

**H** litteram siue illam spiritum magis quam litteram dici oportet, inferebant eam ueteres nostri plerisque uocibus uerborum firmandis roborandisque, ut sonus earum esset uiridior uergetiorque atque id uidentur fecisse studio & exemplo lingue Atticæ. satis enim notum est esse Atticos ἠδω, ἴπov, multa itidem alia, citra morem gentium Graciæ ceterarum, inspirantis primæ litteræ dixisse. sic lachrymas, sic sepulchrum, sic ahenum, sic uehe-

*mens, sic inchoare, sic belluari, sic hallucinari, sic honorari, sic honestum dixerunt. in his enim verbis omnibus littera, seu spiritus istius nulla ratio visa est, nisi ut firmitas & vigor vocis, quasi quibusdam nervis additis, intendere-  
retur. Sed quoniam, aheni, quoque exemplo usi sumus, venit nobis in memoriam Fidum Optatum multi nominis Romæ grammaticum ostendisse mihi librum Æncidos secundum mirandæ vetustatis, emptum in sigillariis x x. aureis, quem ipsius Virgilij fuisse credebat: in quo duo isti versus cum ita scripti forent;*

Vestibulum ante ipsum primoque in limine  
Pyrrhus

Extultat telis & luce coruscus æna:

*additam supra vidimus, h, litteram, & aheni, factum. sic in illo quoque Virgilij versu in optimis libris scriptum inuenimus;*

Aut foliis vndam tepidi dispumat aheni.

#### C A P V T I I I I.

Quam ob causam Gabius Bassus genus quoddam iudicij diuinationem appellari scripsit: & quã aliã causam esse eiusdẽ vocabuli dixerint.

**C**um de constituendo accusatore queritur, iudicium-  
que super ea re redditur, cui-nam potissimum ex duobus pluribusve accusatio subscriptione in reum permit-  
tatur; ea res atque iudicium cognitio, diuinationo, appel-  
latur. id vocabulum quam ob causam ita factum sit  
queri solet. Gabius Bassus in tertio librorũ quos de origine  
vocabulary composuit, Diuinationo, inquit, iudicium  
appellatur: quoniam diuinare quodammodo  
iudicem oporteat, quam sententiam sese ferre  
par sit. Nimis quidem est in verbis Gabii Bassi ratio im-  
perfe-

*Et vel magis inops & ieiuna. sed videtur eum significare velle, iccirco dici diuinationem; quod in aliis quidem causis iudex ea, quæ dicit quæque argumentis vel testibus demonstrata sunt, sequi solet: in hac autem re, cum eligendus accusator est, parua admodum & exilia sunt, quibus moueri iudex possit; & propterea, quinam magis ad accusandum idoneus sit quasi diuinandum est. hoc Bassus. Sed alii quidem diuinationem esse appellatam putant, quoniam cum accusator & reus duæ res quasi cognatæ coniunctæq; sint, neque vtra sine altera constare possit; in hoc tamen genere causa reus quidem iam est, sed accusator nondum est; & iccirco, quod adhuc vsque deest & latet, diuinatione supplendum est, quisnam sit accusator futurus.*

## CAPVT V.

Quàm lepide designatæque dixerit Fauorinus philosophus, quid intersit inter Platonis & Lysia orationem.

**F**auorinus de Lysia & Platone solitus est dicere, *Si ex Platonis, inquit, oratione verbum aliquod demas mutæve, atque id commodissimè facias: de elegantia tantum detraxeris, si ex Lysia; de sententia.*

## CAPVT VI.

Quibus verbis ignauiter & abiecte Virgilius vultus esse dicatur; & quid iis, qui id improbè dicunt, respondeatur.

**N**onnulli grammatici atatis superioris, in quibus est Cornutus Annaeus, haud sanè indocti neque ignobiles, qui commentaria in Virgilium composuerunt, reprehendunt quasi incuriose & abiecte verbum positum

in his versibus :

Cárida succinctá latrantibus inguina mó<sup>?</sup> is  
Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto

A'timidos nautas canibus lacerasse marinis.  
vexasse enim putant verbum esse leue & tenuis ac parvi  
incommodi; nec tanta atrocitati congruere, cum homines  
repentè à bellua immaniſſima rapti laniatique sint. item  
aliud huiusmodi reprehendunt.

---Quis aut Euristhea durum

Aut illaudati nescit Busyridis aras?

illaudati parum idoneum esse verbum dicunt; neque id  
satis esse ad faciendum scelerati hominis detestationem:  
qui quòd hospites omnium gētium immolare solitus fuit,  
non laude indignus sed detestatione, execrationeque to-  
tius generis humani dignus esset. item aliud verbum cul-  
pauerunt.

Per tunicam squalentem auro latus haurit  
apertum.

tanquam si non conuenerit dicere, auro squalentem:  
quoniam nitoribus splendoribusque auri squaloris illumines  
sit contraria. sed de verbo, vexasse, ita responderi posse  
credo. vexasse graue verbum est; factumque ab eo vide-  
tur, quod est, vehere. in quo inest iam vis quadam alie-  
ni arbitrij. non enim sui potens est, qui vehitur. Vexare  
autem, quod ex eo inclinatum est, vi atque motu procul-  
dubio vastiore est. nam qui fertur & raptatur atque huc  
atque illuc distrahitur; is vexari propriè dicitur. sicuti  
taxare pressius crebriusque est, quàm tangere; unde pro-  
culdubio id inclinatum est: & iactare multo fusius lar-  
giusque est, quàm iacere; unde id verbum traductum  
est. & quassare, quàm quaterere grauius violentiusque  
est. non igitur, quia vulgo dici solet vexatum esse quem  
fumo aut vento aut puluere, propterea debet vis vera at-

que natura verbi deperire: quæ à veteribus, qui proprie atque signate locuti sunt, ita ut decuit conseruata est. M. Catonis verba sunt ex oratione, quam de Achaïis scripsit. Cùmque Hannibal terram Italiam laceraret atque vexaret. vexatam Italiam dixit Cato ab Hannibale, quando nullum calamitatis aut seuitiæ aut immanitatis genus reperiri queat, quod in eo tempore Italia non perpeffa sit. M. TULLIUS IIII. in Verrem. Quæ ab isto sic spoliata atque direpta est, vt non ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionem & consuetudinis iura retineret, sed vt à barbaris prædonibus vexata esse videatur. De illa laudato autem duo videntur responderi posse. vnum est eiusmodi. nemo quisquam tam efflictiis est moribus, quin faciat aut dicat nonnunquam aliquid quod laudari queat. vnde hic antiquissimus versus vicem prouerbij celebratus est,

Πολλάκι γὰρ καὶ μωρός ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

sed enim qui omni in re atque omni tempore laude omni vacat, is illaudatus est; isq; omnium pessimus deterrimusque est. sicuti omnis culpæ priuatio inculpatum facit. inculpatum autem instar est absoluta virtutis; illaudatus igitur quoque finis est extremae malitiæ. itaque Homerus nō virtutibus appellandis, sed vitiis detrahendis laudare ampliter solet. hoc enim est;

ἢ ὑδαμάνης ἀμύμων.

τὸ δ' οὐκ ἀκοντε πετέδλω.

Et item illud;

Ἐνθ' οὐκ αὖ ἐρίζοντα ἴδοις Ἀγαμέμνονα δῖον,

Οὐδὲ καταπύωσον τ', οὐδ' οὐκ ἐδέλοντα μάχεσθαι.

Epicurus quoque simili modo maximam voluptatem detractionem priuationemque omnis doloris definiuit his verbis; ὅς τ' ἐτὲ μέγθες τῶν ἡδονῶν παντὸς τῆ ἀλγούτου ὑπεξείρεσις. Eadem ratione idem Virgilius inamabilem

dixit *Stygiam paludem*. nam sicut illaudatū *κατὰ* laudis *σεπνοῖν*, ita inamabilem, *κατὰ* amoris *σεπνοῖν* detestatus est. Altero modo illaudatus ita defenditur. laudare significat prisca lingua nominare appellareque. sic in actionibus civilibus auctor laudari dicitur, quod est nominari. illaudatus enim est quasi illaudabilis; qui neque mentione aut memoria ulla dignus neque unquam nominandus est. sicuti quondam à communi concilio Asia decretum est, uti nomen eius, qui templum Dianae Ephesiae incenderat, ne quis ullo in tempore nominaret. Tertium restat ex iis, quae reprehensa sunt, quod tunicam qualentem auro dixit. id autem significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intexti. squallere enim dictum est à squamarum crebritate asperitateque; quae in serpentium pisciumque coriis visuntur. quam rem et alij, & hic quidem poeta locis aliquot demonstrat.

Quem pellis, inquit, ahenis

In plumam squamis auro conferta tegebat.

Et alio loco,

Iamque adeo rutilum thoraca indutus ahenis

Horrebat squamis.

Accius in Pelopidis ita scribit,

Eius serpentis squamae squallido auro & purpura praetextae.

Quicquid igitur nimis inculcatum obsitumque aliqua re erat, ut inculceret visentibus facie nova horrorem, id squallere dicebatur. sic in corporibus incultis squamosaque alta congeries sordium squallor appellatur. cuius significationis multo assiduoque usu totum id verbum ita contaminatum est, ut iam squallor de re alia nulla, quam de solis inquinamentis dici coeperit.

## CAPVT VII.

De officio erga patres liberorum: de que ea re ex philosophiæ libris; in quibus scriptum quæ situmque est, an semper omnibusque patris iussis obsequendum sit.

**Q**uari solitum est in philosophorum disceptationibus, an semper inque omnibus iussis patri parendum sit. Super ea re Græci nostrique, qui de officiis scripserunt, tres sententias esse quæ spectandæ considerandæq; sint. tradiderunt; easque subtilissime diiudicauerunt. earum vna est; omnibus quæ pater imperat parendum. altera est; in quibusdam parendum, quibusdam non obsequendum. tertia est; nihil necessum esse patri obsequi & parere. Hæc sententia, quoniam primore adpectu nimis infamis est: super ea, prius quæ dicta sunt dicemus. aut rectè, inquit, imperat pater aut perperam. si rectè imperat; non quia imperat parendum, sed, quoniam id fieri ius est, faciendum est. si perperam; nequaquam scilicet faciendum quod fieri non oportet. deinde ita concludunt. nunquam est igitur patri parendum, quæ imperat. Sed neque istam sententiam probari accepimus. argutiola quippe hæc, sicuti mox ostendemus, friuola & inanis est. neque autem illa, quam primo in loco diximus, vera & proba videri potest: omnia esse, quæ pater iusserit, parendum. quid enim? si proditionem patriæ, si matris necem, si alia quadam imperarit turpia aut impia. media igitur sententia optima atque tutissima visa est; quædam esse parendum, quadam non obsequendum. sed ea tamen, quæ obsequi non oportet, leniter & verecunde ac sine detestatione nimia sinèque opprobriatione acerba reprehensionis declinanda sensim & relinquenda esse dicunt, quàm respuenda. conclusio verò

d ij

illa qua colligitur, sicuti supradictum est, nihil patri parendum, imperfecta est; refutarique ac dilui sic potest. Omnia, qua in rebus humanis fiunt, sicut docti censuerunt, aut honesta sunt aut turpia qua sua vi recta aut honesta sunt, ut fidem colere, ut patriam defendere, ut amicos diligere, ea fieri oportet siue imperet pater siue non imperet. sed qua his contraria quaeque turpia & omnino iniqua sunt; ea ne si imperet quidem. quae verò in medio sunt, & à Graecis tum ἀδραροεζ tum μέσα appellantur, ut in militiam ire, rus colere, honores capescere, causas defendere, uxorem ducere, uti iussum proficisci, uti accersitum venire; quoniam & haec & his similia per sese ipsa neque honesta sunt neque turpia, sed, proinde ut à nobis aguntur, ita ipsis actionibus aut probanda fiunt aut reprehendenda: propterea in eiusmodi omnium rerum generibus patri parendum esse censent; veluti si uxorem ducere imperet aut causas pro reo dicere. quod enim utrumque in genere ipso per sese neque honestum neque turpe est; iccirco, si pater iubeat, obsequendum est. quid enim? si imperet uxorem ducere infamem, propudiosam, criminiosam; aut pro reo Catilina aliquo, aut Tubulo aut P. Clodio causam dicere. non scilicet parendum. quoniam accedente aliquo turpitudinis numero desinunt esse per sese haec media atque indifferentia. non ergo integra est propositio dicenda; aut honesta sunt quae imperat pater aut turpia: neque ὁ γὰρ νόμος διεξέμεινον videri potest. deest enim disjunctioni isti tertium; aut neque honesta sunt neque turpia. quod si additur; potest ita concludi: nonnunquam est igitur patri parendum.

## CAPVT VIII.

Quod parum æqua reprehensio Epicuri à Plutarcho peracta sit in syllogismi disciplina.



**P**lutarchus secundo librorum, quos de Homero composuit, imperfecte atque prapostere atque inscite syllogismo esse usum Epicurum dicit: Verbaque ipsa Epicuri ponit. ὁ δάνατ' οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, τὸ δὲ διαλυδὲν ἀναιδιτεῖ, τὸ δὲ ἀναιδιτῶν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. nam pratermisit, inquit, quod in prima parte sumere debuit; ὁ δάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. tum deinde eodem ipso, quod omiserat, quasi posito concessoque, ad confirmandum aliud, utitur. progredi autem hic, inquit, syllogismus nisi illo prius posito, non potest. Vere hoc quidem Plutarchus de forma & ordine syllogismi scripsit. nam si, ut in disciplinis traditur, ita colligere & ratiocinari velis: sic dici oportet; ὁ δάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. τὸ δὲ διαλυδὲν ἀναιδιτεῖ. τὸ δὲ ἀναιδιτῶν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Sed Epicurus, cuiusmodi homo est, non inscitia videtur partem illam syllogismi pratermisisse. neque id ei negotium fuit syllogismum, tamquam in scholis philosophorum cum numeris omnibus & cum suis finibus dicere. & profecto, quia seperatio animi & corporis in morte evidens est, non est ratus necessariam esse eius admonitionem, quod omnibus prorsus erat obuium. sicuti etiam quod conclusionem syllogismi non in fine posuit sed in principio. nam id quoque non imperite factum quis non videt? apud Platonem quoque multis in locis reperias syllogismos repudiato conuersoque ordine isto, qui in docendo traditur, cum elegantissimi quadam reprehensionis contemtionem positos esse.

## CAPVT IX.

Quod Plutarchus euidenti calumnia verbum ab Epicuro dictum infectatus sit.

**I**N eodem libro idem Plutarchus eundem Epicurum reprehendit, quod verbo usus sit parum proprio & ali-

d. iij

na significationis. ita enim scripsit Epicurus; ὅρος τῆς με-  
γέδος τῆς ἠδονῶν, ἢ παντὸς τῆς ἀλγῶντος ἕνεκαίρεσις.  
non, inquit, παντὸς τῆς ἀλγῶντος, sed παντὸς τῆς ἀλγεῖνῆς  
dicere oportuit. detractio enim significanda est doloris, in-  
quit, non dolentis. Nimis minute ac propè etiam subfri-  
gide Plutarchus in Epicuro accusando λέξεις τρεῖς. has  
enim curas vocum verborumque elegantias non modo non  
sectatur Epicurus sed etiam insectatur.

## CAPVT X.

Quid sint fauissæ Capitolinæ; & quid super eo  
verbo M. Varro Seruio Sulpicio quærenti re-  
scripserit.

**S**eruius Sulpicius iuris civilis auctor, vir bene littera-  
tus, scripsit ad M. Varronem: rogauitque ut rescri-  
beret quid significaret verbum, quod in censoriis libris  
scriptum esset. id erat verbū; fauissæ Capitolinæ. Var-  
ro rescripsit, in memoria sibi esse, quod Q. Catulus curator  
restituendi Capitolij dixisset; Voluisse se aream capitolii-  
nam deprimere, ut pluribus gradibus in eandem conscen-  
deretur, suggestusque pro fastigij magnitudine altior  
fieret: sed facere id non quisse, quoniam fauissæ impedis-  
sent. id esse cellas quasdam & cisternas, quæ in area sub  
terra essent; ubi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo  
templo collapsa essent, & alia quadam religiosa do-  
nauis consecratis. at deinde eadem epistola negat quidem  
se in litteris inuenisse cur fauissæ dictæ sint; sed Q. Vale-  
rium Soranum solitum dicere ait, quos thesauros Græco  
nomine appellaremus, priscos Latinos A: illas dixisse;  
quod in eos non rude æs argentumque sed flata signataq;  
pecunia conderetur. coniectare igitur se detractam esse ex  
eo verbo secundam litteram, & fauissas esse dictas cellas

CAPVT XI.

De Siccio Dentato egregio bellatore multa memoratu digna.

**L**. Siccium Dentatum, qui trib plebi fuit, Sp. Tarpeio *A. Haterio* consulibus, scriptum est in libris annalibus plus, quam credi debeat, strenuum bellatorem fuisse; noménque ei factum ob ingentem fortitudinem; appellatúmque esse Achillem Romanum. is pugnasse in hostem dicitur centum & xx. præliis; cicatricem auersam nullam, aduersas quinque & xl. tulisse; coronis esse donatus aureis octo, obsidionali una, muralibus tribus, ciuicis xiiii. torquibus tribus & lxxx. armillis plus centum lx. hastis duodeuiginti. phaleris item donatus est quinquies viciesque. populi militaria dona habuit multiuga; in his prouocatoria pleraque. triumphauit cum imperatoribus suis triumphos nouem.

CAPVT XII.

Considerata perpenfáque lex quædam Solonis speciem habens primorem iniquæ iniustæque legis, sed ad vsum emolumentúmque salubritatis penitus reperta.

**I**n legibus Solonis illis antiquissimis, quæ Athenis axibus ligneis incisæ sunt, quásque latas ab eo Athenienses, ut sempiternæ manerent, pœnis & religionibus sanxerant, legem esse Aristoteles refert scriptam ad hanc sententiam. Si ob discordiam dissensionemque seditio atque discessio populi in duas partis fieret, & ob eam causam ir-

ritatis animis utrinque arma caperentur, pugnareturque. tum qui, in eo tempore in eoque casu ciuili discordia, non alterutra parti sese adiunxerit, sed solitarius seperatusque à communi malo ciuitatis seceſſerit, is domo, patria, fortunisque omnibus careto; exsul extorrisque esto. Cum hanc legem Solonis singulari sapientia præditi legissemus; tenuit nos grauis quædam in principio admiratio requirentes quã ob causam dignos esse pœna existimauerit, qui se procul à seditione & ciuili pugna remouissent. Tum, qui penitus atque alte usum ac sententiam legis inspexerat, non ad augendam sed ad desinendam seditionem legem hanc esse dicebat. & res prorsum se sic habet nam si boni omnes, qui in principio coercendæ seditioni impares fuerint populûmque partitum & amensum non deterruerint ad alterutram partem diuisi sese adiunxerint: tum eueniet, ut cum socii partis seorsum utriusque fuerint, eoque partes ab eis ut maioris auctoritatis uiris temperari ac regi cœperint, concordia per eos potissimum restitui conciliarique possit; dum & suos, apud quos sunt regunt atque mitificant, & aduersarios sanatos magis cupiunt quam perditos. Hoc idem Fauorinus philosophus inter fratres quoque aut amicos dissidentes oportere fieri censebat; ut, qui in medio sunt utriusque partis beneuoli, si in concordia annitenda parum auctoritatis quasi ambigui amici habuerint, tum alteri in alteram partem discedant; ac per id meritum uiam sibi ad utriusque concordiam mœniant. Nunc autem pleraque, inquit, pars utriusque amici, quasi probè faciant, duo litigantes desistunt & relinquunt; deduntque eos aduocatis maleuolis aut auaris, qui lites animasque eorum inflamment, aut odij studio aut lucri.

## CAPVT XIII.

*Liberos in multitudinis numero etiam vnum filium filiámve veteres dixisse.*

**A***Ntiqui oratores, historiae aut carminum scriptores, etiam vnum filium filiámve liberos multitudinis numero appellarunt. id quoque nos cum in complurium veterum libris scriptum aliquotiens aduerterimus, nunc quoque in libro Sempronij Asellionis rerum gestarum quinto, ita positum esse offendimus. Is Asellio sub P. Scipione Africano tribunus militum ad Numantiam fuit; resque eas, quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit. eius verba de Tiberio Graccho tribuno plebi, quo in tempore interfectus in Capitolio est, hæc sunt. Nam Gracchus domo cum proficilceretur: nunquam minus terna aut quaterna milia hominum sequebatur. atque inde infra de eodem Graccho ita scripsit. Orare cœpit, vt se defenderent liberósque suos: eum, quem virilis sexus tum in eo tempore habebat, produci iussit populóque commendauit propè flens.*

## CAPVT XIII.

*Quod M. Cato in libro, qui inscriptus est, CONTRA TIBERIVM EXSVLEM, stitisses vadimonium, per, i, litteram dicit, non, stetitisses: eiusque verbi ratio reddita.*

**I***N libro vetere M. Catonis qui inscribitur, CONTRA TIBERIVM EXSVLEM, scriptum quidem sic erat, Quid si vadimoniú capite obuoluto stitisses? Recte ille stitisses scripsit: sed falsi & audaces emendatores, e, scripto per libros, stetitilles, fecerunt, tamquam*

stitisses vanum & nihili verbum esset. quin potius ipsi nequam & nihili sunt, qui ignorant, stitisses, dictum à Catone, quoniam listeretur vadimonium, non staretur.

## CAPVT XV.

Quod antiquitus ætati senectæ potissimum habitum sunt ampli honores; & cur postea ad maritos & patres idem isti honores delati sint: atque ibi quædam de capite legis Iuliæ septimo.

**A** Pud antiquissimos Romanorum neque generi neque pecunie præstatur honos tribui quàm ætati solutus: maioreſque natu à minoribus colebantur, ad decum propè & parentum vicem: atque in omni loco inque omni specie honoris priores potioreſque habitum. à conuiuio quoque, ut scriptum est in antiquitatibus seniores à minoribus domum deducebantur. cumque morem accepisse Romanos à Lacedæmoniis traditum est; apud quos, Lycurgi legibus maior rerum omnium honos maiori ætati habebatur. Sed postquàm suboles ciuitati necessaria visa est; & ad prolem populi frequentandam præmiis atque inuitamentis usus fuit: tum antelati, quibusdam in rebus, qui uxorem quique liberos haberent, senioribus neque liberos neque uxores habentibus. sic capite septimo legis Iuliæ priori ex consulis fasces sumendi potestas fit; non qui pluris annos natus est, sed qui pluris liberos quam collega aut in sua potestate habet aut bello amisit. sed si par utriusque numerus liberorum est; maritus, aut qui in numero maritorum est, præfertur. si vero ambo & mariti & patres totidem liberorum sunt: tum ille pristinus honos instauratur; & qui maior natu est prior fasces sumit. Super his autem qui aut calibes ambo sunt aut parum numerum filiorum habent, aut mariti sunt & liberos non habent, nihil scriptum

*in lege de atate est. solitos tamen audio, qui lege potiores essent, fasces primi mensis collegis concedere aut longe aetate prioribus, aut nobilioribus multo, aut secundum consulatum ineuntibus.*

## CAPVT XVI.

Quod Cæsellius Vindex à Sulpicio Apollinari reprehensus est in fentus Virgiliani enarratione.

*Virg'lij versus sunt è l. bro sexto.*

**V**ile, vides, pura iuuenis qui nititur hasta  
Proxima forte tenet lucis loca. primus ad auras  
Aetherias Italo commistus sanguine surget  
Siluius Albanum nomen tua postuma proles;  
Quem tibi longæuo serum Lauinia coniunx  
Educet filius regem, gū nque parentem.  
Vnde genus Longa nostrum dominabitur Alba.  
*videbantur hac nequaquam conuenire:*

Tua postuma proles, ♣,  
Quem tibi longæuo serum Lauinia coniunx  
Educet filius regem.

*nam si hic Siluius, ut in omnium fermè annalium monumentis scriptum est, post mortem patris natus est, ob eamque causam prænomen ei impostum hoc fuit: qua ratione subiectum est?*

Quem tibi longæuo serum Lauinia coniunx  
Educet filius.

*Hac enim verba significare videri possunt, Aenea viuo ac iam sene, natum ei Siluium & educatum. itaque hanc sententiam esse verborum istorum Cæsellius opinatus in commentario lectionum antiquarum, Postuma, inquit, proles non eum significat qui patre mortuo sed qui postremo loco natus est. sicuti Siluius; qui Aenea iam sene tardo seioque partu est editus.*

*Sed huius historia auctorem nullum idoneum nominat. Silium autem post Aenea mortem, sicuti diximus, natum multi tradiderunt. iccirco Apollinaris Sulpitius inter cetera, in quibus Casellium reprehendit, hoc quoque eius quasi erratum animadvertit: errorisque istius hancesse causam dixit, quod scriptum ita sit: Quem tibi longæuo. lôgæuo, inquit, non seni (significatio enim esset contra historiae fidem) sed in longum iam æuum perpetuum recepto immortalique facto. Anchises enim, qui hæc dicit ad filium, sciebat eum, cum hominum vita discessisset, immortalem atq; indigetem futurum, & longo perpetuoque æuo potiturum. Hoc sanè Apollinaris argute. sed aliud tamen est longum æuum, aliud perpetuum. neque dij longæui appellantur, sed immortales.*

:

## CAPVT XVI.

Cuiusmodi naturam esse quarundam præpositionum M. Cicero animaduertit: disceptatumque ibi super eo ipso, quod Cicero obseruauerat.

**O**bseruate curioseque animaduertit M. Tullius in & conpræpositiones verbis aut vocabulis præpositas tunc produci atque protendi, cum litteræ sequerentur, quæ primæ sunt in sapiente atque felice; in aliis autem omnibus correpte pronounciari. Verba Cicero nis hæc sunt. Quid vero hoc elegantius quod non fit natura sed quodam instituto. indoctus dicimus breui prima littera; insanus producta: inhumanus breui, infelix longa. et, ne multis, quibus in verbis eæ primæ litteræ sunt, quæ in sapiente atque felice, producte dicuntur; in



ceteris vero omnibus breuiter. itémque composuit, concrepuit, confecit; consule veritatem; reprehendet. refer ad auiis; probabunt. quære cur ita. se dicet iuuari. voluptati aute auuū n. rigerari debet oratio *Manifesta quidē ratio suauitatis est in his vocibus, de quibus Cicero locutus est. sed quid dicemus de præpositione, pro? quæ, cum produci & corripi soleat, obseruationem hanc tamen M. Tullij aspernata est non enim semper producitur cum sequitur ea littera, quæ prima est in verbo felix: quam Cicero hanc habere vim significat. ut propter eam rem, in & con præpositiones producantur. nam profici & profundere & profugere, & profanum, & profecti m correpte dicimus; proferre autem & profligare, & proficere producite. Cur igitur ea littera, quæ Cicero productionis causam facere obseruauit, non in omnibus consimilibus eadem vim aut rationis aut suauitatis tenet: sed aliam vocem produci facit, aliam corripit? neq. vero, con, particula tum solum producitur cum ea littera, de qua Cicero dicit, insequitur. nam & Cato & Sallustius, tenoribu, inquit, coopertus est. Præterea coligatus & conexus producte dicuntur. sed tamen videri potest in ijs, quæ posui, ob eam causam particula hæc produci, quoniam eliditur ex ea, n, littera. nam detrimentum litteræ productione syllabæ compensatur. quod quidem etiam in eo seruatur quod est, cogo. neque repugnat quod coegi, correpte dicimus. non enim salua σ u u a γ ε σ e i dicitur à verbo, quod est, cogo.*

## CAPVT XVIII.

Quod Phædon Socraticus seruus fuit, quodque item alii complusculi seruitutem seruiuerunt.

**P**hadon Elidensis ex cohorte illa Socratica fuit; Socraticus & Platoni per fuit familiaris. eius nemini Plato illum librum diuinum de immortalitate animæ dedit. Is Phædon seruus fuit forma atque ingenio liberali, & ut quidam scripserunt, à lenone domino puer ad merendum coactus. Eum Cebeus Socraticus hortante Socrate emisse dicitur, habuisseque in philosophiæ disciplinis. atque is postea philosophus illustris fuit: sermonesque eius de Socrate admodum elegantes leguntur. Alij quoque non pauci serui fuerunt qui post philosophi clari exstiterunt. ex quibus ille Menippus fuit, cuius libros M. Varro in Satyris amulatus est: quas alij cynicas, ipse appellat Menippeas. Sed & Theophrasti Peripatetici seruus Pœnopolus, & Zenonis Stoici seruus, qui Perseus vocatus est, & Epicuri, cui nomen Mys fuit, philosophi non incelebres vixerunt. Diogenes etiam Cynicus seruitutem seruiuit; sed is ex libertate, in seruitutem venum ierat: quem cum emere vellet Xenia des Corinthius, & quid is artificij nouisset percunctatus: Noni, inquit Diogenes, hominibus liberi imperare. tum Xenia des responsum eius demiratus emit & manumisit; filiosque suos ei tradens, Accipe, inquit, liberos meos, quibus imperes. De Epicteto autem philosopho nobili, quod is quoque seruus fuit, recentior est memoria, quam ut scribi quasi oblitertatum debuerit. Eius Epicteti etiam de se scripti duo versus feruntur; ex quibus latentem intelligas non omnes omnimodis diis exosos esse, qui in hac vita cum arum narū varietate luctantur: sed esse arcanas causas, ad quas paucorum potuit peruenire curiositas.

Δὲλ & Ἐπίκτητος γινόμελω, καὶ σώματι πρὸς,  
Καὶ πένιλω ἴρος, καὶ φίλ & ἀθανάτοις.

## CAPVT XIX.

Rescire verbum quid sit, & quam habeat veram atque propriam significationem.

**V**erbum rescire, obseruauimus vim habere propriam quamdam, non ex communi significatione ceterorum verborum, quibus eadem prepositio, re, imponitur: neque ut, rescribere, relegere, restituere, dicimus; itidem, rescire. nam qui factum aliquod occultius aut inopinatum insperatumque cognoscit, is dicitur proprie rescire. cur autem in hoc uno verbo, re, particula huius sententiae vim habeat, equidem adhuc quero. aliter enim dictum esse, rescui, aut, rescire, apud eos, qui diligenter locuti sunt, nondum inuenimus, quam super his rebus, qua aut occulto consilio latuerint, aut contra spem opinionemue usu venerint. quanquam ipsum scire de omnibus communiter rebus dicatur vel aduersis vel prosperis vel expectatis. *Nauius in Triphallo ita scripsit,*

Si vnquam quicquam filium rescuero

Argentum amoris causa sumptis mutuūm!

Extemplo illō te ducam, vbi non despuas.

*Claudius Quadrigarius in primo arnali.* Ea Lucani vbi rescuierunt, sibi per fallacias verba data esse. *idem Quadrigarius in eodem libro in re tristi & inopinata verbo isto ita utitur.* Id vbi rescuierunt propinqui obsidam, quos Pontio traditos supra demonstrauimus: eorum parentes cum propinquis capillo passo in viam prouolarunt. *M. Cato in quarto Originum:* Deinde Dictator iubet postridie magistrum equitum arcessi. Mittam te, si vis, cum equitibus. Serò est, inquit magister equitum: iam rescuere.

## CAPVT XX.

Quæ vulgò dicuntur *viuaria*; id vocabulum veteres non dixisse; & quid pro eo P. Scipio in oratione ad populum, quid postea M. Varro in libris de re rustica dixerit vsurpatum.

**V**iuaria, quæ nunc dicuntur *septia* quadam loca, in quibus fera vine pascuntur, M. Varro in libro de re rustica tertio dicit leporaria appellari. Verba Varro nis subiicit. Villaticæ pastionis genera sunt tria, ornithones, leporaria, piscinæ. nunc ornithones dico omnium alitum, quæ intra parietes villæ solent pasci. Leporaria te accipere volo, non ea quæ tritavi nostri dicebant, vbi soli lepores sint; sed omnia septa afficta ædificia villæ quæ sunt, & habent inclusa animalia quæ pascuntur. is item infra in eodem libro ita scribit. Cum emisti fundum Tusculanum à M. Pisonè: in leporario apri fuere muli. viuaria autem quæ nunc vulgus dicit sunt quos *ἄγρῶν* Græci appellant: quæ autem leporaria Varro dicit, haud vsquam memini apud vetustiores scriptum. sed quod apud Scipionem omnium ætatis suæ purissime locutum legimus roboraria; aliquot Romæ doctos viros dicere audivi id significare, quod nos viuaria dicimus: appellatæque esse à tabulis roboræis, quibus septa essent: quod genus septorum vidimus in Italia locis plurisque. Verba ex oratione eius contra Claudium Asellum quinta hæc sunt. Vbi agros optimè cultos & villas expolitissimas vidinet; in his regionibus excelssimo locorum murum statuere aiebat: inde corrigere viam, aliis per vineas medias, aliis per roborarium atque piscinam, aliis per villam.

Lacus vero & stagna, quæ piscibus vivis coercentur, clausa suo atque proprio nomine piscinas nominaverunt. Apiaria quoque vulgus dicit loca, in quibus siti sint alveiarum: sed neminem eorum ferme, qui incorrupte locuti sunt, aut scripsisse memini aut dixisse. Marcus autem Varro de re rustica tertio *μελισσῶνες*, inquit, ita facere oportet, quæ quidam mellaria appellant. sed hoc verbum, quo Varro usus est, Gracum est. nam *μελισσῶνες* ita dicuntur, ut *ἀμπέλωνες* & *δαφνῶνες*.

## CAPVT XXI.

Super eo fidere, quod Græci *ἀμαξῶνες*; nos septemtriones vocamus: ac de vtriusque vocabuli ratione & origine.

**A**B Aegina in Piræum complusculi earundem disciplinarum sectatores Græci Romanique homines eadem in navii tramittebamus. nox fuit, & clemens mare; & anni æstas, calidumque liquidè serenum. sedebamus ergo in puppi simul uniuersi, & lucentia sidera considerabamus. sum quispiam ex iis, qui eodem in numero Græcas res eruditi erant, quid *ἀμαξῶνα* esset, quid *ἀρκτος*, quid *βοῶτης*, & quanam maior *ἀρκτος*, & qua minor, cur ita appellata, & quam in partem procedentis noctis spatium mouerentur; & quamobrem Homerus solam eam non occidere dicat, cum & quadam alia non occidant. scitè ista omnia ac perite disserebat. hinc ego ad nostros iuuenes conuertor, & Quid, inquam, vos opici dicitis mihi? quare quod *ἀμαξῶνες* Græci vocant, nos septemtriones vocamus? non enim satis est, quod septem stellas videmus. sed quid hoc totum, quod septemtriones dicimus, significet, scire, inquam id prolixius volo. Tum quispiam ex iis, qui se ad litteras memoriasque veteres dedi-

derant, *Vulgus*, inquit, *g. ammaticorum* septemtrione: à solo numero stellarum dictum putat. triques enim per sese nihil significare aiunt, sed vocabuli esse supplementum; sicut in eo quod quinquaginta dicimus, quod quinque ab idibus dierum numerus sit; atrus nihil significet, sed ego quidem cum *L. Aelio & M. Varrone* sentio, qui *triones* rustico certo vocabulo boves appellatos scribunt, quasi quosdam *tetriones*, hoc est aranda colendaque terra idoneos. itaque hoc sidus, quod à figura posituraque ipsa, quia simile plaustrum videtur, antiqui *Græcorum* *ἀμαζων* dixerunt, nostri quoque veteres à bubus iunctis septemtriones appellarunt: id est, à septem stellis, ex quibus quasi iuncti riones figurantur. præter hanc, inquit, opinionem, id quoque *Varro* addit, dubitare sese an propterea magis hæ septem stellæ *triones* appellata sint, quia ita sunt sita, ut ternæ stellæ proximæ quæque inter sese faciant trigona, id est, triquetras figuras. Ex his duabus rationibus, quas ille dixit, quod posterius est, subtilius elegantiusque visum est, inventibus enim nobis in illud ita propemodum res erat, ut ea forma esse triquetra videretur.

## CAPUT XXII.

De vento *Iapyge* deque aliorum ventorum vocabulis regionibusque accepta è *Favorini* sermonibus.

**A** pud menses *Favorini* in convivio familiari legi solitum erat aut vetus carmen melici poetæ, aut historia partim *Græca* lingua alias *Latina*. Legebatur ergo tunc ibi in carmine Latino iamque ventus, quaesitum est quis hic ventus & quibus ex locis spiraret, & quæ tam infrequentis vocabuli ratio esset: atque etiam petebamus, ut

super ceterorum nominibus regionibusque ipse nos docere  
 vellet, quia vulgo neque de appellationibus eorum neque  
 de finibus neque de numero conueniret. tum Fauorinus ita  
 fabulatus est. Satis, inquit, notum est, limites regionis-  
 que esse cali quatuor, ex ortum, occasum, meridiem,  
 septentrionem. ex ortus & occasus mobilia & va-  
 ria sunt. meridies septentrionesque statim perpetuo  
 stant & manent. oritur enim sol non indidem semper, sed  
 aut æquinoctialis oriens dicitur, cum in circulo cur-  
 rit, qui appellatur ἰσημερινός aut ἰσημερινός, aut sol-  
 stitialis; aut brumalis: quæ sunt θεριναὶ πρῶται καὶ  
 χειμεριναὶ. item cadit sol non in eundem semper locum.  
 fit enim similiter occasus eius aut æquinoctialis, aut  
 solstitialis, aut brumalis. cui ventus igitur ab oriente  
 verno, id est, æquinoctiali venit, nominatur Eurus si-  
 ceto vocabulo, ut isti ἐπιμολογικοὶ aiunt; ἀπὸ τῆς ἑωρῆων.  
 is alio quoque à Græcis nomine ἀπιδιώτης, a Romanis  
 nauticis Subsolanus cognominatur. sed qui ab æstiuâ  
 & solstitiali orientis meta venit, Latine Aquilo; Bo-  
 reas Græcè dicitur. eumque propterea quidam dicunt ab  
 Homero αἰθηνερέτω appellatum: Boream autem pu-  
 tant dictum ἀπὸ τῆς βοῆς; quoniam fit violenti flatus  
 & sonori. tertius ventus, qui ab oriente hiberno spirat:  
 Vulturium Romani vocant. eum plerique Græci mixto  
 nomine, quod inter Notum & Eurum fit, Δερόροτον  
 appellant. hi sunt igitur tres venti orientales; Aquilo,  
 Vulturium, Eurus. quorum medius Eurus est. his op-  
 positi & contrarij sunt alii tres occidentij; Caurus quem  
 solent Græci ἀγέστω vocare. is aduersus Aquilonem flat.  
 item alter Fauonius, qui Græcè vocatur ζέφυρος. is  
 aduersus Eurum flat. tertius Africus, qui Græcè voca-  
 tur λίψ. Is aduersus Vulturium flat. eæ duæ regiones  
 cali orientis occidentisque inter sese aduersæ sex ha-

bere ventos videntur. merides autem, quoniam certo atque fixo limite est, unum meridionalem ventum habet. in Latine Auster, Græce νότος nominatur, quoniam est nebulosus atque humectus. νότις enim Græce humor nominatur. Septentriones autem habent ob eandem causam unum, is obiectus directusque in Austrum Latine Septentrionarius, Græce ἀναπνεύσις appellatur. ex his octo ventis alii quatuor detrahunt ventos; atque id facere se dicunt Homero auctore, qui solos quatuor ventos nominavit, Eurum, Austrum, Aquilonem, Fauonium, versus Homeri sunt

Σὺ δ' ἄρ' ἔπος τ' ἔπεισε ζέφυρος τε νότος ἔ τε δυσαῖς,

Καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῆμα κελύδων.

à quatuor cali partibus, quas quasi primas nominavimus, oriente scilicet atque occidente latioribus atque simplicibus non tripertitis. Partim autem sunt, qui pro octo duodecim faciunt; inter hos, quatuor, in media loca insertentes, cum meride septentriones; eadem ratione, qua secundi quatuor intersiti sunt inter primores duas apud orientem occidentemque. Sunt porro alia quadam nomina quasi peculiarium ventorum; qua incolæ in suis quisque regionibus fecerunt, aut ex locorum vocabulis in quibus colunt ex aliqua causa, qua ad faciendum vocabulum acciderat. nostri namque Galli ventum ex sua terra flantem, quem saevissimum patiuntur, Circium appellant, à turbine, opinor, eius ac vertigine: Iapyga ex ipsius Apulia ore proficiscentem, eodem & ipsi nomine Iapygem dicunt. eam esse propemodum Caurum existimo. nam & est occidentalis, & videtur adversus Eurum flare. itaque Virgilius Cleopatram è navali prælio in Ægyptum fugientem vento iapyge ferri ait. Equum quoque Apulum eodem, qua ventum vocabulo, iapygem appellavit. est etiam ventus nomine Cæcias; quem Aristote-



les ita flare dicit ut nubes non procul propellat, sed ut ad sese vocet, ex quo versum istum proverbialem factum ait:

καὶ ἐπ' ἑαυτὸν ἔλκον ὡς ὁ Κακίας νεφός.

Præter hos autem, quos dixi, sunt alii plurifariam venti commēticij sua quisque regionis indigenæ; ut est Horatianus quoque ille Atabulus; quos ipse quoque exsecuturus fui: addidissēq; eos, qui Etesia & Prodromi appellātur, qui certo tempore anni cum canis oritur ex alia atque alia parte cali spirant; rationēsq; omnium vocabulorum, quia plus paulo adbibī effudissē: nisi multa iam prorsus omnibus vobis reticentibus verba fecissē, quasi fieret à me ἀκρόασις ἐπιλεκτική, in conuiuiis autem frequenti loqui solum unum neque honestum est, inquit, neque commodum. Hæc nobis Favonius in eo, quo dixi, tempore apud mensam suam summa cum elegantia verborum totiusque sermonis comitate atque gratia enarrauit. sed quod ait ventum, qui ex terra Gallia flaret, Circium appellari; M. Cato tertio libro Originum eum ventum Cercium dicit non Circium. nam cum de Hispanis scriberet, qui citra Hiberum colunt, verba hæc posuit. Sunt in his regionibus ferrariæ, argentifodinæ pulcherrimæ, mōs ex fale mero magnus; quantū demas, tantum adcrescit, ventus Cercius, cum loquere, buccam implet; armatum hominem, plaustrum oneratum percellit. Quod supra autem dixi etestas ex alia atque alia cali parte flare; haud scio an secutus opinionem multorum temere dixerim. P. Nigidii in secundo librorum, quos de vento composuit, verba hæc sunt. Etesia & Aultri anniuersarii secundo Sole flant, considerandum igitur est quid sit secundo Sole.

Consultatio d. iudicatióque locorum facta ex  
comœdia Menandri & Cæcili, quæ Plocium  
inscripta est.

**C**omœdias lectitamus nostrorum poetarum sumtas  
ac versas de Græcis, Menandro ac Posidio aut Ap-  
pollodoro aut Alexide & quibusdam item aliis comicis.  
atqui cum legimus eas, nihil sanè displicent quin lepida  
quoque & venuste scripta videantur, prorsus ut melius  
posse fieri nihil censeas. at enim si conferas & componas  
Græca ipsa, unde illa venerunt, ac singula considerate  
atque apte iunctis & alternis lectionibus committas: op-  
pido quàm iacere atque sordere incipiunt, quæ Latina sunt,  
ita Græcarum, quas æmulari nequiverunt, facetus atque  
luminibus obsolescunt. Nuper adeo usus huius rei nobis  
venit. Cæcilij Plocium legebamus: haudquaquã mihi &  
qui aderant displicebat Libitum est Menandri quoque  
Plocium legere, à quo istam comœdiam verterat. sed enim  
postquam in manus Menander venit: à principio statim,  
di boni! quantum stupere atque frigere quantumque mu-  
tare à Menandro Cæcilius visus est! Diomedis hercle arma  
& Glauci non dispari magis precio existimata sunt. ac-  
cesserat dehinc lectio ad eum locum, in quo maritus senex  
super uxore diuite atque deformi querebatur, quod ancil-  
lam suam, non inscito puellam ministerio & facie non in-  
liberali, coactus erat venundare suspectam uxori quasi  
pellicem: nihil dicam ego quantum differat versus utrius-  
que eximius: sit satis aliis ad iudicium faciendum expo-  
ni. Menander sic:

ἐπ' ἀμφοτέρων ἰν' ἐπίκλησ' ἢ μέλλειν καθ' ἀθήσειν  
κατεργάσασα μέγα, καὶ πελοπόντων ἔργον  
ἐκ τ' αἰχίας ἐξέβαλε τὴν λυπῶσαν, ἢ βέλετο.

ἴν' ἐπιβλέπωσι πάντες εἰς τὸ κρεωβύλης προσώπον.  
 ἢ γ' ὀγνώσθ' εἶχέ με γυνὴ δέσποινά.  
 καὶ τίω ὄφιν ὧν σκῆσατο ὄνος ἐν πηδήκοις  
 πὶ τὸ λερόκρονόν ἐστι δὴ τῷ το σιωπᾶν βέλομαι.  
 τίω νύκτα τίω πολλῶν κακῶν ἀρχήρον  
 οἴμοι κρεωβύλλω λαβεῖν ἐμέ. καὶ δέκα τάλαντα,  
 γυναιον οὔσα πιχέως. εἶτ' ἐστὶ τὸ φρύαγμα.  
 εἴ πως ἀνυπόσατον. Διὰ τ' ὀλύμπον.  
 καὶ ἀθλιῶν οὐδαμῶς παιδιχάριον, δεραπυπκὸν δε  
 λόγυ, τᾶχιον. ἀπαγάδω δέ τις ἢ ἀφ' αὐτειςαγάρι.

*Cacilius autem sic :*

Is demum miser est, qui ærumnam suam nequit  
 Occultare. ferè ita me vxor forma & factis facit.  
 Si taceam; tamen indicium est. quæ, nisi dotem,  
 omnia

Quæ nolis, habet. qui sapit, de me discet. qui, quasi  
 Ad hostes captus; libere seruo, talua vrbeatque  
 arce.

Quæ mihi quicquid placet; eo priuat. tu vin' me  
 seruatum?

Dum eius mortem in hio : egomet viuo mortuus  
 Inter viuos. ea me, clam se, cum mea ancilla ait  
 Consuetum. id me argu. r. ita ploiano, orando,  
 Inflando atque obiurgando me obrudit, vti eam  
 Venundarem. nunc ciedo inter suas æqualis  
 Et cognatas sermonem ferit: Quæ vostrum fuit  
 Integra ætatula, quæ hoc itidem à viro  
 Impetrat suo, quod ego anus modo  
 Effeci, pellice vt meum priuarem virum?  
 Hæc erunt concilia hodie. differor sermone mi-  
 ser.

*Præter venustatem autem rerum atque verborum in duo-  
 bus libris nequaquam parem, in hoc equidem soleo ani-*

num attendere, quodque Menander praclare & appositate & facete scripsit, ea Cacilius nequaquam potuit, ne quidem conatus est, enarrare; sed quasi minime probanda pratermisit; & alia nescio quæ mimica inculcavit & illud Menandri de vita hominum media sumtum simplex & verum & delectabile, nescio quo pacto, omisit. idem enim ille maritus senex cum altero sene vicino colloquens & uxoris locupletis superbiam deprecans hæc ait:

Εχω δ' ἐπικληρονλαμία οὐκ εἴρηκά σοι.  
 Τῆτ' ἐχὶ κυρίαν τῆς οὐκίας καὶ τῶν ἀγῶν,  
 Καὶ πάντων αὐτ' ἐκείνης ἔχομαι ἀφ' ὅλων χαλεπῶν  
 Καλεπώτατον. ἀπασί δ' ἀργαλέα ὄσιν οὐκ ἔμοι μόνω,  
 Τιῶ, πολὺ μᾶλλον θυγατέ. πρᾶγμα ἄμαχρον λέγεις,  
 Εὖ οἶδα.

Cacilius vero hoc in loco ridiculus magis quam persona isti, quam tractabat, aptus atque conueniens uideri maluit. sic enim hæc corruptit;

Sed tua morosa ne vxor quaeso est? Quam? rōgas?

Qui tandem? Tædet mentionis quæ mihi,  
 Vbi domum adueni ac sedi, extemplò fauium  
 Dat ieiuna anima, Nihil peccat de fauio,  
 Vt deuomas volt quod foris potaueris.

Quid de illo quoque loco in utraque comædia posito existimari debeat manifestum est. cuius loci hæc fermè sententia. Filia hominis pauperis in peruigilio vitata est. ea res clam patre fuit; & habebatur pro virgine. ex eo vitio grauida mensibus exactis parturit. seruus bonæ frugi, cum pro foribus domus staret & propinquare partum herili filia atque omnino vitium esse oblatum ignoraret, gemitum & ploratum audit puella in puerperio enitens: timet, irascitur, suspicatur, miseretur, dolet. hi omnes me-

tas eius affectionesque animi in Græca quidem comædia mirabiliter acres & illustres: apud Cæcilium autem pigra hæc omnia & à rerum dignitate atque gratia vacua sunt. Post, ubi idem seruus percunctando quod acciderat repperit, hæc apud Menandrum voces facit:

Ω τρεῖς κεκοδαίμων ὄσις ὦν πένης γαμεῖ,

Καὶ παιδοποιεῖ. ὡς ἀλόγιστος ἔς' ἀνὴρ.

Ὅς μήτε φυλακὴν σὺν ἀναγκάσιον ἔχει,

Εἰ μήτε ἀνατειχίσῃ εἰς τὰ κοινὰ τῶ βίῃ,

Ἐσαμφίεσθαι δυνάται τῶτο χήμασιν,

Ἀλλ' ἐν ἀνακατακλίῳ καὶ ταλαιπώρῳ βίῳ

Χεῖμαζόμενος, ζῆσθ' μὲν, ἀνιάρῳ δ' ἔχων τὰ μέσος,

Ἀπάντων ἀγαθῶν ἔδωκέμενος.

Ἦπερ γὰρ ἐνὸς ἀλεγειῶν, ἀπάντας νεοεστῶ.

Ad horum autem sinceritatem veritatẽque verborum an adspirauerit Cæcilius consideremus. versus sunt hi Cæcili trunca quedam ex Menandro dicentis & consarcinantis verba tragici tumoris:

--Is demum infortunatus est homo

Pauper, qui educit in egestate liberos:

Fortuna & res est vt continuo pareat.

Nam opulento famam facilè occultat factio.

itaque, vt supra dixi, cum Cæciliij verba seorsum lego: neutiquam videntur ingrata ignauaque. cum autem Græca comparo & contendo: non puto Cæcilium sequi debuisse, quod assequi nequiret.

## CAPVT XXIIII.

De vetere parsimonia deque antiquis legibus sumptuariis.

**P**arsimonia apud veteres Romanos & victus atque cenarum tenuitas non domestica solum obseruatione

ac disciplina, sed publica quoque animaduersione legumque complurium sanctionibus custodita est. Legi adeo nuper in Capitonis Atei coniectaneis senatus decretum vetus C. Fannio & M. Valerio Messala COSS. factum: in quo iubetur principes ciuitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritum mutitarent, id est, mutua inter sese dominia agerent, iurare apud consules verbis conceptis non amplius in singulas cenas sumtus esse facturos, quam centenos vicensque aris, præter olus & far & vinum; neque vino alienigena sed patrio vsuros; neque argenti in conuiuio plus pondo, quam libras centum illaturos. sed post id senatusconsultum lex Fannia lata est quæ ludis Romanis item ludis plebeis & Saturnalibus & alijs quibusdam diebus in singulos dies centenos aris infumi concessit, decemque alijs diebus in singulis mensibus tricenos; ceteris autem omnibus diebus denos. hanc Lucilius poeta legem signat, cum dicit:

---- Fanni centussis que misellos.

in quo errauerunt quidam commentariorum in Lucilium scriptores, quod putauerunt Fannia lege perpetuos in omne dierum genus centenos aris statutos. centum enim aris Fannius constituit, sicuti supra dixi, festis quibusdam diebus; eosque ipsos dies nominauit. aliorum autem dierum omnium in singulos dies sumtus inclusit intra aris alias tricenos, alias denos. Lex deinde Licinia rogata est; quæ cum certis diebus, sicuti Fannia, centenos aris imperidi permisisset, nuptiis duccenos indulxit; ceterisque diebus statuit aris tricenos; cum & carnis arida & salsa menti certa pondera in singulos dies constituerit: si quicquam esset natum è terra, vite, arbore; promisce atque indefinite largita est. Huius legis Leuius poeta meminit in Erotopœgnis. Verba Leuii hæc sunt, quibus significat hædum, qui ad epulas fuit allatus, dimissum, cenam-

que ita, ut lex Licinia sanxisset, pomis oleribusque instruetam.

Lex Licinia, inquit, introducitur:

Lux liquida hædo redditur.

Lucilius quoque legis istius meminit in his verbis: Legem vitæius Licini. Postea L. Sylla dictator, cum legibus istis situ atque senio oblitteratis plerique in patrimonio amplis belluarentur, & familiam pecuniâque suam prandiorum gurgitibus proluisissent, legem ad populum tulit, quæ cautum est ut Kalendis, idibus, nonisque diebus ludorum & feriis quibusdam sollempnibus sestertios tricenos in cœnam insumere ius potestatisque esset; ceteris autem aliis diebus omnibus non amplius ternos. Præter has leges Semeliam quoque legem inuenimus. qua lege non sumtus cœnarum, sed ciborum genus & modus præfinitus est. Lex deinde Antia præter sumtum æris id etiam sanxit, ut, qui magistratus esset magistratumve capturus esset, ne quo ad cœnam nisi ad certas personas itaret. Postremo lex Iulia ad populum peruenit Casare Augusto imperante: qua profestis quidem diebus ducenti finiuntur; Kalendis, idibus, nonis, & aliis quibusdam festiuis trecenti; nuptiis autem & repotiis HS. milies. esse etiam dicit Capito Arceius edictum diuine Augusti an Tiberii Cesaris non satis commemorari. quo edicto per dierum varias sollempnitates à trecentis sestertiis adusque duo milia sumtus cœnarum propagatus est; ut his saltem finibus luxuria efferuescentis æstus coerceretur.

CAPVT XXV.

Quid Græci *αναλογία* quid contra *ἀνωμαλία* vocent.

**I**N Latino sermone, sicut in Græco, alij ἀναλογίαν sequendam putauerunt, alij ἀνωμαλίαν. Ἀναλογία est similitum similis declinatio. quam quidam Latine proportionem vocant. Ἀνωμαλία est inæqualitas declinationum consuetudinem sequens. Duo autem Græci grammatici illustres Aristarchus & Crates summa ope, ille ἀναλογίαν, hic ἀνωμαλίαν defensitauit. M. Varronis ad Ciceronem de lingua Latina liber octauus nullam esse obseruationem similitum docet. itaque in omnibus panè verbis consuetudinem dominari ostendit. Sicuti cum dicimus, inquit, lupus lupi, probus probi, & lepus leporis; item paro parauī, lauo laui, pungo pupugi, tundo tutudi, & pingo pinxi. cumque, inquit, à cœno & prandeo & poto & cœnatus sum, & pransus sum, & potus sum dicamus: & ab adstringor tamen & extergeor & lauor, adstrinxi & extersi & laui dicimus. item cum dicamus ab Osco, Tusco, Græco, Osce, Tusce, Græce: à Gallo tamen & à Mauro Gallice & Maurice dicimus: item à probus probe, à doctus docte; sed à rarus non dicitur rare, sed alii raro dicunt, alii rarenter. Idem M. Varro in eodem libro: Senior, inquit, nemo dicit, & id per se nihil est; assentior tamen ferè omnes dicunt. Sisenna vnus assentio in senatu dicebat; & eum postea multi secuti; neque tamen vincere consuetudinem poterunt. sed idem Varro in aliis libris multa pro ἀναλογία tuenda scripsit. Sunt igitur hi tanquam loci quidam communes contra ἀναλογίαν dicere & item rursus pro ἀναλογία.



## CAPVT XXVI.

Sermones M. Frontonis & Fauorini philosophi  
de generibus colorum, vocabulisque eorum  
Græcis & Latinis: atque inibi color spadix  
cuiusmodi sit.

**F**auorinus philosophus, cum ad M. Frontonem con-  
sularem pedibus agrum viseret, voluit me quoque  
ad eum secum ire. ac deinde, cum ibi apud Frontonem ple-  
risque viris doctis presentibus sermones de coloribus vo-  
cabulisque eorum agerentur, quod multiplex colorum  
facies, appellationes autem incertæ & exiguæ forent;  
Plura, inquit, sunt Fauorinus, in sensibus oculorum quã  
in verbis vocibusque colorum discrimina: nam, ut alias  
eorum concinnitates omittamus, simplices isti & rufi  
& virides colores singula quidem vocabula, multas au-  
tem species differentes habent. Atque eam vocum ino-  
piam in lingua magis Latina video, quã in Græca. quippe  
qui rufus color, à rubore quidem appellatus est. sed cum  
aliter rubeat ignis, aliter sanguis; aliter ostrum, aliter  
crocum: has singulas rufi varietates Latina oratio singulis  
propriisque vocabulis non demonstrat; omniaque ista si-  
gnificat una ruboris appellatione: cum tamen ex ipsis re-  
bus vocabula colorum mutuetur; & igneum aliquid di-  
cit & flammeum & sanguineum & croceum & ostri-  
num & aureum. rufus enim color & ruber nihil à voca-  
bulo rufi differunt; neque proprietates eius omnes decla-  
rant, ξανθὸς δὲ καὶ πυρρὸς καὶ ἐρυθρὸς καὶ ποικιλὸς. sed  
habere quasdam distantias coloris rufi videntur vel au-  
gentes eum, vel remittentes, vel mista quadam specie  
temperantes. Tum Fronto ad Fauorinum; Non inficias,  
inquit, imus, quin lingua Græca, quare tu videre legisse,

prolixior fusiôrque sit, quam nostra. sed in iis tamen coloribus, quibus modo dixisti, designandis, non proinde inopes sumus, ut tibi videmur. non enim hæc sunt sola vocabula rufum colorem demonstrantia, quæ tu modo dixisti, rufus, & ruber: sed alia quoque habemus plura, quàm quæ producta abs te Græca sunt. fulvus enim & flavus & rubidus & phœniceus & rutilus & lutens & spadix appellationes sunt rufi coloris, aut acuentes eum quasi incendentes, aut cum colore viridi miscentes, aut nigro infuscantes, aut virenti sensim albo illuminantes nam phœniceus, quem tu Græce Φοινικεὺς dixisti, noster est, & rutilus, & spadix phœnicei σπάδιον, qui factus Græce noster est exuberantiam splendoremque significat ruboris; quales sunt fructus palmæ arboris non admodum sole incocti, unde spadici & phœnicei nomen est. spadica enim Dorici vocant avilsum e palma termitem cum fructu. fulvus autem videtur de rufo atque viridi mixtus in aliis plus viridis in aliis plus rufi habere: sic ut poeta verborum diligentissimus, fulvum aquilam dicit & iaspidem, fulvos galeros & fulvum aurum, & arenam fulvum, & fulvum leonem. sic Q. Ennius in annalibus ære fulvo dixit. flavus contra videtur ex viridi & rufo & albo cōcretus. sic flavetes comæ, & quod mirari quosdam video, frondes olearum à Virgilio dicuntur flavæ. sic multo ante Pacuvius aquam flavam dixit, & flavum pulverem. cuius versus, quoniam sunt iucundissimi, libens commemini.

Cedo tamen pedem lymphis flavis: flavum  
ut pulverem

Manibus istem, quibus Vlyssi sæpe permulsi,  
abluam;

Lassitudinẽque minuam manuum molli-  
tudine.

Rubidus

Rubidus autem est rufus atrore & nigrore multo mixtus. luteus contra rufus color est dilucidior: unde eius quoque nomen esse factum videtur. Non ergo, inquit, mihi Favorine, species rufi coloris plures apud Græcos, quam apud nos nominantur. Sed ne viridis quidem color pluribus ab illis, quam à nobis, vocabulis dicitur. neque non potuit Virgilius, colorem equi significare viridem volens, caruleum magis dicere equum quam glaucum: sed maluit verbo vti notiore Græco quam inusitato Latino. Nostri autem Latinis veteribus casta dicta est; quæ à Græcis γλαυκῶντις, ut Nigidius ait; de colore cali; quasi calia. Postquam hæc Fronto dixit: tum Favorinus scientiam reatum uberem verborumque eius elegantiam exosculatus, Absque te, inquit, uno forsitan lingua profecto Græcæ longè antèisset sed tu mihi Fronto quod in versu Homericò est, id facis

Καὶ νῦν ἐπ' ἀπετὴν ἀμνησῖσιν ἐδύνασ.

Sed cum omnia libens audiui, quæ peritissime dixisti; tum maxime quod varietatem flauæ coloris enarrasti: fecisti-que ut intelligerem verba illa ex annali quartodecimo Ennii amœnissima, quæ minime intelligebam.

Verrunt extéplo placidè mare marmore flauo:

Cæruleum spumat mare còferta rate pullum. non enim videbatur cæruleum mare cum marmore flauo conuenire. Sed cum sit, ita ut dixisti, flauus color viridè & albo mixtus; pulcherrimè prorsus spumas virentis maris flauo marmore appellauit.

## CAPVT XXVII

Quid T. Castricius existimauerit super Sallustii verbis & Demosthenis; quibus alter Philip-  
pum descripsit alter Settorium.

**V**erba sunt hæc grauiataque illustria de rege Philippo Demosthenis : ἐώρων δ' αὐτὸν φίλιππον, τὸς ἔν ἡμῖν ὁ ἀγὼν ἰσὲρ ἀρχῆς καὶ δυναστείας τὸν ὀφθαλμὸν ἐκ-  
 κεκομμένον, τὴν κλεῖν κατεαρότα, τὴν χεῖρα, τὸ σκέλος πε-  
 πηρωμένον, πᾶν ὅτι ἀν βεληδῆ μέρος ἢ τύχη τῆ σῶματος  
 παρελέδου, τῆ το προιέρουον, ὡς το λοιπὸν μὲ πμῆς καὶ  
 δόξης ζῶ. *Hæc amulari volens Sallustius de Sertorio  
 duce in historiis ita scripsit.* Magna gloria tribunus  
 militum in Hispania T. Didio imperante, magno  
 usu, bello Marfico, paratu militum & armorum  
 fuit: multaque tum ductu eius cœrata, primo  
 per ignobilitatem, deinde per inuidiam scripto-  
 rum celata sunt; quæ eminus facie sua ostentabat,  
 aliquot aduorsis cicatricibus & effosso oculo.  
 quo ille dehonestamento corporis maxime læ-  
 tabatur: neque illis anxius, quia reliqua glorio-  
 sius retinebat. *De utriusque his verbis T. Castricius cum  
 pensitaret, Nonne, inquit, ultra naturæ modum humanæ  
 est dehonestamento corporis letari? siquidem letitia di-  
 citur exsultatio quadam animi cum gaudio efferuentiore  
 rerum expetitarum. quanto illud sincerius & humanis  
 magis rationibus conueniens? πᾶν ὅτι ἀν βεληδῆ μέρος, ἢ  
 τύχη τῆ σῶματος παρελέδου, τῆ το προιέρουον. Quibus  
 verbis, inquit, ostenditur Philippus non, ut Sertorius, cor-  
 poris dehonestamento letus, quod est, inquit, insolens &  
 immodicum; sed, præ studio laudis & honoris, iactura-  
 rum damnorumque corporis contemptor, qui singulos artus  
 suos fortunæ producendos daret quæstu atque compen-  
 dio gloriarum.*

## CAPVT XXVIII.

Non esse compertum cui deo rem diuinam fieri  
 oporteat, cum terra mouet.

**Q** Vanam esse causam videatur, quam obrum terramotus  
 fiant, non modo his communibus hominum sensi-  
 bus opinionibusque compertum non est; sed ne inter physi-  
 cas quidem philosophias satis constitit ventorumne vi  
 accidant specus hiatusque terræ subeuntium, an aquarum  
 subter in terrarum cavis undantium fluctibus pulsibus-  
 que; ita ut videntur existimasse antiquissimi Græcorum,  
 qui Neptunum ἐννοσίγαιον καὶ σείειν θεὸν ἀπὸν appellauerūt,  
 an cuius aliæ rei causa alteriusve dei vi ac numine non-  
 dum etiam, sicut diximus, pro certo creditum. propterea  
 veteres Romani, cum in omnibus alijs vitæ officijs, tum  
 in constituendis religionibus atque in dijs immortalibus  
 animaduertendis castissimi cautissimique, ubi terram-  
 mouisse senserant nuntiatumve erat, ferias eius rei causa  
 edicto imperabant; sed dei nomen, ita uti solet, cui seruare  
 ferias oporteret statuere & edicere quiescebant; ne, aliud  
 pro alio nominando, falsa religione populum alligarent. eae  
 ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset:  
 hostiam, S. I. DEO. S. I. DEAE. immolabat. idque ita  
 ex decreto pontificum obseruatum esse M. Varro dicit: quo-  
 niam & qua vi & per quem deorum dearumve terra  
 tremeret incertum esset. sed de Lunæ motibus Solisque de-  
 fectibus; non minus in eius rei causa reperienda sese exer-  
 cuerunt. quippe M. Cato vir in cognoscendis rebus multa  
 studij, incerta tamen & incuriosa super ea re opinatus est.  
 Verba Catonis ex Originum quarto hæc sunt. Non li-  
 bet scribere quod in tabula apud pontificem  
 maximum est, quotiens annona cara, quotiēs lu-  
 næ aut solis lumini caligo aut quid obstiterit.  
 usque adeo paruifecit rationes veras solis & lunæ desi-  
 cientium vel scire vel dicere.

## CAPVT XXIX.

Apologus Aesopi Phrygis memoratu non inutilis.

**A**esopus ille è Phrygia fabulator haud immerito sapiens existimatus est; cum, quae utilia monitu suavisque erant, non seuerè nõ imperiose præcepit & censuit, ut philosophis mos est, sed festiuos delectabilesque apologos commentus res salubriter ac prospicienter animaduersas in mentes animosque hominum cum audiendi quadam illecebra induit. velut hæc eius fabula de auicula nidulo lepide atque iucunde præmonet spem fiduciamque rerum, quas efficere quis possit, haud unquam in alio sed in semetipso habendam. Auicula, inquit, est parua. nomen est cassita. habitat nidulatiorque in segetibus id feruè temporis, ut appetat messis pullis iam iam plumantibus. Ea cassita in sementes forte concesserat tempestiuiores. propterea frumentis flauescens pulli etiam tunc inuolucres erant. Cum igitur ipsa iret cibum pullis quaesitum, monet eos ut, si quid ibi rei noua fieret dicereturve, animaduertent: idque uti sibi, ubi redisset, nuntiarent. Dominus postea segetum illarum filium adolescentem vocat & Videsne, inquit, hæc ematuruisse & manus iam postulare? iccirco die crastini, ubi primum diluculabit, fac amicos adeas, & roges veniant, operamque mutuam dens & messem hanc nobis adiuent. Hæc ubi ille dixit; discessit: atque, ubi rediit cassita, pulli trepiduli circumstrepere; orareque matrem ut statim iam properet, atque alium in locum sese adsportet. nam dominus, inquit, misit qui amicos rogaret uti luce oriente veniant & metant. mater iubet eos à metu otiosos esse. si enim dominus, inquit, messem ad amicos reiecit; cra-

stino seges non metetur. neque necesse est, hodie uti vos  
 auferam. die igitur postero mater in pabulum volat.  
 dominus, quos rogauerat, operitur. solferuit: & fit  
 nihil: & amici nulli erant, tum ille rursus ad  
 filium, Amici isti, inquit, magnam partem cessatores  
 sunt. quam potius imus, & cognatos affinesque & vi-  
 cinos nostros oramus ut absint cras tempore ad metendum?  
 itidem hoc pulli pauesacti matri nuntiant. mater hortat-  
 ur ut tum quoque sine metu ac sine cura sint: cognatos  
 affinesque nullos ferre tam esse obsequibiles, ut ad la-  
 borem capessendum nihil euocentur, & statim dicto obe-  
 diant. vos modo, inquit, aduertite, si modo quid denuo  
 dicetur. Alia luce orta auis in pastum profecta est. cognati  
 & affines operam quam dare rogati sunt supersedent,  
 ad postremum igitur dominus filio, Valeant, inquit,  
 amici cum propinquis. afferes prima luce falces duas,  
 vnā egomet mihi, & tu tibi capies alteram; & fru-  
 mentum nosmet ipsi manibus nostris cras metemus, id ubi  
 ex pullis dixisse dominum mater audiuit; Tempus, inquit,  
 est cedendi & abeundi. fiet nunc dubio procul, quod fu-  
 turum dixit. in ipso enim iam vertitur, cuius est res; non  
 in alio, unde petitur, atque ita cassita nidum migravit.  
 seges à domino demessa est. Hac quidem est Aesopi fa-  
 bula de amicis & propinquorum leui & inani fiducia,  
 sed quid aliud sanctiores libri philosophorum monent,  
 quam ut in nobis tantum ipsis nitamur; alia autem om-  
 nia, quae extra nos extraque nostrum animum sunt, ne-  
 que pro nostris neque pro nobis ducamus. Hunc Aesopi  
 apologum Q. Ennius in satyris scite admodum & ve-  
 nuste versibus quadratis composuit: quarum duo postremi  
 isti sunt, quos habere cordi & memoriae operae precium  
 esse Herclè puto,

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu  
fitum:

Nequid expectes amicos, quod tute agere  
possies.

C A P V T X X X .

Quid obseruatum sit in vndarum motibus, qui  
in mari alio atque alio modo fiunt, Austriis  
flantibus Aquilonibusque.

**H**oc sæpenumero in vndarum motu obseruatum est,  
quas Aquilones venti, quique ex eadem cali ré-  
gione aër fluit, quasue faciunt in mari Austri atque A-  
frici. nam fluctus, qui flante Aquilone maximi &  
crebrißimi excitantur, simul ac ventus posuit, sternun-  
tur & conflagescunt; & mox fluctus esse desinunt. ac  
non idem fit flante Austro vel Africo: quibus iam ni-  
hil spirantibus vndæ tamen factæ diutius tument, &  
à vento quidem iam dudum tranquillæ sunt; sed mare  
est etiam atque etiam vndabundum. eius rei causa esse  
coniectatur quod venti à septentrionibus ex altiore cali  
parte in mare incidentes deorsum in aquarum profun-  
da quasi præcipites deferuntur; vndæque faciunt non  
prorsus impulsas sed vi intus commotas: quæ tantisper  
erutæ voluntur, dum illius infusi desuper spiritus vis  
manet. Austri verò & Africi ad meridianum orbis cir-  
culum atque ad partem axis infimam depreßi, inferiores  
& humiles, per suprema aquoris eantes protrudunt  
magis fluctus quam eruunt: & idcirco non desuper læ-  
sæ sed propulsæ in aduersum aquæ etiam desistente flatu  
retinent aliquantisper de pristino pulsû impetum. id au-  
tem ipsum, quod dicimus, ex illis quoque Homericis ver-  
sibus, si quis non incuriose legat, adminiculari potest.



nam de Austri flatibus ita scripsit:

Ενθα νότες πόντοιο λυδῶνα εἰς λάαν ὠθεῖ.

Contra autem de Borea, quem Aquilonem appellamus, alio dicit modo:

Καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῶμα κωλίνδων.

ab Aquilonibus enim, qui alti supernique sunt, fluctus excitatos quasi per prona volui dicit: ab Austris autem, iis qui humiliores sunt, maiore vi quadam propelli solum atque rursus subiici. id enim significat verbum λάαν ὠθεῖ; sicut in alio loco, λάαν ἄνω ὠθεῖ. Id quoque à peritissimis rerum philosophis observatum est, Austris spirantibus mare fieri glaucum & cæruleum, Aquilonibus obscurius atriusque. cuius rei causam, cum Aristotelis libros problematum percerpimus, notavi. Cur Austro spirante mare cæruleum, fiat; Aquilone obscurius atriusque? An propterea quod Aquilo minus mare perturbat: omne autem, quod tranquillius est, atrum esse videtur?

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
TERTIVS.

CAPVT I.

Quæsitum ac tractatum quam ob causam Sallustius auaritiã dixerit non animum modo virilem sed corpus quoque ipsum effeminare,

**H**ÆME iam discedente apud balneas Sitas in area sub calido sole cum Fauorino philosopho ambulabamus : atque ibi inter ambulandũ legebatur Catilina Sallustij, quens in manu amici conspectum legi iusserat. cumque hæc verba ex eo libro lecta essent: Auaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupit, ea quasi venenis malis imbuta corpus animumque virile effeminat: sæpe infinita & insatiabilis est; neque copia neque inopia minuitur. tum Fauorinus me adspiciens Quo, inquit, pacto corpus hominis auaritia effeminat? quid enim istuc sit quod animum virilem ab ea effeminari dixit videor ferme assequi. sed, quonam modo corpus quoque hominis effeminet, nondum repperio. Et ego, inquam, longè iamdiu in eo ipso quarendo fui; ac, nisi tu occupasses, ultro te hoc rogassem. Vix ego hæc dixeram cunctabundus; atque mihi quispiam de sectatoribus Fauorini, qui videbatur esse in litteris veterator, Valerium, inquit, Probum audiri hoc dicere; usum esse Sallustium circumlocutione quadam poetica, & cum dicere vellet hominem auaritia corrumpi, corpus & animum dixisse, quæ duæ

res hominem demonstrarent. namque homo ex anima & corpore est. Nunquam, inquit Favorinus, quod equidem scio, tam importuna tamque audaci argutia fuit noster Probus, ut Sallustium vel subtilissimum breuitatis artificem periphrasin poetarum facere diceret. Erat tum nobiscum in eodem ambulacro homo qui spiam sanè doctus. is quoque à Favorino rogatus & quid haberet super ea re dicere huiusmodi verbus usus est. Quos, inquit, auaritia minuit & corrumpit, quique sese in quarenda vndique pecunia dederunt, eos plerosque tali genere vitæ occupatos videmus; ut, sicuti alia in his omnia præ pecunia, ita labor quoque virilis exercendique corporis studium relictui sit. negotiis se plerunque umbraticis & sellulariis questibus intentos habent; in quibus omnis eorum vigor animi corporisque elanguescit, & quod Sallustius ait, effeminatur. tum Favorinus legi denovo verba eadem Sallustij iubet; atque, ubi lecta sunt, Quid igitur, dicemus, inquit, quod multos videre est pecuniæ cupidos & eosdem cum corpore esse vegeto & valenti? tū ille ita respondit non hercle inscite, Quisquis est, inquit, pecuniæ cupiens, & corpore tamen est bene habito ac strenuo, aliarum quoque rerum vel studio vel exercitio eum teneri necessarium est; atque in sese colendo non aque esse parcum. nam si auaritia sola summa omnes hominis partes affectionesque occupet, & si ad incuriam usque corporis grassetur, ut per illam unam neque virtutis neque virium neque corporis neque animi cura absit: tum denique is vere dici potest effeminato esse & animo & corpore qui neque sese neque aliud curet nisi pecuniam. tum Favorinus, Aut hoc, inquit, quod dixisti probabile est, aut Sallustius odio auaritia plus, quam potuit, eam criminatus est.

## CAPVT II.

Quemnam esse natalem diem M. Varro dicat eorum, qui ante noctis horam sextam postve-  
eam nati sunt: atque inibi de temporibus ter-  
minisque dierum qui ciuiles nominantur, &  
vsquequaque gentium variè obseruantur: &  
præterea quid Q. Mucius scripserit super ea  
muliere quam maritus non iure vsurpauisset,  
quia rationem ciuilis anni non habuerit.

**Q**uari solitū est, qui noctis hora tertia quartave siue  
qua alia nati sunt, vter dies natalis haberi appel-  
larique debeat, isne, quem nox ea consecuta est, an qui dies  
noctem consecutus est. M. Varro in libro rerum humana-  
rum, quem de diebus scripsit, Homines, inquit, qui ex  
media nocte ad proximam mediam noctem in  
his horis viginti quatuor nati sunt, vna die nati  
dicuntur. Quibus verbis ita videtur dierum observa-  
tionem diuisisse, vt, qui post solem occasum ante mediam  
noctem natus sit, is ei dies natalis sit, à quo die ea nox cœ-  
perit: contra vero, qui in sex noctis horis posterioribus  
nascatur, eo die videri natum qui post eam noctem dilu-  
xerit. Athenienses autem aliter obseruare idem Varro in  
eodem libro scripsit; eosque à sole occaso ad solem iterum  
occidentem omne id medium tempus vnum diem esse dice-  
re; Babylonios porro aliter; à sole enim exorto ad exor-  
tum eiusdem incipientem totum id spacium vnius diei  
nomine appellare: multos vero in terra Umbria vnum &  
eundem diem esse dicere à meridie ad insequentem meri-  
diem. Quod quidem, inquit, nimis absurdum est.  
nam qui Kalendis hora sexta natus est apud Um-  
bros; dies eius natalis videri debet & Kalen-

darum dimidiatus, & qui est post Kalendas dies ante horam eiusdem diei sextam. Populum autem Romanum ita, uti Varro dixit, dies singulos annumerare à media nocte usque ad mediam proximam multis argumentis ostenditur. Sacra sunt Romana partim diurna partim nocturna: sed ea, quæ inter noctem fiunt, diebus addicuntur non noctibus. quæ igitur sex posterioribus noctis horis fiunt, eo die fieri dicuntur, qui proximus eam noctem illucescit. ad hoc, ritus quoque & mos auspiciandi eandem esse observationem docet. nam magistratus, quando una die eis auspiciandum est & id super quo auspiciaverunt agendum, post mediam noctem auspiciantur, & post meridiem sole magno; auspiciatique esse & egisse ex eodem die dicuntur præterea tribuni plebei, quos nullum diem abesse Roma licet, cum post mediam noctem proficiuntur & post primam facem ante mediam sequentem revertuntur, non dicuntur a fuisse unum diem; quando ante horam noctis sextam regressi parte aliqua illius in urbe Roma sunt. Quantum quoque Mucium iuriscōsultum dicere solitum legi, non esse usurpatam mulierem, quæ Kalendis Ianuariis apud virum causa matrimonij esse cepisset, & ante diem quartum Kalendas Ianuarias sequentis usurpatum esset. non enim posse impleri trinoctium, quod abesse à viro usurpandi causa ex duodecim tabulis deberet: quoniam tertiæ noctis posterioris sex horæ alterius anni essent, qui inciperet ex Kalendis. Ist hæc autem omnia de dierum temporibus & finibus ad observationem disciplinamque iuris antiqui pertinentia cum in libris veterum inueniremus; non dubitabamus quin Virgilius quoque id ipsum ostenderit, non exposite atque aperte, sed, ut hominem decuit poëticas res agentem, recondita & quasi operta veteris ritus significatione.

--Torquet, inquit, medios nox humida cursus:  
Et me sæuus equis oriens afflavit anhelis.

*his enim versibus oblique, sicuti dixi, admonere voluit diem, quem Romani civilem appellauerunt, à sexta noctis hora oriri.*

## CAPVT III.

De noscendis explorandisque Plauti comœdiis, quoniam promiscè veræ atque falsæ nomine eius inscriptæ fuerunt: atque inibi quod Plautus in pistrino, & Nævius in carcere fabulas scriptarint.

**V**erum esse comperior, quod quosdam bene litteratos homines dicere audivi, qui plerasque Plauti comœdias curiosè atque contente lectitauerunt, non indicibus *Ælij* nec *Sedigiti* nec *Claudij* nec *Aurelij* nec *Accij* nec *Manilij* super his fabulis, quæ dicuntur ambiguae, credituros, sed ipsi Plauto moribusque ingenij atque linguæ eius. hac enim iudicii norma *Varronem* quoque esse usum videmus. nam præter illas unam & viginti, quæ *Varroniana* vocantur; quas iccirco à ceteris segregavit quoniam dubiosa non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur; quasdam item alias probavit adductus stylo atque facetiâ sermonis Plauto congruentis: easque iam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit; sicuti istam quam nuperrime legabamus: cui est nomen, *Bœotia*. nam cum in illis una & viginti non sit, & esse *Aquilij* dicatur: nihil tamen *Varro* dubitavit quin Plauti foret; neque alius quisquam non infrequens Plauti lector dubitauerit, si vel hos solos versus ex ea fabula cognoverit. qui quoniam sunt, ut de illius more dicam, *Plautinissimi*, propterea & meminimus eos & ad-

*scripsimus. Parasitus ibi esuriens hæc dicit;*

Vt illum di perdât, primus qui horas reperit,  
 Quisque adeo primus statuit hic solarium;  
 Qui mihi comminuit misero articulatim diēs:  
 Nam me puero vterus erat solarium  
 Multo omnium istorum optimum & verissi-  
 mum,

Vbi iste monebat esse, nisi cum nihil erat.  
 Nunc etiam quod est, non est, nisi soli lubet:  
 Itaque adeo iam oppletū est oppidū solariis.  
 Maior pars populi aridi reptant fame.

*Fauorinus quoque noster, cum Neruolariam Plauti lege-  
 rem, quæ inter incertas est habita; & audisset ex ea comæ-  
 dia versum hunc;*

Stratæ, scrupedæ, stratiuolæ, sordidæ:  
*delectatus faceta verborum antiquitate meretricum vi-  
 tia atque deformitates significantium, Vel vnus hercle,  
 inquit, hic versus Plauti esse hanc fabulam satis potest  
 fidei fecisse. Nos quoque ipsi nuperrime cum legeremus  
 Fretum (nomen est id comædia, quam Plauti esse quidam  
 nō putant) haud quicquā dubitauimus quin Plauti foret,  
 & omnium maxime genuina. ex qua duos hos versus ex-  
 scripsimus, ut historiam quæreremus oraculi arietini.*

---nunc illud est

Quod arietinum responsum magnis ludis  
 dicitur:

Peribo si non fecero : si faxo ; vapulabo.  
*Marcus autem Varro in libro de comædiis Plautinis pri-  
 mo verba hæc ponit : Nam nec Gemini nec Leones,  
 nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis com-  
 pressa nec Bæotia vnquam fuit, neque adeo d'ægori-  
 xos, neque Cōmorientes; sed M. Acutici. in eodem  
 libro Varronis id quoque scriptum est, Plautium fuisse*

quempiam poetam comœdiarum. cuius quoniam fabulæ Plauti inscriptæ forent, acceptas esse quasi Plautinas, cum essent non à Plauto Plautinæ, sed à Plautio Plautianæ. Feruntur autem sub Plauti nomine comœdiæ circiter centum atque triginta. sed homo eruditissimus L. Ælius quinque & viginti esse eius solas existimauit. non tamen dubium est. quin istæ et quæ scriptæ à Plauto non videtur, & nomini eius addicuntur, veterum poetarum fuerint, & ab eo retractatæ & expolitæ sint; ac propterea respiciant dictum Plautinum. Sed enim Saturionem & Addictum & tertiam quandam, cuius nunc mihi nomen non suppetit, in pistrino eum scripsisse Varro & plerique alij memoriæ tradiderunt, cum pecunia omni, quam in operis artificum scenicorum pepererat, in mercationibus perditâ inops Romanam redisset; & ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset: sicuti de Nævio quoque accepimus fabulas eum in carcere duas scripsisse, Hariolum & Leontem; cum ob assiduam maledicentiam & probra in principes ciuitatis de Græcorum poetarum more dicta, in vincula Romæ à triumuiris cõiectus esset. vnde post à tribunis plebei exemptus est, cum in iis, quas supra dixi, fabulis delicta sua & petulantias dictorum, quibus multos ante læserat, diluisset.

## CAPUT IIII.

Quod P. Africano & aliis tunc viris nobilibus ante ætatem senectam barbam & genas radere moris fuit.

**I**N libris, quos de vita P. Scipionis Africani compositos legimus, scriptum esse animaduertimus P. Scipioni Pauli f. postquam de Pœnis triumphauerat censorque fuerat, eadem diem dictum esse ad populum à Claudio Asello



tribuno plebei cui equum in censura ademerat: eumque, cum esset reus, neque barbam desisse radi, neque non candida veste uti, neque fuisse cultu solito reorum. Sed, cum in eo tempore Scipionem minorem quadraginta annorum fuisse constaret, quod de barba rasa ita scriptum esset mirabamur. comperimus autem ceteros quoque in isdem temporibus nobiles viros barbam in eiusmodi etate rasitavisse: iccircoque plerasque imagines veterum non admodum senum sed in medio atatis ita factas videmus.

## CAPUT V.

Delitiatum vitium & mollicies oculorum & corporis ab Archefilao philosopho cuidam opprobata acerbè simul & festiuite.

**P**lutarchus refert Archefilaum philosophum vehementi verbo usum esse de quodam nimis delicato divite; qui incorruptus tamen & castus & perinteger dicebatur. nam cum vocem eius infractam capillumque arte compositum & oculos ludibundos atque illecebræ voluptatisque plenos videret: Nihil interest, inquit, quibus membris cinæditis posterioribus an prioribus.

## CAP. VI.

De vi atque natura palmæ arboris; quod lignum ex ea ponderibus impositis renitatur.

**P**er hercle rem mirandam Aristoteles in septimo problematum & Plutarchus in octavo symposiacorum dicit. Si super palmæ, inquit, arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas onerisque ut magnitudo oneris sustineri non queat: non deorsum palma cedit nec intra flectitur: sed aduersus pondus resurgit, &

*sursum nititur recurvatūque . propterea , inquit Plu-  
tarchus , in certaminibus palmam signum esse placuit via  
Etoria ; quoniam ingenium eiusmodi ligni est , ut urgens  
tibus opprimentibusque non cedat .*

## CAPUT VII.

Historia ex annalibus sumpta de Q. Cædicio tribu-  
buno militum : verbæque ex Originibus M.  
Catonis apposita , quibus Cædicii virtutem  
cum Spartano Leonida æquiperat :

**P**ulchrum , dii boni ! facinus Græcarumque facin-  
diarum magniloquentia condignum M. Cato in li-  
bris Originum de Q. Cædicio tribuno militum scriptum  
reliquit . id profecto est ad hanc fermè sententiam . Im-  
perator Pænus in terra Sicilia , bello Karthaginensi  
primo , obviam Romano exercitui progreditur collis locos-  
que idoneos prior occupat . milites Romani , uti res nata  
est , in locum insinuant fraudi & perniciæ obnoxium :  
tribunus ad consulem venit : ostendit exitium de loci im-  
portunitate & hostium circumstantia . Maturum censeo ,  
inquit , si rem servare vis , faciendum , ut quadringen-  
tos aliquot milites ad verrucam illam ( sic enim M. Ca-  
to locum editum asperumque appellat ) ire iubeas ; eam-  
que uti occupent imperes hortentisque . hostes profecto ubi  
id viderint : fortissimus quisque & promptissimus ad oc-  
cursandum pugnantiumque in eos prævertentur ; unoque  
illo negotio sese alligabunt : atque illi omnes quadringen-  
ti proculdubio obrumcabuntur : tu interea ; occupatis  
in ea cade hostibus , tempus exercitus ex hoc loco educaen-  
di habebis . alia , nisi hæc , salutis via nulla est . consul  
tribuno respondit consilium quidem fidum atque promi-  
dens sibi videret : sed istos , inquit , milites quadringen-

eos ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit qui du-  
 cat? si alium, inquit tribunus, neminem reperis; me  
 licet ad hoc periculum utare. ego hanc tibi & reipubli-  
 cae animam do. consul tribuno gratias laudesque egit.  
 tribunus & quadringenti ad moriendum proficiscuntur.  
 hostes eorum audaciam demirantur: quorsum ire per-  
 gant in expectando sunt. sed ubi apparuit ad eandem  
 verrucam occupandam iter intendere; mittit aduersum  
 illos imperator Karthaginensis peditatum equitatum-  
 que, quos in exercitu viros habuit strenuissimos. Ro-  
 mani milites circumueniuntur; circumuenti repugnant.  
 fit praelium diu anceps. tandem superat multitudo qua-  
 dringenti omnes tum una perfossi gladiis aut missilibus  
 operi cadunt. consul interibi dum ea pugna fit se in lo-  
 cos tutos atque editos subducit. sed quod illi tribuno du-  
 ci militum quadringentorum diuinitus in eo praelio usus  
 venit, non iam nostris sed ipsius Catonis verbis subie-  
 cimus. verba Catonis. Dii immortales tribuno mi-  
 litum fortunam ex virtute eius dedere. nam ita  
 euenit. cum faucibus multifariam ibi factus esset;  
 tum vulnus capiti nullum euenit: cumque inter  
 mortuos defetigatum vulneribus ægreque spi-  
 rantem, quod sanguen deflaxerat, cognoueret  
 eum sustulere. isque conualuit: sæpeque post il-  
 la operam reipublicæ fortem atque strennuam  
 perhibuit: illoque facto, quod illos milites sub-  
 duxit, exercitum ceterum seruauit. Sed idem  
 benefactum in quo loco ponas, nimium inte-  
 rest. Leonidas Lacedæmonius laudatur, qui simi-  
 le apud Thermopylas fecit, propter eius virtu-  
 tes omnis Græcia gloriam atque gratiam præci-  
 puam claritudinis inclutissimæ decorauere mo-  
 nimentis, signis, statuis, elogiis, historiis, aliis-

que rebus gratissimum id eius factum habuere.  
 at tribuano militum parua laus pro factis relicta,  
 qui idem fecerat, atque rem seruauerat. *Hanc Q.  
 Cadij virtutem M. Cato tali suo testimonio decorauit.  
 Claudius autem Quadrigarius, annali tertio, non Cadi-  
 cio nomen fuisse refert sed Valerio.*

## CAPVT VIII.

Litteræ eximiae consulum C. Fabricii & Aemilii  
 ad regem Pyrrhum à Q. Claudio scriptore hi-  
 storiarum in memoriam datæ.

**C**um Pyrrhus rex in terra Italia esset, & unam at-  
 que aliteram pugnam prospere pugnasset, satisque  
 angerentur Romani, & pleraque Italia ad regem descen-  
 disset: tum Ambraciensis quispiam Timochares, regis  
 Pyrrhi amicus, ad C. Fabricium consulem furtim venit,  
 ac premium petiuit; & si de premio conueniret, pro-  
 misit regem uenenis necare: idque facile esse factu, quo-  
 niam sui sui pocula in conuiuio regi ministrarent. eam  
 rem Fabricius ad senatum scripsit. senatus legatos ad re-  
 gem misit; mandauitque ut de Timochare nihil proderent,  
 sed monerent uti rex circumspectius ageret, atque à pro-  
 ximorum insidiis salutem tueretur. hoc ita, uti dixi-  
 mus, in Valerii Antiatii historia scriptum est. Quadri-  
 garius autem in libro tertio non Timocharem sed Niciam  
 adisse ad consulem scripsit; neque legatos à senatu mis-  
 sos sed à consulibus, & regem populo Romano laudes  
 atque gratias scripsisse, captiuosque omnes, quos  
 tum habueris, restituisse & reddidisse. consules  
 tum fuerunt C. Fabricius & Q. Aemilius. Litteras,  
 quas ad regem Pyrrhum super ea causa miserunt, Clau-  
 dius Quadrigarius scripsit fuisse hoc exemplo. Consules

Romani salutem dicunt Pyriho regi. Nos pro  
tuis iniuriis continuo animo stitenui, commo-  
ti inimiciter, tecum bellare studemus. sed com-  
munis exempli & fidei visum est, uti te saluum  
velimus, ut esset quem vincere possimus: Ad nos  
venit Nicias familiaris tuus, qui sibi precium &  
nobis peteret, si te clam interfecisset; id nos  
negauimus velle; neve ob eam rem quicquam  
commodi expectaret: & simul visum est, ut te  
certiorem faceremus; ne quid eiusmodi, si acci-  
disset, nostro consilio ciuitates putarent factum;  
& quod nobis non placet precio aut premio  
aut dolis pugnare. tu, nisi caues, iacebis.

## CAPVT IX.

Quis & cuiusmodi fuerit, qui in prouerbio fer-  
tur, equus Seianus, & qualis color equorum  
fit qui spadices vocantur: de que istius vocabu-  
li ratione.

**G**abius Bassus in commentariis suis, item Iulius  
Modestus in secundo questionum confusarum histo-  
riam de equo Seiano tradunt dignam memoria atque admi-  
ratione. Cui. Seium quempiam scribunt fuisse; eumque  
habuisse equum natum Argis in terra Gracia: de quo fa-  
ma constans esset tanquam de genere equorum progeni-  
tus foret, qui Diomedis Thracis fuissent; quos Hercules  
Diomede occiso in Thracia Argos perduxisset. Eum equum  
fuisse dicunt magnitudine inusitata, ceruice ardua, colo-  
re phœniceo, flaua & comanti iuba; omnibusque aliis  
equorum laudibus quoque longe prestitisse: sed euidenter  
equum tali fuisse fato siue fortuna ferunt, ut, quisquis ha-  
beret eum possideretque, is cum omni domo, familia, for-

tunisque omnibus suis ad internecionem deperiret. itaque primum illum Cn. Seium dominum eius à M. Antonio, qui postea III VIR. R. P. C. fuit, capitis damnatum miserando supplicio affectum esse: eodem tempore Cornelium Dolabellam consulem, in Syriam proficiscentem fama istius equi adductum Argos deuertisse; cupidineque habendi eius exarsisse; emissique .HS. centum milibus: sed ipsum quoque Dolabellam in Syria bello civili obsessum atque interfectum esse: mox eundem equum, qui Dolabella fuerat, C. Cassium, qui Dolabellam obsederat, abduxisse. eum Cassium postea satis notum est victis Parthis suoque exercitu suo miseram mortem oppetiisse: deinde Antonium post interitum Cassii, parua victoria, equum illum nobilem Cassij requisisse; & cum eo potitus esset, ipsum quoque postea victum atque desertum detestabili exitio interisse. hinc prouerbiū de hominibus calamitosis ortum dicique solitum; ille homo habet equum Seianum. Eadem sententia est illius quoque veteris prouerbij, quod ita dictum accepimus: aurum Tholosinum, nam cum oppidum Tholosanum in terra Gallia Q. Cæpio consul diripuisset; multumque auri in eius oppidi templis fuisset: quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero cruciabilique exitu perit. Hunc equum Gabius Bissus uidisse se Argis refert, haud credibili pulchritudine, vigoreque & colore exuberantissimo. quem colorem nos, sicuti dixi, Phœniceum, Græce partim ποινικόν alij αὐδίνον appellant: quoniam palmæ termes ex arbore cum fructu amulsus spadix dicitur.

## CAPVT X.

Quod est quædam septenarii numeri vis & facultas, in multis naturæ rebus animaduersa; de qua M. Varro in Hebdomadibus differit copiose.

**M**. Varro in primo librorum qui inscribuntur, Hebdomades vel de imaginibus, septenarij numeri, quem Graci ἐβδομάδα appellant, virtutes potestatesque multas variásque dicit. is namque numerus, inquit, septemtriones maiores minoresque facit in cælo, item vergilias, quas πλειάδας vocant, facit etiam stellas, quas alii erraticas, P. Nigidius erroneas appellat. circulos quoque ait in calo circum longitudinem axis septem esse; è quibus duos minimos, qui axem extremum tangunt, πόλους appellari dicit; sed eos in sphaera, qua κενώτη vocatur, propter brevitatem non inesse. Atqui neque ipse Zodiacus septenario numero caret. nam in septimo signo fit solstitiū à bruma; in septimo bruma à solstitio. in septimo æquinoctiū ab æquinoctio. dies deinde illos, quibus hálcyones hieme anni in aqua nidulántur, eos quoque septem esse dicit. præterea scribit luna curriculum confici integris quater septenis diebus. nam duodecesimo luna, inquit, ex quo vestigio perfecta est, eodem redit: auctoremque opinionis huius Aristidem esse Samium. in qua re non id solum animadverti debere dicit, quod quater septenis, id est, octo & viginti diebus conficeret iter luna suum; sed quod is numerus septenarius, si ab uno profectus dum ad semetipsum progreditur, omnes, per quos progressus est, numeros comprehendat, ipsumque se addat; facit numerum octo & viginti: quot dies sunt curriculi lunaris. ad hominem quoque nascendos vim numeri istius porrigi peritiamque ait. nam cum in uterum, inquit, mulieris vitale semen datum est; primis septem diebus coagulatur coaguláturque, fitque ad capiendum formam idoneum. post deinde quarta hebdomade, quod eius virile fœtus futurum est, caput & spiná, quæ est in dorso, informatur. septima autem fei è heb-

domade, id est nono & quadragesimo die totus, inquit, homo in utero abioluitur. Illam quoque vim numeri huius obseruatam refert. quod ante mensem septimum neque masculus neque femina salubriter ac secundum naturam nasci potest; & quod hi, qui iustissime in utero sunt, post ducentos octuaginta dies, postquam sunt concepti, quadragesima denique hebdomade ita nascuntur. pericula quoque vitæ fortunarumque hominum, quæ climacteras Chaldaei appellant, grauissima quoque fieri affirmat septenariis. præter hoc, modum esse dicit summum adolescendi humani corporis septem pedes, quod esse magis verum arbitramur, quam quod Herodotus homo fabulator, in primo historiarum, inuentum esse sub terra scripsit Orestis corpus cubita longitudinis habens septem; quæ faciunt pedes duodecim & quadrantem: nisi si, ut Homerus opinatus est, vastiora prolixioraque fuerint corpora hominum antiquorum; & nunc, quasi iam munda senescente, rerum atque hominum decrementa sunt. dentes quoque & in primis septem mensibus & septenos ex utraque parte gigni ait, & cadere annis septimus, & geminos annasci annis fere bis septenis. venas etiam in hominibus, vel potius arterias, medicos musicos dicere ait numero moueri septenario: quod ipsi appellant, τὴν δὲ πρῶτὴν ὀκτώβητον, quæ fit in collatione quaternarii numeri. discrimina etiam periculorum in morbis maiore vi fieri putant in diebus, qui conficiuntur ex numero septenarij: eosque dies omnium maxime, ita ut medici appellant, κρηϊνῶνς ἢ κρηϊσῶνς, cuique videri, primam hebdomadam & secundam & tertiam. Necnon id etiam est ad vim facultatesque eius numeri augendæ, quod, quibus inedia mori consilium est, septima æmum die mortem op petunt. Hæc Varro de numero septenario scripsit admodum conquisite, sed alia quoque ibi-



dem congerit frigidiuscula ; veluti septem opera esse in orbe terrarum miranda, & sapientes item veteres septem fuisse, & curricula ludorum circensium sollemnitas septem esse, ad oppugnandas Thebas duces septem electos. tum ibi addit se quoque iam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse, & ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse: ex quibus aliquantum, cum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis non comparuisse.

## CAPVT XI.

Quibus & quam friuolis argumentis Accius in Didascalico vtatur ; quibus docere nititur Hesiodum esse quam Homerum natu antiquiorem.

**S**uper atate Homeri atque Hesiodi non consentitur. Saliij Homerum quam Hesiodum maiorem natu fuisse scripserunt; in quibus Philochorus, & Xenophanes. alij minorem; in quibus L. Accius poeta & Ephorus historia scriptor. Marcus autem Varro, in primo de imaginibus, vter natus prior sit parum constare dicit; sed non esse dubium, quin aliquo tempore eodem vixerint; idque ex epigrammate ostendit, quod in tripode scriptum est qui in monte Helicone ab Hesiodo positus traditur. Accius autem in primo Didascalico leuibus admodum argumentis vititur per que ostendit Hesiodum natu priorem. Quod Homerus, inquit, cum in principio carminis Achillem esse filium Peleij diceret, quis esset Peleus non addidit. quam rem procul, inquit, dubio dixisset. nisi ab Hesiodo iam dictum videretur, de Cyclope itidem, inquit, vel maxime quod vno oculus fuit, rem tam insignem non praeterisset,

nii æque prioris Hesiodi carminibus vulgatum  
 esset. De patria quoque Homeri multo maxime dissen-  
 sum est. alij Colophonium, alij Smyrnaeum, sunt qui Athe-  
 niensem, sunt qui Egyptium dicant fuisse. Aristoteles  
 tradit ex insula Ie natum. M. Varro, in libro de Imagini-  
 bus primo, Homeri imagini hoc epigramma apposuit.

Capella Homeri candida hæc tumulú indicat,  
 Quoi ara Ietæ mortuo faciunt sacra.

Ἐπὶ πόλεις διερίζουσι περὶ ρίζαν ὀμήρου

Σμύρνα, Ρόδῳ, Κολοφών, Σαλαμίν, Ἴος, Ἀργεῖα  
 Ἀθήναι.

CAPVT XII.

Largum atque auidum bibendi à P. Nigidio do-  
 ctissimo viro nouo & propemodum absur-  
 do vocabulo *bibosum* dictum.

**B**ibendi auidum P. Nigidius in commentarijs gram-  
 maticis bibacem & bibosum dicit. bibacem  
 ego, ut edacé à plerisque alijs dictum lego. bibosum di-  
 ctum etiã nusquã reperi, nisi apud Laberium. neque aliud  
 est quod simili inclinatu dicatur. non enim simile est, ut,  
 vinosus, aut, vitiosus, ceteraque, quæ hoc modo dicun-  
 tur. quoniam à vocabulis non à verbis inclinata sunt.  
 Laberius in mimo vel primo qui Salinator inscriptus est,  
 verbo hoc ita utitur.

Non mammosa, non annosa, non bibosa, non  
 procax.

CAPVT XIII.

Quod Demosthenes etiam tum adolescens, cum  
 Platonis philosophi discipulus foret, audito  
 forte Callistrato rhetore in concione populi  
 destitit à Platone, & sectatus est Callistratú.

**H**ermippus hoc scriptum reliquit; Demosthenem admodum adolescentē ventitare in academiam Platonemque audire solitum. atque is, inquit, Demosthenes domo egressus, ut ei mos erat, cum ad Platonem pergeret, cōplurisque populos concurrentis videret; percunctatur eius rei causam, cognoscitque currere eos auditū Callistratum. is Callistratus Athenis orator in republica fuit. illi Ἰνναγῶρος appellant. visum est paulum devertere, experiri-que an ad digna auditu tanto properatum studio foret. venit, inquit, atque audit Callistratum nobilem illam τὴν περὶ ὀρόπου δίκην dicentem: atque ita motus & demulctus & captus est, ut Callistratum iam inde sectari cœperit; academiam cum Platone reliquerit.

## CAPVT XIII.

Dimidium librum legi, aut, dimidiam fabulam audiui, aliaque eiuscemodi qui dicat, vitiose dicere; eiusque vitii causas reddere M. Varro- nem: nec quenquam veterum iisce verbis ita usum esse.

**D**imidium librum legi, aut, dimidiam fabulam audiui, vel quid aliud huiuscemodi, male ac vitiose dici existimat Varro. oportet enim, inquit, dicere dimidiatum librum, non, dimidium, &, dimidiatam fabulam, non, dimidiam. contrā autem si è sextario hemina fusa est dimidium, non dimidiatum sextarium fustum dicendum est. & qui ex mille nummūm, quod ei debebatur, quingentos recepit, non dimidiatum recepisse dicemus, sed dimidium. at si scyphus, inquit, argēteus mihi cum alio communis in duas partes dissectus sit; dimidiatum eum dicere esse scyphum debeo, non dimidium; argenti autem, quod in eo scypho

ineſt, dimidium meum eſſe non dimidiatum. diſſerit ac diuidit ſubtiliſſime, quid dimidium dimidiato interſit, & Q. Ennium ſcienter hoc in annalibus dixiſſe ait;

Sicuti ſiquis ferat vas vini dimidiatum.

*ſicuti pars quæ deeſt ei vaſi, non dimidiata dicenda eſt, ſed dimidia. Omnis autem diſputationis eius, quam ſubtiliter quidem ſed ſubobſcure explicat, ſumma hæc eſt. Dimidiatū eſt quaſi diſmediatum, & in partis duas pares diuiſum. dimidiatum ergo niſi ipſum quod diuiſum eſt dici haud conuenit. dimidium vero eſt non quæd ipſum dimidiatum eſt, ſed quæ ex dimidiato pars altera eſt. cum igitur partem libri dimidiam legiſſe volumus dicere, aut partem dimidiam fabulæ audiſſe: ſi dimidiam fabulam, aut dimidium librum dicimus; peccamus, totum enim ipſum, quod dimidiatum atque diuiſum eſt, dimidiū dicis. itaque Lucilius eadem ſecutus.*

Vno oculo, inquit, pedibusque duobus dimidiatus

Vt porcus,

& alio loco:

Quid ni? & ſcruta quidem vt vendat ſcrutarius laudat.

Præfactam ſtigilem, ſoleam improbus dimidiatam.

*Iam in viceſimo maniſteſtus dimidiam horam dicere ſtudioſe fugit: ſed pro, dimidia, dimidium ponit in hiſce verſibus;*

Tempeſtate ſua atque eodem vno tempore  
& horæ

Dimidio, tribus conſectis duntaxat eandem

Et quartam.

*nam cum obuium proximūque eſſet dicere;*

--- &amp; hora

Dimidia tribus confectis:

*vigilate atque attente verbum non probum mutavit. per quod satis apparet ne horam quidem dimidiam recte dici, sed vel dimidiatam horam, vel dimidiam partem horæ, propterea Plautus in Bacchidibus dimidium auri dicit, non, dimidiatum aurum. item in Aulularia dimidium obsonii, non, dimidiatum obsonium, in hoc versu:*

Ei adeo obsonii hinc iussit dimidium dari.

*In Menachmis autem dimidiatum diem, non, dimidium, in hoc versu:*

Dies quidem iam ad umbilicum dimidiatus mortuus — ft.

*M. Cato in libro, quem de agricultura conscripsit: Semen cupressi ferito crebrum, ita ut linum feri solet. eo crebro terram insternito, dimidiatum digitum. iam id bene tabula aut pedibus aut manibus commanato. dimidiarum autem, inquit, digitum, non, dimidium. nam digiti quidem dimidium, digitum autem dimidiatum dici oportet. item*

*M. Cato de Karthaginensibus ita scripsit: Homines defoderunt in terram dimidiatos, ignemque circumposuerunt, ita interfecerunt. neque quisquam omnium, qui probe locuti sunt, his verbis secus, quam dixi, usus est.*

## CAPUT XV.

Existare in litteris perque hominum memorias traditum, quod repente multis mortem attulit gaudium ingens insperatum, interclusa anima, & vim magni novique motus non sustinente.

**C**ognito repente inſperato gaudio exſpiraffe animam  
 refert Ariſtoteles philoſophus Polycrytam nobilem  
 feminam Naxo inſula. Philippiſes quoque comœdiarum  
 poëta hand ignobilis, etate iam edita, cum in certamine  
 poëtarum præter ſpem viciffet, & lætiſſime gauderet; in-  
 ter illud gaudium repente mortuus eſt. De Rhodio etiam  
 Diagora celebrata hiſtoria eſt. is Diagoras tres filias ado-  
 leſcentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiſten,  
 tertium luctatorem: cõsque omnes vidit vincere coronari-  
 que eodem Olympia die: & cum ibi eum tres adoleſcen-  
 tes amplexi, coronis ſuis in caput patris poſitis, ſauia-  
 rentur; cumque populus gratulabundus flores undique in eum  
 iaceret: ibi in ſtadio, inſpectante populo, in oſculis atque  
 in manibus filiorum animam eſflavit. Præterea in noſtris  
 annalibus ſcriptum legimus, qua tempeſtate apud Can-  
 nas exercitus populi Romani caſus eſt, anum matrem nũ-  
 cio de morte filij allato, luctu atque merore affectam eſſe.  
 ſed is nuncius non verus fuit: atque is adoleſcens non diu  
 poſt ex ea pugna in urbem rediit. anus repente filio viſo,  
 copia atque turba & quaſi ruina incidẽtis inopinati gau-  
 dij oppreſſa exanimatãque eſt.

## CAPVT XVI.

Temporis varietas in puerperiis mulierum quæ-  
 nam ſit & à medicis & à philoſophis tradita:  
 atque inibi poëtarum quoque veterum ſuper  
 eadem re opiniõnes: multa que alia auditu at-  
 que memoratu digna; verbãque ipſa Hippo-  
 cratis medici ex libro illius ſumta, qui inſcri-  
 ptus eſt περὶ τοκευῶν.

**E**t medici & philoſophi illuſtres de tempore humani  
 partus quaſiuerunt: πόσος ὁ ἔσθ' ἀνθρώπων κηῶν

ἄλλοι. & multa opinio est, eaque iam pro vero recepta, postquam mulieris uterus conceperit semen, gigni hominem septimo rarenter, nunquam octavo, saepe nono, saepius numero decimo mense: eumque esse hominem gignendi summum finem, decem menses non inceptos sed exactos. idque Plautum veterem poetam dicere videmus in comœdia Cistellaria his verbis;

---tum illa, quam compresserat,

Decimo post mense exacto h'c peperit filiã.  
Hoc idem tradit etiam Menander poeta vetustior, humanarum opinionum vel peritissimus. Versus eius super ea re de fabula Plocio posui,

Γυνὴν κατὰ δέκα μῆνας.

Sed noster Cæcilius, cum faceret eodem nomine & eiusdẽ argumenti comœdiam, ac pleraque à Menandro sumeret; in mensibus tamen genitalibus nominandis, non prætermisit octavum quem præterierat Menander. Cæcilij versus hinc sunt,

Insolète mulier decimo mense parere?

Pol nono, etiam septimo, atque octavo.

eam rem Cæcilium non inconsiderate dixisse, neque temere à Menandro atque à multorum opinionibus descivisse M. Varro uti credamus facit. nam mense nonnunquam octavo editum esse partum in libro quartodecimo rerum divinatarum scriptum reliquit. quo in libro etiam undecimo mense aliquando nasci posse hominem dicit: eiusque sententiæ, tam de octavo quàm de undecimo mense; Aristotelem laudat auctorem. Sed huius de mense octavo dissensionis causa cognosci potest in libro Hippocratis, qui inscriptus est περὶ γεννησέων. ex quo libro verba hæc sunt, ἔστι δὲ καὶ ἔκ ἑστὶν ὀκτώμηνος γέννησις. id tam obscure atque præcise tamque adverse dictum Sabinus medicus, qui Hippocrateẽ commodissime commentatus est, his verbis enarrauit. ἔστι

*μὲν φαινόμενα ὡς ζῶα, μὲν τὴν ἐκ τρωσιν, οὐκ ἔσι δὲ ὡς  
 θνήσκοντα, μὲν ταῦτα, καὶ ὅτιν ὄω φαντασία, μὲν παραπι-  
 κα ὄντα, δὲ ἐνδόμεν δὲ οὐκ ἔσι. Antiquos autem Romanos  
 Varro dicit non recepisse huiusmodi quasi monstruosas  
 raritates; sed nono mense aut decimo, neque, præter hos, a-  
 liis partem mulieris secundum naturam fieri existi-  
 mase: iccircoque eos nomina Parcis tribus fecisse à pariē-  
 do & à nono atque decimo mense. nam Parca, inquit,  
 immutata littera, na à partu nominata; item No-  
 na & Decima à partus tempestiui tempore. Ca-  
 sellius autem Vindex in lectionibus suis antiquis; Tria,  
 inquit, nomina Parcat in I u t, Noua, Decima,  
 Morta: & uersum hunc Livi antiquissimi præta ponit  
 ex Odyssæa:*

*Quando dies adueniet, quæ profata Morta est?  
 sed homo minime malus Casellius, Mortam, quasi nomen  
 accepit, cum accipere quasi, Mæram deberet. Præterea ego  
 de partu humano, præterquam quæ scripta in libris legi;  
 hoc quoque uenisse usu Romæ comperi. Feminam bonis at-  
 que honestis moribus, non ambigua pudicitia in undeci-  
 mo mense, post mariti mortem, peperisse; factumque esse  
 negotium propter rationem temporis, quasi marito mortuo  
 postea concepisset. quoniam decemviri in decem mensibus  
 gigni hominem non in undecimo scripserunt: sed diuum  
 Hadrianum, causa cognita, decreuisse in undecimo quoque  
 mense partum edi posse: idque ipsum eius rei decretum nos  
 legimus. in eo decreto Hadrianus id statuere se dicit re-  
 quisitis veterum philosophorum & medicorum senten-  
 tiis. Hodie quoque in satyra M. Varronis quæ inscribitur;  
 testamentum, legimus uerba hæc: Si quis mihi filius  
 vnus plures e i in decem mensibus genuerit: si si  
 erunt ὄνοι λύρας, exheredes sunt. quod si quis vn-  
 decimo mese, καὶ ἀριστέλλω, natus est; Accio idē*



quod Titio ius esto apud me. Per hoc vetus prover-  
bium Varro significat, sicuti vulgo dici solitum erat de  
rebus inter se nihil distantibus, idem Accu quod Ti-  
tius: ita pari eodemque iure esse in decem mensibus natos  
& in undecim. quod si ita; neque ultra decimum men-  
sem fetura mulierum protolli potest: quæri oportet, cur  
Homerus scripserit Neptunum dixisse puella à se recens  
compressæ:

Χαῖρε νῦν φιλότηπ, περιπομένε δ' ἐναιωτῆ

Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα. ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι ἐνναὶ

Ἀθανάτων.

Id cum ego ad compluris grammaticos attulissem; partim  
eorum disputabant Homeri quoque ætate, sicuti Romuli,  
annum fuisse non duodecim mensium sed decem. alij con-  
venisse Neptuno maiestatiq; eius dicebant ut longiore  
tempore fetus ex eo grandesceret. alii alia quadam nuga-  
lia. sed Favorinus mihi ait περιπομένε ἐναιωτῆ non con-  
fecto esse anno sed affecto. in qua re usus est verbo non vul-  
gariæ significationis. affecta enim, sicuti M. Cicero &  
veterum elegantissimi locuti sunt, ea proprie dicebantur,  
quæ non ad finem ipsum sed proximè finem progressa dedu-  
ctæve erant. hoc verbum ad hanc sententiam in Ciceronis  
oratione fuit, quam dixit de provinciis consularibus. Hip-  
pocrates autem in eo libro, de quo supra scripsi, cum &  
numerum dierum, quibus conceptum in utero coagulum  
confirmatur, & tempus ipsius partionis nono aut decimo  
mense definiisset, neque id tamen semper eadem esse fini di-  
xisset, sed aliàs ocius fieri, aliàs serius; hisce ad postremum  
verbis usus est. γίνεται δὲ ἐν τούτοις καὶ πλείω καὶ ἐλάσσω  
καὶ ὄλου κατὰ μέρ. & εἴ ποτε δὲ καὶ πλείω πλείονων, καὶ  
ἐλάσσω ἐλασσόνων. quibus verbis significat quod aliquan-  
do ocius fieret, non multo tamen fieri ocius; neque, quod  
serius, multo serius. Memini ego Romæ accurate hoc atque

*solicite quaesitum, negotio non rei tunc paruae postulantē, an octauo mense infans ex utero uiuus editus & statim mortuus ius trium liberorum suppleuisset; cum abortio quibusdam non partus videretur mensis octauo intempestiuitas. Sed quoniam de Homerico annuo partu ac de undecimo mense diximus quae cognoueramus; visum est non praetereundum quod in Plinij Secundi libro septimo naturalis historiae legimus. id autem quia extra fidem esse videri potest; verba ipsius Plinij posuimus. Massurius auctor est, L. Papirium praetorem, secundo herede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, cum mater partum se tredecim mensibus tulisse diceret, quoniam nullum certum tempus patiendi statum ei videretur. in eodem libro Plinij Secundi verba haec scripta sunt: Oscitatio in nixu letalis est, sicut sternuisse à coitu abortiuum.*

## CAPVT XVII.

Id quoque esse à grauissimis viris memoriae mandatum, quod tres libros Plato Philolai Pythagorici & Aristoteles pauculos Speusippi philosophi mercati sunt precii fidem non capiētibus.

**M**emoriae mandatum est Platonem philosophum tenui admodum pecunia familiari fuisse; atque eum tamen tris Philolai Pythagorici libros decem millibus denariūm mercatum. id ei precium donasse quidam scripserunt amicum eius Dionem Syracusanum. Aristotelem quoque traditum libros pauculos Speusippi philosophi, post mortem eius, emisse talentis Atticis tribus. ea summa fit numi nostri 115. duo & septuaginta Timon amarulentus librum maledicentissimum conscripsit, qui omnes inscribitur.

bitur. in eo libro Platonem philosophum, quem dixeramus tenui admodum pecunia familiari fuisse, contumeliose appellat, quod impenso precio librum Pythagorica disciplina emisset, exque eo Timæum nobilem illum dialogum continuasset. Versus super ea re Timonis hi sunt;

Καὶ σὺ Πλάτων κει γὰρ σε μαθητῶν ὁ ποδὸς ἔχει.

Πολῶν δ' αὖ γυρίων ὀλίγω ἡλλαξας βίβλον.

Ὅθεν ἀπαρχόμενος γὰρ πρὶν ἐδίδαχθης.

## CAPVT XVIII.

Quid sint pedarii senatores & quam ob causam ita appellati: quatinus habeant originem verba hæc ex edicto tralatitio consulum: SENATORES. QUIBUS. QUI IN SENATU SENTENTIAM DICERE LICET.

**N**on pauci sunt qui opinantur pedarios senatores appellatos, qui sententiam in senatu non verbis dicerent, sed in alienam sententiam pedibus irent. quid igitur? cum senatusconsultum per discessionem fiebat, nonne uniuersi senatores sententiam pedibus ferebant? atque hæc etiam vocabuli istius ratio dicitur, quam Gabius Bassus in commentariis suis scriptam reliquit. senatores enim dicit in veterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi. in quo curru sella esset, supra quam considerent; quæ ob eam causam currulis appellaretur: sed eos senatores, qui magistratum curulem nondum ceperant pedibus itauisse in curiam: propterea senatores non dum maioribus honoribus functos pedarios nominatos. Marcus autem Varro in satyra Menippea, quæ Ἰπποκώων inscripta est, equites quosdam dicit pedarios appellatos: videturque eos significare, qui nondum à censoribus in senatum lecti erant,

senatores quidem non erant; sed quia honoribus populi usque quidem erant, in senatum veniebant & sententia ius habebant. nam & curulibus magistratibus sancti, qui nondum à censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant: & quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias, sed, quas principes dixerant, in eas discedebant. Hoc significabat edictum, quo nunc quoque consules cum senatores in curiam vocant, servanda consuetudinis causa tralaticio utuntur. Verba edicti hæc sunt: SENATORES. QUIBVS. Q. IN. SENATV. SENTENTIAM. DICERE. LICET. *versum quoque Laberij, in quo id vocabulum positum est, notari iussimus, quem legimus in mimo qui; scriptura inscriptus est;*

Caput sine lingua pedaria sententia est. Hoc vocabulum à plerisque barbare dici animadvertimus. nam pro, pedariis, pedaneos appellant.

CAPVT XIX.

Qua ratione Gabius Bassus scripserit, *parcum* hominem appellatum, & quam eius vocabuli causam putarit: & contrà quem in modum, quibusque verbis Favorinus hanc traditionem eius eluserit.

**A** pud cœnam Favorini philosophi cum discubitu fuerat, cœptusque erat apponi cibus: seruus assistens mensæ eius legere inceptabat, aut Græcarum quid litterarum aut nostratium: velut eo die, quo affui ego, legebatur Gabij Bassi eruditi viri liber de origine verborum & vocabulorum. in quo ita scriptum fuit: *Parcus* composito vocabulo dictus est, quasi par arcæ: quoniam sicut in arca omnia reconduntur, eiusque custo-

dia seruantur & continentur; ita homo tenax parvóque contentus omnia custodita & recondita habet sicuti arca. quam ob causam parcus, quasi par arcæ nominatus est. tum Favonius, ubi hæc audiuit, Superstitiose, inquit, & nimis moleste atque odiose confabulatus commolitusque magis est originem vocabuli Gabius iste Bassus quam enarravit. nam, si licet res dicere commenticias, cur non probabilius videatur ut accipiamus parcum ob eam causam dictum, quod pecuniam consumi atque impendi arceat & prohibeat, quasi; pecuniarchus. Quin potius, quod simplicius inquit, veriusque est id dicimus? Parcus, enim neque ab arca neque ab ariendo sed ab eo quod est parum, & parvum denominatus est.

h ij

# A. GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMEN-

T A R I V S L I B E R

Q V A R T V S.

C A P V T I.

Sermo quidam Fauorini philosophi cum gram-  
matico iactantore factus in Socraticum mo-  
dum: atque inibi in sermone dictum quibus  
verbis, *penus* à Q. Scauola definita sit.

**I**N vestibulo adium Palatinarum omnis serè  
ordinum multitudo opperientes salutationum  
Casaris constiterant. atque ibi, in circulo do-  
ctorum hominum, Fauorino philosopho pra-  
sente, ostentabat quispiam grammaticæ rei doctor scholica  
quædam nugalia, de generibus & casibus vocabulorum  
differens, cum arduis supercilijs vocisque & vultus gra-  
uitate composita tanquam interpret & arbiter Sibyllæ  
oraculorum, tum adspiciens ad Fauorinum, quanquam ei  
etiam nondum satis notus esset, *Penus* quoque, inquit,  
varijs generibus dictum & variè declinatum est.  
nam & hoc *penus*, & hæc *penus* & huius *peni* &  
*peneris* & *peniteris* & *penoris* veteres distauerunt.  
mundum quoque muliebrem Lucilius in Saty-  
riam sextodecimo non virili genere, vt ceteri,  
sed neutro appellavit his versibus:

Legunt quidam vxori mundum omne pe-  
numque.

Quid mundum; quid non? nam quis diiudi-  
cet isthuc?

atque omnium horum & testimonijs & exemplis con-

strepebat. cumque nimis odiose sibi placeret: intercessit placide Favorinus; & iā bone, inquit, magister, quicquid est nomen tibi, abunde multa decuisti, qua quidem ignorabamus, & scire haud sane postulabamus. quid enim refert mea, eiusque quicum loquor, quo genere penum dicam: aut in quas extremas litteras declinem, si nemo id non nimis barbare fecerit? sed hoc plane indigeo addiscere, quid sit penus, & quo sensu id vocabulum dicatur; ne rem cotidiani usus, tamquam qui in venalibus Latine loqui tentant, alia, quam oportet, voce appellem. Quæris, inquit, rem minime obscuram. quis adco ignorat penum esse vinum & triticum & oleum & lentem & fabam atque huiuscemodi cetera? Etiamne, inquit Favorinus, milium & panicum & glans & ordeum penus est? sunt enim propemodum hac quoque eiusmodi. cumque ille reticens hæreret: Nolo, inquit, hoc iam labores an ista, qua dixi, penus appellentur. sed potesne mihi non speciem aliquam de penu dicere, sed definire genere proposito & differentiis apposis quid sit penus? qua genera & quas differentias dicas, non hercle, inquit, intelligo. rem, inquit, Favorinus, plane dicam. postulas, quod non est difficillimum, dici planius. nam hoc quidē peruulgatum est, definitionem omnem ex genere & differentia consistere. sed si item mihi præmandare, quod aiunt, postulas: faciam sane id quoque honoris tui habendi gratia atque deinde ita exorsus est. Si, inquit, ego te nunc rogem uti mihi dicas & quasi circumscribas verbis, quid homo sit; non opinor, respondeas hominem esse te atque me. hoc enim, quis homo sit, ostendere est; non, quid homo sit, dicere. sed si, inquā, peterem ut ipsum illud, quod homo est, definiret; tum profecto mihi diceres, hominem esse mortale animal rationis & scientiæ capiens; vel quo alio modo diceres, ut eum à ceteris animalibus omnibus seperares. proinde igitur

sur nunc te rogo ut, quid sit penus, dicas, nō ut aliquid ex penu nomines. Tum ille ostentator voce iam molli atque demissa Philosophias, inquit, ego non didici nec discere appetui; & si ignoro an ordeum ex penu sit aut quibus verbis penus definiatur, non ea re litteras quoque alias nescio. Scire, inquit ridens iam Favorinus, quid penus sit, non ex nostra magis est philosophia quam grammatica tua. meministi enim credo quæri solitum quid Virgilius dixerit, penum instruere vel longam vel longo ordine. utrumque enim profecto scis legi solitū. sed, ut faciā æquiore animo ut sis; ne illi quidem veteris iuris magistris, qui sapiētes appellati sunt, definisse satis recte existimatur quid sit penus. nam Q. Scaeuolam, ad demonstrādum penum, his verbis usum audio. Penus est, inquit, quod cuculentū aut poculentū est. quod enim ipsius patrisfamilias, aut liberorum patrisfamilias eiusque familiæ, quæ circum eum aut liberos eius est & opus non facit, causa paratum est, ut Mucius ait, penus videri debet. nam, quæ ad edendum bibendumque in dies singulos prandii aut cœnæ causā parantur, penus non sunt: sed ea potius, quæ huiusce generis longæ vsionis gratia contrahuntur & reconduntur, ex eo quod non in promptu sunt, sed intus & penitus habeantur penus dicta sunt. hæc ego, inquit, cum philosophia me dedissem, non insuper tamen habui discere: quoniam ciuibus Romanis Latine loquentibus rem non suo vocabulo demonstrare non minus turpe esset, quam hominem non suo nomine appellare. Sic Favorinus sermones in genus communes à rebus paruis & frigidis abducebat ad ea, quæ esset magis utile audire ac discere, non allata extrinsecus, non per ostentationem sed indidem nata acceptaque. Præterea de peno adscribendum hoc



etiam putavi, Seruium Sulpicium in reprehensis Scaeuola capitibus scripsisse Seio Elio placuisse non quæ esui tantum & potui forent, sed tus quoque & cereos in penu esse, quodque esset eius ferme rei causa comparatum. Mafsurius autem Sabinus, in libro iuris ciuilibus secundo, etiam quod iumentorum causa apparatus esset, quibus dominus uteretur, penori attributū dicit. Ligna quoque & virgas & carbones, quibus conficeretur penus, quibusdam ait videri esse in penu. ex his autem, quæ promercialia & vsuaria in locis isdem essent, ea sola esse penoris putat, quæ sint vsui annuo.

## CAPVT II.

Quid differat morbus & vitium; & quam vim habeant vocabula ista in edicto ædiliū; & an eunuchus & steriles mulieres redhiberi possint, diuersæque super ea re sententiæ.

**I**N edicto ædiliū curulium, qua parte de mancipijs vendendis cautum est, scriptum sic fuit. TITVLVS. SERVORVM, SINGVLORVM, VTEI. SCRIPTVS. SIT. COERATO. ITA. VTEI, INTELLEGI. RECTE, POSSIT. QUID, MORBI. VITII. VE. QVOI. Q. SIT. QVIS. FVGITIVVS. ERRO. VESIT. NOXA, VE. SOLVTVS. NON. SIT. propterea quæsierunt iureconsulti veteres, quod mancipium morbosum quodve vitiosum recte diceretur; quantumque morbus à vitio differret. Cælius Sabinus, in libro quem de edicto ædiliū Curulium composuit, Labsonem refert, quid esset, morbus, hisce verbis definisse. Morbus est habitus cuiusque corporis contra naturam, qui vsum eius facit deteriorem. sed morbum alias in toto corpore accidere di-

cit, alias in parte corporis. totius corporis morbum esse; veluti phthisis aut febris; partis autē, veluti cecitas aut pedis debilitas. balbus autē, inquit, & atypus vitiosi magis quam morbofi sunt: ut equus in ordax aut calestro, vitiosus nō morbofus est. sed cui morbus est, id et.ā vitiosum est. i. eque id tamē on. iā fit. potest enim, qui vitiosus est, non morbofus esse. quamobrem, cum de homine morbofo ageretur, nequaquam, inquit, itā dicatur: QVANTIOB. ID. VITIUM. MINORIS. ERIT. De eunuchō quidem quaesitum est, an contra edictum adilium videretur venundatus, si ignorasset emtor eum eunuchum esse. Labonem respondisse aiunt, redhiberi posse quasi morbofum: sues autem feminas, si steriles essent, & venum essent, ex edicto adilium posse regi Labonem scripsisse. de sterili autem muliere, si nativa sterilitate sit, Trebatium contra Labonem respondisse dicunt. nam cum redhiberi eam Labeo, quasi minus sanam, putasset necesse: non oportere aiunt Trebatium ei edicto apposuisse, si ea mulier à principio genitali in sterilitate esset. at si valetudo eius offendisset, exque ea vitium factum esset, ut concipere fetus non posset; tum sanam non videri, & esse in causa redhibitionis. de myope quoque, qui luscitiosus Latine appellatur, & πεπὶ νόσος dīssensum est. alij enim redhiberi omnimodis debere, alij contra, nisi id vitium morbo contractum esset. eum vero, cui dens dēset, Seruius redhiberi posse respondit: Labeo in causa esse redhibendi negavit. nam & magna, inquit, pars dente aliquo carent: neque eo magis plerique homines morbofi sunt. & absurdum admodum est dicere, non sanos nasci homines; quoniam cum infantibus non simul dentes gignuntur. Non praterendum est, id quoque in libris ve-

serum iurisperitorum scriptū esse, morbum & vitium distare; quod vit. um perpetuum, morbus cum accessu discessūque sit. sed hoc ita est; neque cæcus neque eunuchus morbosus est, contra Labeonis, quam supra dixi, sententiam. verba Masurij Sabini apposui ex libro iuris ciuilib secūdo. Furiosus mutusue, cuiue quod membrum lacerum læsumque est, aut obest quominus ipse aptus sit, morbohi sunt. qui non longe videt; tam sanus est quam qui tardius currit.

## CAPVT III.

Quod nullæ fuerint rei vxoriæ actiones in vrbe Roma ante Caruilianū diuortium: atque inibi quid sit proprie pellex: quæque eius vocabuli ratio sit.

**M**Emoria traditum est, quingentis ferè annis post Romam conditam, nullas rei vxoriæ neque actiones neque cautiones in vrbe Romana aut in Latio fuisse: quia profecto nihil desiderabantur nullis etiam tunc matrimonij diuertentibus. Seruius quoque Sulpicius in libro, quem composuit de dotibus, tum primum cautiones rei vxoriæ necessarias esse visas scripsit, cum Sp. Caruilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis diuortium cum vxore fecit; quia liberi ex ea, corporis vitio, non gignerentur, anno vrbis cōdita 15. x x iiii. M. Attilio P. Valerio Coss. atque is Caruilius traditur vxorem, quam dimisit, egregie dilexisse, carissimamque morum eius gratia habuisse; sed iurisiurandi religionem animo atque amori prauertisse; quod iurare a censoribus coactus erat vxorem se liberū quærendorum gratia habiturum. Pellicem autem appellatam probrosamque habitam eam, quæ iuncta consuetaque esset cum eo, in cuius manu man-

*ei quoque alia matrimonii causa foret, hac antiquissima lege ostenditur, quam Numa regis fuisse accepimus. PELLEX. ASAM. IVNONIS. NE. TAGITO. SI. TAGET. IVNONI. CRINIBOVS. DEMISSIS. ARNYM. FEMINAM. CAIDITO. pellex autem quasi πάλλαξ, idest, quasi παλλαξίς: ut pleraque alia, ita hoc quoque vocabulum de Græco flexum est.*

## CAPVT IIII.

Quod Seruius Sulpicius in libro, qui est de dotibus, scripserit de iure atque more veterum sponsaliorum.

**S**ponsalia in ea parte Italia, quæ Latium appellatur, hoc more atque iure solita fieri scripsit Seruius Sulpicius in libro, quem scripsit de dotibus. Qui uxorem, inquit, daturus erat, ab eo, vnde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri. qui daturus erat, itidem spondebat daturum. is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia. tum, quæ promissa erat, sponsa appellabatur; qui sponso dederat ducturum, sponsus. sed si post eas stipulationes vxor non ducebatur, aut non ducebatur; qui stipulabatur ex sponso agebat. iudices cognoscebant. iudex, quamobrem data acceptave nõ esset vxor, quærebat. si nihil iustæ causæ videbatur; litem pecunia æstimabat: quantique interfuerat eam vxoré accipi aut dari, eum, qui sponso dederat aut qui stipulatus erat, condemnabat. hoc ius sponsaliorum obseruatum dicit Seruius ad id tempus, quo ciuitas vniuerso Latio, lege Iulia, data est. hac eadem Nera-

eius scripsit, in libro, quem de nuptiis composuit.

## CAPVT V.

Historia narrata de perfidia haruspicum Etruscorum: quodque ob eam rem versus hic à pueris Romæ vrbe tota cantatus est; *Malum consilium consultori pessimum est.*

Statua Romæ in comitio posita Horatii Coclitis fortissimi viri de celo tacta est. ob id fulgur piaculis laudandum, haruspices ex Etruria acciti, inimico atque hostili in populum Romanum animo, instituerant eam rem contrariis religionibus procurare. atque illam statuam suaserunt in inferiorem locum perperam transponi, quem sol oppositu circum undique aliarum adium nunquam illustraret. quod cum ita fieri persuasissent: delati ad populum proditique sunt; & cum de perfidia confessi essent, necati sunt: constititque eam statuam, proinde ut vera rationes post comperta monebant, in locum editum subducendam, atque ita in area Volcani sublimiori loco statuendam: eaque res bene & prospere recip. cessit. tunc igitur, quod in Etruscos haruspices male consulentes animaduersum vindicatumque fuerat. versus hic scite factus cantatusque esse à pueris vrbe tota fertur.

Malum consilium consultori pessimum est.

Ea historia de haruspibus ac de versu isto senario scripta est in Annalibus Maximis libro undecimo, & in Verrii Flacci libro primo rerum memoria dignarum. videtur autem hic versus de Græco illo Hesiodi versu expressus:

Ἦ δὲ κακὴ βουλή τῷ βουλευσάντι κακίση

## CAPVT VI.

Verba veteris S. C. in quo decretum est hostiis maioribus expiandum quod in sacrario hastæ martiæ mouissent: atque inibi enarratum quid sint *hostiæ succidaneæ*, quid item *tempora pracidaneæ*: quodque Capito Ateius *ferias* qualdam *pracidaneas* appellauit.

**V**T terram mouisse nuntiari solet; eaque res procuratur: ita in veteribus memoriis scriptum legimus, nuntiatum esse senatui, in sacrario, in regia, hastas Martias mouisse. eius rei causa senatusconsultum factum est M. Antonio A. Postumio COS S. eiusque exemplum hoc est.

QVOD. C. IVLIVS. L. F. PONTIFEX. NVNTIAVIT. IN. SACRARIO. IN. REGIA. HASTAS. MARTIAS. MOVISSE. DE. EA. RE. ITA. CENSVERVNT. VTI. M. ANTONIVS. CONSVL. HOSTIIS. MAIORIBVS. IOVI. ET. MARTI. PROCVRARET. ET. CETERIS. DIS. QUIBVS. VIDERETVR. PLACANDIS. VTI. PROCVRASSET. SATIS. HABENDVM. CENSVERVNT. SI. QVID. SYCCIDANEIS. OPVS. ESSET. ROBIGVS. ACCEDERET.

*Quod succidaneas hostias senatus appellauit, quæri solet quid verbum id significet. in Plauti quoque comædia, quæ Epidicus inscripta est, super eodem ipso verbo requiri audio in his versibus.*

Men' piacularem oportet fieri ob stultitiã tuã,  
Vt meum tergum stultitiæ tuæ subdas succidaneum?

Succidaneæ autem hostiæ dicuntur è littera per mo-  
rem compositi vocabuli in, i, litteram commutata. nam  
quasi succædanæ appellatæ: quoniam, si primis hostiis  
litatum non erat, aliæ post easdem ductæ hostiæ cade-  
bantur. quæ, quasi prioribus iam casis, luædi piaculi gratia,  
subdebantur & succidebantur ob id succidaneæ nomina-  
tæ, littera, i, scilicet tractim pronütiata. audio enim quosdã  
eam litteram in hac voce barbære corripere. Eadem autem  
ratione verbi præcidaneæ quoque hostiæ dicuntur, quæ  
ante sacrificia sollemnia pridie caduntur. porca etiam  
præcidanea appellata, quam piaculi gratia, ante fruges  
nouas captas immolari Cereri mos fuit, si qui familiam  
funestam aut non purgauerant, aut aliter eam rem, quam  
oportuerat. procurauerant. sed porcã & hostias quas-  
dam præcidaneas, sicuti dixi appellari, vulgo notum est.  
ferias præcidaneas dici id, opinor, à vulgo remotum  
est. propterea verba Ateij Capitonis ex quinto librorum,  
quos de pontificio iure composuit, scripsi. Ibi Corunca-  
nio pontifici maximo feriæ præcidaneæ in-  
atum diem inauguratæ sunt. collegium decre-  
uit non habendum religioni, quin eo die feriæ  
præcidaneæ essent.

## CAP. VII.

De epistola Valerii Probi grammatici ad Mar-  
cellum scripta super accentu nominum quo-  
rundam Pænicorum.

**V**alerius Probus grammaticus inter suam ætatem  
præstanti scientia fuit. is Hannibælem & Ha-  
sdrubælem & Hamilcætem ita pronuntiabat ut pæ-  
nultimam circumflecteret: ut testis est epistola eius scri-  
pta ad Marcellum; in qua Plautum & Ennium multos-

que alios veteres eo modo pronuntiasse affirmat. solius tamen Ennii versum unum ponit, ex libro, qui Scipio inscribitur. cum versum quadrato numero factum subiecimus: in quo, nisi tertia syllaba de Hannibâlis nomine circumflexa ponatur, numerus claudus est. versus Ennii, quem dixit, ita est.

Qui propter Hannibâlis copias considerant.

C A P V T V I I I .

Quid C. Fabricius de Cornelio Rufino homine avaro dixerit; quem, cum odisset inimicusque esset, designandum tamen consulem curavit.

**F**abricius Luscinus magna gloria vir magnisque rebus gestis fuit. P. Cornelius Rufinus quidem strenuus & bellator bonus, militarique disciplina admodum peritus fuit; sed furax homo & auaritia acris erat. hunc Fabricius non probabat, neque amico utebatur: ususque eum morum causa fuit. Sed cum in temporibus reip. difficilissimis consules creandi forent; & is Rufinus peteret consulatum; competitorisque eius essent imbelles quidam & futiles: summa ope aditus est Fabricius, uti Rufino consulatus deferretur. eam rem plerisque ammirantibus, quod hominem avarum, cui esset inimicissimus, creari consulem peteret, quem hostiliter oderat: Fabricius inquit, Nihil est quod miremini; si malui compilari quam venire. Hunc Rufinum postea bis consulatus & dictatura functum censor Fabricius senatu movit, ob luxuriam notam; quod decem pondo libras argenti factitaret. id autem, quod supra scripsi, Fabricium de Cornelio Rufino ita, ut in pleraque historia est, dixisse: M. Cicero non alius à Fabricio sed ipsi Rufino gratias agenti, quod eius gratiam dedignatus non esset, dictum esse refert in libro secundo de



*Oratore. verba Ciceronis hæc sunt.* Arguta etiam significatio est, cum parua re & sæpe verbo res obscura & latens illustratur: vt cum C. Fabricio P. Cornelius homo, vt existimatur, auarus & furax, sed egregie fortis & bonus imperator, gratias ageret, quod se homo inimicus consulem fecisset, bello præsertim magno & graui; Nihil est quo mihi gratias agas, inquit, si malui compilari quàm venire.

## CAPVT IX.

Quid significet propriè, *religiosus*, & in quæ diuerticula significatio vocabuli istius flexa sit; & verba Nigidii Figuli ex commentariis eius super ea re sumta.

**N**igidius Figulus homo, vt ego arbitror, iuxta M. Varronem doctissimus in undecimo commentariorum grammaticorum refert versum ex antiquo carmine memoria Hercle dignum:

Religentem esse oportet; religiosum nefas. Cuius autem id carmen sit non scribit. atque in eodem loco Nigidius Hoc, inquit, inclinamentum semper huiuscemodi verborum, vt, vinosus, mulierosus, religiosus, nummosus signat copiã quamdã immodicam rei, super qua dicitur. quocirca religiosus is appellabatur, qui nimia & superstitiosa religione se se alligauerat, eaque res vitio assignabatur. sed præter ista, quæ Nigidius dicit, alio quodam diuerticulo significationis religiosus pro casto atque obseruanti cohibentique sese certis legibus finibusque dici cœptus. simili autem modo illa quoque vocabula, ab eadem profecta origine, diuersum significare videntur, religiosi

dies, & re i, iosa de'ubra, religiosi enim dies dicuntur tristi omine infames impeditique: in quibus & res diuinas facere & rem quampiam nouā exordiri temperandum est. quos multitudo imperitorum prauē & perperam nefastos appellant. itaque M. Cicerio in libro epistolarum nono ad Atticum, Maiores, inquit, nostri funestiorē di, m esse voluerunt Aheis pugnae, quam urbis captæ; quo hoc malum ex illo. itaque alter religiosus etiā nūc dies, alter in vulgus ignotus. idem tamen M. Tullius, in oratione de accusatore constituendo, religiosa delubra dicit, non om. nosa nec tristia sed maiestatis venerationisque plena. Massivius autem Sabinus, in commentariis quos de indigenis composuit, Religiosū, inquit, est quod propter iactantiam aliquam rem tam ac se, ositū à nobis est. verbum à relinquendo dicitur, tamquam cærimoniam à carendo. secundum hanc Sabinus interpretationem templa quidem ac delubra, quia horū cumulus in vituperationem non cadit, ut illorum, quorum laus immodesta est, religiosa sunt, quæ non vulgo ac temere sed cum castitate cæmoniaque adiunda & reuerenda & reformidanda sunt magis quam inuulganda. sed dies religiosi dicti, quos ex contraria causa, propter omnis diritatem, relinquimus. ideo ait Terentius in Heautontimorumenō.

Tūn, quod dem ei, recte est. nam, nihil esse mihi, religio est dicere.

Quod si, ut ait Nigidius, omnia istiusmodi inclinamenta nimium ac præter modum significant, & ideo in culpas cadunt. ut, vinosus, mulierosus, verosus, morosus famosus: cur il geniosus, formosus & officiosus & speciosus, quæ pariter ab ingenio & forma & officio inclinata sunt; cur etiam disciplinosus, contilius,

liosus, victoriosus, quæ M. Cato ita affiguravit; cur  
 item facundiosa, quod Sempronius Asellio tertio-deci-  
 mo rerum gestarum ita scripsit, Facta sua spectari oportere;  
 dicta non, si minus facundiola essent: cur, inquam, ista omnia  
 numquam in culpam sed in laudem dicuntur; quamquam hæc quoque  
 incrementum sui nimium demonstrant? an propterea, quia illis  
 quidem, quæ supra posuit, adhibendus est modus quidam necessarius?  
 nã & gratia, si nimia quidem atque immodica, & motus, si multi  
 atque varii, & verba, si perpetua atque infructiva & obtundentia,  
 & fama, si magna & inquietæ & inuidiosa sit, neque laudabilia  
 neque utilia sunt. ingenium autem & officium & forma & disciplina  
 & consilium & victoria & facundia, sicut ipsæ virtutum  
 amplitudines, nullis finibus cohibentur; sed quanto maiora  
 auctioraque sint, etiam tanto laudatiora sunt.

## CAPVT X.

Quid obseruatum de ordine rogandarum sententiarum in senatu; iurgiorumque in senatu C. Caesaris Consulis & M. Catonis diem dicendo eximentis.

**A**Nte legem, quæ nunc de senatu habendo obseruatur, ordo rogandi sententias varius fuit. aliàs primus rogabatur, qui à censoribus princeps in senatum lectus fuerat; aliàs qui designati consules erant. quidam è consulibus studio aut necessitudine aliqua adducti, quem iis visum erat, honoris gratia, extrà ordinem sententiam primum rogabant. obseruatum tamen est cum extrà ordinem fieret, ne quis quemquam, ex alio quam ex consulari loco, sententiam primum rogaret. C. Caesar in consulatu, quem cum M. Bibulo gessit, quattuor solos extrà ordinem rogaf-

se sententiam dicitur. ex iis quatuor principem rogabas M. Crassum. sed, postquam filiam Cn. Pompeio desponderat, primum cœperat Pompeium rogare. eius rei rationem reddidisse cum senatui Tiro Tullius M. Ciceronis libertus refert: itaque se ex patrono suo audisse scribit. id ipsum Capito Atcius in libro, quem de officio senatoris composuit, scriptum reliquit. in eodem libro Capitonis id quoque scriptum est. Caius, inquit, Cæsar consul M. Catonem sententiam rogavit. Cato rem quam consulebatur, quoniam non è rep. videbatur, perfici nōlebat. eius rei gratia ducendæ, longa oratione utebatur; eximebátque dicendo diem. erat enim ius senatori ut, sententiam rogatus, diceret antè quicquid vellet alii rei & quoad vellet. Cæsar consul viatorem vocavit; eúmque, cū finem non faceret, prehendi loquētem & in carcerem duci iussit. senatus consurrexit: & proferebatur Catonem in carcerem. hac, inquit, iniuria facta Cæsar destitit, & mitti Catonem iussit.

## CAPVT XI.

Quæ qualiaq. sint, quæ Aristoxenus, quasi magis comperta, de Pythagora memoriæ comendavit, & quæ item Plutarchus eundem in modum de eodem Pythagora scripsit.

**O**pinio vetus falsa occupavit & conualuit Pythagoram philosophum non esitavisse ex animalibus; itē abstinuisse fabulo, quem κῶαμον Græci appellant. ex hac opinione Callimachus poëta scripsit:

Καὶ κῶαμον ἀπὸ χεῖρας ἔχεν ἀνιῶν τον ἔδεδα

Καὶ γὰρ πυθαγόρας ὡς ἐκέλευε λέγω.

Ex eadem item opinione M. Cicero, in libro de diuinatione primo, hæc verba posuit. Iubet igitur Plato sic ad

ſomnum proficiſci corporibus affectis, vt nihil ſit quod errorem animis perturbationemque afferat. ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur, ne faba veſcerentur; quod habet inflammationem magnam iſ cibus tranquillitatem mentis quærentibus contrariam. *hac quidem M. Cicero. ſed* *Ariſtoxenus muſicus, vir litterarum veterum diligentiffimus, Ariſtotelis philoſophi auditor, in libro, quem de Pythagora reliquit, nullo ſæpius legumento Pythagoram dicit uſum quam fabis. quoniam iſ cibus & ſubduceret ſenſum aluum & leuigaret. verba iſta Ariſtoxeni ſubſcripſi: Πυθαγόρας δὲ τῶν ὁσπρίων μάλιστα τὸν κῶμον ἐδοκίμασε λίαν, κινητικόν τε γὰρ εἶναι, καὶ διασπορητικόν, διὸ καὶ μάλιστα κέχρηται αὐτῶ. porculis quoque minusculis & hedis tenerioribus victiſſe idem Ariſtoxenus refert. quam rem videtur cognouiſſe ex Xenophilo Pythagorico familiari ſuo, & ex quibusdam aliis natu maioribus, qui ab ætate Pythagoræ haud multum aberant. ac de animalibus Alexis etiam poëta in comædia, quæ Pythagoræ vita inſcribitur, docet. videtur autem de κῶμῳ non eſitato cauſam erroris fuiſſe, quia in Empedocli carmine, qui diſcipulus Pythagoræ ſecutus eſt, verſus hic inuenitur.*

*Δειλοὶ, πάνδειλοι, κῶμων ἀπὸ χεῖρας ἐχέουσι.*

opinati enim ſunt plerique κῶμον legumentum vulgo dici. ſed qui diligentius anquiſitiuſque carmina Empedocli arbitrati ſunt, κῶμους hoc in loco teſticulos ſignificare dicunt; eoſque, more Pythagoræ aperte atque ſymbolice κῶμος appellatos, quia ſint εἰς τὸ κωεῖν δευοὶ καὶ αἴποι τὸ κωεῖν; & genitura humana vim prabeant. iccircoque in Empedocli verſu iſto non à fabulo edendo, ſed à rei Venereæ proluvio, voluiſſe homines deducere. Plutarchus quoque homo in diſciplinis graui auctoritate in primo librorum quos de Homero composuit Ariſto-

telem philosophum scripsit eadē ipsa de Pythagoricis scripsisse; quod non abstinerunt edendis animalibus, nisi pauca carne quadam. verba ipsa Plutarchi, quoniam res inopinata est, subscripsi. Αριστέλης δὲ μήτρας, καὶ καρδίας, καὶ ἀγγύρης, καὶ τοιούτων ἄλλων ἀπέχεσθαι φησὶ τοὺς Πυθαγορικοῦς: χεῖμα δὲ τοῖς ἄλλοις ἔσθ' Ἀγγύρη αὐτῆ ἐστὶν ἄνθος ἰαματικόν, quod urtica appellatur. sed & pisibus non nullis abstinerere Pythagoricos Plutarchus in Symposiacis dicit. Pythagoram vero ipsum sicuti celebre est Euphorbum primo se fuisse dictitasse; ita hæc remotiora sunt his, quæ Clearchus & Dicaarchus memoria tradiderunt, fuisse eum postea Pyrandrum, deinde Callicleam deinde feminam pulchra facie meretricem, cui nomen fuerat Alce.

## CAPVT XII.

Notæ & animaduersiones censoriæ in veteribus monumentis repertæ memoria dignæ.

**S**I quis agrum suum passus fuerat sordescere, eumque indiligenter curabat, ac neque arauerat neque purgauerat; sine quis arborem suam vineamque habuerat derelictam: non id sine pœna fuit; sed erat opus censorium: censorsque ararium faciebant. item si quis eques & manus equum habere gracidetum aut parum nitidum visus erat; impolitæ notabatur. id verbum significat, quod si tu dicas; incuria. cuius rei utriusque auctoritates sunt: & M. Cato id sæpenumero attestatus est.

## CAPVT XIII.

Quod incentiones quædam tibiæ certo modo factæ ilchiacis medei possint.

**P**roditum hoc à plerisque est & memoria mandatum; *P*ischiaci cum maxime doleant, tum, si modulis lenibus tibiçen incinat, minui dolores. ego nuperrime in libro Theophrasti scriptum inueni, viperarum moribus tibiçenem scite modulatèque adhibitum mederi. refert etiam idem Democriti liber, qui inscribitur *ἑλ λοιμῶν ἢ λοιμῶν κακῶν*, in quo docet plurimis hominum moribus medicinam fuisse intentiones tibiçarum. tanta prorsus est affinitas corporibus hominum mentibusque; & propterea quoque vitiis aut medelis animorum & corporum.

## CAPVT XIII,

Narratur historia de Hostilio Mancino ædili & Mamilia meretrice: verbaque decreti tribunorum ad quos à Mamilia prouocatum est.

**C**um librum nonum *Ate* Capitonis Conlectaneorū clegeremus, qui inscriptus est, de iudiciis publici: decretum tribunorum visum est grauitatis antiquæ plenum. propterea id meminimus. idque ob hanc causam & in hanc sententiam scriptum est. *A.* Hostilius Mancinus ædilis curulis fuit. & Mamilia meretrici diem ad populū dixit, quod de ambulacro eius noctu lapide ictus esset. vulnūque ex eo lapide ostendebat. Mamilia ad tribunos pl. beī prouocauit. apud eos dixit commissatorem Mancinum ad ædes suas venisse; eum sibi fas recipere non fuisse in æde suas sed, cum vi irrumperet, lapidibus depulsum. tribuni decreuerunt ædilem ex eo loco iure deiectum, quo eum venire cum coronario non decuisset: propterea, ne cum populo ædilis ageret, intercesserunt,

Defensa à culpa sententia ex historia Sallustii, quam inimici eius cum infectatione malignè reprehenderint.

**E**legantia orationis Sallustii verborumque facundia & nouãdi studium cum multa prorsus inuidia fuit: multique non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere pleraq. & obrectare. in quibus plura in scite aut maligne vellicant. nonnulla tamen videri possunt non indigna reprehensione. quale illud in Catilinæ historia repperitum est; quod habeat eam speciem, quasi parum attente dictum. verba Sallustii hæc sunt. Ac mihi quidem, tamen si haudquaquam par gloria sequatur scriptorem & auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere. primum, quod facta dictis ex æquanda sunt. dein, quod plerique, quæ delicta reprehenderis, maliuolentia & inuidia dicta putant. vbi de magna virtute atque gloria bonorum memores; quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit: supra; veluti ficta pro falsis ducit. Proposuit, inquiunt, dicturum causas, quam obrem videatur esse arduum res gestas scribere: atque ibi non primum causam sed querelas dicit. non enim causa videri debet, cur historia opus arduum sit, quod ii, qui legunt, aut inique interpretantur quæ scripta sunt, aut vera esse non credunt. obnoxiam quippe & obiectam falsis existimationibus eã rem dicendam magis aiunt quam arduam. quia, quod arduum est, sui operis difficultate est arduum, non opinionis alienæ erroribus. Hæc illi maliuoli reprehenses dicunt. sed, arduum, Sallustius nõ pro difficili tantum sed pro eo quoque ponit, quod Græci εὐχεγῆς aut χαλεπὸν appellāt: quod est tum difficile, tum molestum quoque & incommodum & intretractabile. quorum



verborum significatio à sententia Sallustij superscripta non abhorret.

## CAPVT XVI.

De vocabulis quibusdam à Varrone & Nigidio contra cotidiani sermonis consuetudinem declinatis: atque inibi id genus quædam cum exemplis veterum relata.

**M**Varronem & P. Nigidium, viros Romani generi disertissimos, comperimus non aliter locutos esse & scripsisse, quam senatus, & domus, & fluctus: qui est patrius casus, ab eo quod est, senatus, domus, & fluctus. hinc senatui, domui, fluctui, ceteraque his consimilia pariter dixisse. Terentij quoque comici versus in libris veteribus itidem scriptus est.

Eius anuis, opinor, causa, quæ est mortua.

Hanc eorum auctoritatem quidam è veteribus grammaticis ratione etiam firmare voluerunt: quod omnis dativus singularis littera finitus, i, si non similis est genitiui singularis; littera addita genitivum singularem facit. ut, pati patris, duci ducis, cædi cædis. Cum igitur, inveniunt, in casu dædi huic senatui, dicamus; genitivus ex eo singularis senatus est, & non, senatus. Sed non omnes concedunt in casu dativo senatui magis dicendum quam, senatu. sicut Lucilius in eodem casu, victu, &, anu, dicit; non, victui, & anui: in hisce versibus.

Quod sumtum atque epulas victu præponis honesto. & alio in loco

Anu noceo, inquit.

Virgili<sup>o</sup> quoq. in casu dædi, aspectu, dicit, nõ aspectui.

--- Teque ad aspectu ne subtrahe nostro.

& in Georgicis.

Quod nec concubitu indulgent.

Caius etiam Caesar grauis auctor linguae Latinae in Anticatone, Vnius, inquit, arrogantiae superbiaeque, dominacuae. item in Dolabellam actionis III. Ibi isti, quorum in aedibus fanisque posita & honori erant & ornatu. in libris quoque analogicis omnia istiusmodi sine, i, littera dicenda censet.

## CAPVT XVII.

De natura quarundam particularum, quae praeposita verbis intendi atque produci barbare atque inscite videntur, exemplis rationibusque plusculis disceptatum.

**L** *Vcily ex undecimo versus sunt.*

Scipiae magno improbus obiiciebat  
Asellus

Lustrum, illo censore, malum infelixque  
fuisse.

obiiciebat, o, littera producta multos legere audio. idque eo facere dicunt, ut ratio numeri salua sit. idem infra,  
--- & iam

Coniicere in versus dictum praconis volebam  
Granl.

in hoc quoque prima verbi praepositio ob eandem causam  
producitur. item quintodecimo,

Subiicit hinc humilem, & sufferctus posteriorē.  
subiicit, v, littera longa legunt. quia primam syllabam  
breuem esse in versu heroico non conuenit. item apud Plautum  
in Epidico, con, syllabam productam pronuntiant,

Age nunc iam, orna te Epidice & pallium in  
collum coniice.

Apud Virgilium quoque, subiicit, verbum produci à  
plerisque audio.

--- etiam Parnasia laurus

Parua sub ingenti matris se subiicit vmbra.

Sed neque ob, neque, sub. præpositio producēdi habent naturā; neque item, con; nisi cum eā littera sequuntur, quæ in verbis, cōstituit, & confecit, secundū eam primæ sunt; vel cum eliditur ex ea, n, littera: sicut Sallustius, Fenoribus, inquit, coopertus. in his autem, quæ supra posui, & metrum esse integrum potest, & præpositiones istæ possunt non barbare protendi. secunda enim littera in his verbis per duo ii, non per unum scribenda est. nam verbum istud, cui supradictæ particula præposita sunt, non icio est sed iacio, & præteritum non icit, sed iecit. idque ubi compositum est ex a littera; a in i mutatur; sicuti fit in verbis in silio & incipio: atque ita vim consonantis capit. & idcirco ea syllaba productius latiusque paulo pronūtiata priorē syllabam breuem esse non patitur; sed reddit eam positu longam; proptereaque & numerus in versu & ratio in pronunciatu manet. hæc, quæ diximus, eo etiam conducunt, ut, quod apud Virgilium in sexto postum inuenimus,

Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram  
Iniice;

sic esse, iniice, ut supra dixi, & legendum & scribendum sciamus: nisi quis tam indocilis est ut, in hoc quoque verbo, in præpositionem metri causa protendat. querimus igitur in obicibus, o, littera qua ratione intendatur, cum id vocabulum factum sit à verbo, obicio; & nequaquam simile sit, quod à verbo moueo motus, o, littera longa dicitur. Equidē memini Sulpiciū Apollinarem, virum præstanti litterarum scientia, obices & obicibus, o, littera correpta dicere; in Virgilio quoque sic eum legere;

--- qua vi maria alta tumescant

Obicibus ruptis.

*sed ita, ut diximus, i, litteram, qua in vocabulo quoque gemina esse debet, paullo uberius largiusque pronuntiabat. congruens igitur est ut subices etiam, quod proinde ut obices compositum est, v, littera brevis dici oporteat. Ennius in tragœdia, qua Achilles inscribitur, subices pro aëre alto ponit, qui cælo subiectus est; in his verbis.*

Per ego deum sublimes subices, humidus

Vnde oritur imber sonitu sæuo & spiritu.

*plerosque homines tamen legere audias, v, littera producta. id ipsum autem verbum M. Cato sub alia prepositione dicit in oratione, quam de consulatu suo habuit. Ita hos, inquit, fert ventus ad priorem Pyrenæum: quo proiicit in altum. & Pacuvius item in Anchysæ. Id promontorium, cuius linguam in altum proiicit.*

#### CAPUT XVIII.

De Africano superiore sumpta quædam ex annalibus memoratu dignissima.

**S**cipio Africanus antiquior quanta virtutum gloria præstiterit, & quam fuerit altus animo atque magnificus, & qua sui conscientia nixus; pluribus rebus qua dixerit quæque fecerit declaratum est. ex quibus sunt hæc duo exempla eius fiducia atque exsuperantia ingentis. Cum M. Nauius tribunus plebei accusaret eum ad populum; diceretque à rege Antiocho accepisse pecuniam, ut condicionibus gratiosis ac mollibus pax cum eo populi Romani nomine fieret; & quædam item alia crimini daret indigna tali viro: tum Scipio pauca præfatus, quæ dignitas vitæ suæ atque gloria postulabat, Memoria

*inquit, Quirites repeto diem esse hodiernum, quo Hannibalem Pœnum imperio nostro inimicissimum magno prælio vici in terra Africa; pacemque & victoriam vobis peperit insperabilem. non igitur simus aduersum deos ingrati: & censeo relinquamus nebulonẽ hunc; eamus nunc protinus Ioui optimo maximo gratulatum. id cum dixisset: auertit, & ire in Capitolium cœpit. tum concio vniuersa, quæ ad sententiam de Scipione dicendam conuenerat, relicto tribuno, Scipionem in Capitolium comitata, atque inde ad ades eius, cum letitia & gratulatione sollempni profecta est. Fertur etiam oratio, quæ videtur habita eo die à Scipione. & , qui dicunt eam non veram, non eunt infitias, quin hæc quidem verba fuerint, quæ dixi, Scipionis. item aliud est factum eius præclarum. Pœtilius quidam tribunus plebei à Marco, ut aiunt, Catone inimico Scipionis comparatus in eum atque immisus desiderabat in senatu instantissime, ut pecuniæ Antiochena, prædaque, quæ eo in bello capta erat, rationem redderet. fuerat enim L. Scipioni Asiatico fratri suo imperatori in ea prouincia legatus. ibi Scipio exsurgit; & prolato è sinu toga libro, rationes in eo scriptas esse dixit omnis pecuniæ omnisque præda: allatum ut palam recitaretur, & ad ærarium deferretur. sed enim id iam non faciam, inquit, nec meipse afficiam contumelia. eumque librum statim discidit suis manibus, & conperpsit; agre passus, quod, cui salus imperij ac reip. accepta ferri deberet, rationem pecuniæ prædaticia posceretur.*

## CAPVT XIX,

Quid M. Varro in logistorico scripserit de moderando victu puerorum impubium.

**P**veros impuberes compertum est, si plurimo cibo nimioque somno uterentur, hebetiores fieri; aduertimusque hinc elici tarditatem; corporaque eorum improcera fieri, minusque adulescere. idem plerique alij medicorum philosophorumque, & M. Varro in logistorico scripsit; qua inscripta est Capys aut de liberis educandis.

## CAPVT XX.

Notati à censoribus, qui audientibus iis dixerant ioca quædam intempesti uiter; ac de eius nota deliberatum, qui steterat fortè apud eos oscitabundus.

**I**nter censorias seueritates tria hæc exempla in litteris sunt castigatissima disciplina. unū est huiusmodi. Censor agebat de uxore sollempne iusurandis. uerba ita erant concepta. VT. TV. EX. ANIMI. TVI. SENTENTIA. VXOREM. HABES. qui iurabat caullator quidam & canicula & nimis ridicularius fuit. is locum esse sibi iocidicendi ratus, cum ita, uti mos erat, censor dixisset; TV. EX. ANIMI. TVI. SENTENTIA. VXOREM. HABES? Habeo equidem, inquit. uxorem, sed non ex animi tui sententia. tum censor eum, quod intempestiue lasciuisset, in ararios retulit; causamque hæc iociscurrilis apud se dict. subscripsit. Altera seueritas eiusdem sectæ disciplinæque est. deliberatum est de nota eius, qui ad censes ab amico aduocatus est, & in iure stans,

clare nimis ac sonore oscitavit : atque inibi, prope ut pleteretur, fuit ; tamquam illud indicium vagi animi foret & allucinantis, & fluxa atque aperta securitatis. sed cum ille deierasset inuictissimum sese ac repugnantem oscitatione victum, teneatque eo vitio quod oicedo appellatur ; tum nota iam destinata exemptus est. P. Scipio Africanus Pauli F. utramque historiam posuit in oratione, quam dixit in censura, cum ad maiorum mores populum adhortaretur. item aliud refert Sabinus Massurius in seipso memoriali seuerè factum. Censores, inquit, P. Scipio Nasica & M. Popillius cum equitum censum agerent ; equum nimis strigosum & male habitam, sed equitem eius vberrimum & habitissimum viderunt. Et cur, inquirunt, ita est, ut tu sis quam equus cur tior? quoniam, inquit, ego me curo; equum Staius meus seruus. visum est patrum reuerens esse responsum relatūque in aratoribus, ut mos est. Staius autem seruile nomen fuit. plerique apud veteres serui eo nomine fuerunt. Cæcilius quoque ille comædiarum poëta inclutus seruus fuit : & propterea nomen habuit Staius, sed postea versum est quasi in cognomentum : appellatusque Cæcilius Staius.

A. GELII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
QVINTVS.

CAPVT I.

Quod Musonius philosophus reprehendit improbauitque laudari philosophum differentem à vociferantibus & in laudando gestientibus.

**M**USONIUM philosophum solitum dicere accepimus: cum philosophus, inquit, hortatur, monet, suadet, obiurgat, aliudve quid disciplinarum differit; tum qui audiunt, si de summo & soluto pectore obuias vulgatasque laudes effutiunt; si clamitant etiam, si vocum eius festiuitatibus, si modulis verborum, si quibusdam quasi frequentamentis orationis mouentur, exagitantur, & gestiunt; tum scias & qui dicit & qui audiuit frustra esse: neque illic philosophum loqui, sed tibicinem canere. animus is, inquit, audientis philosophum, si, qua dicuntur, utilia ac salubria sunt & errorum atque vitiorum medicinas ferunt, laxamentum atque otium prolixè profuseque laudandi non habet: quisquis ille est qui audit, nisi ille est plane deperditus, inter ipsam philosophi orationem, & perhorrescat necesse est & pudeat tacitus & pœniteat & gaudeat & admiretur: varios adeo vultus disparilesque sensus gerat; proinde ut eum conscientiamque eius affecerit utrarumque animi partium aut sincerarum aut agrarum philosophi pertrectatio. præterea dicebat magnam laudē non abesse ab admiratione: admirationem au-



sem, quæ maxima est, non parere verba sed silentium: iccirco, inquit, poetarum sapientissimus auditores illos Pelyxi labores suos illustrissime narranti, ubi loquendi finis factus, non exsultare nec strepere nec vociferari facit: sed cõsiluisse uniuersos dicit, quasi attonitos & obstipidos delinimentis aurium ad origines usque vocis permanantibus.

## CAPVT II.

Super equo Alexandri regis, qui Bucephalus appellatus est.

**E**quus Alexandri regis & capite & nomine Bucephalus fuit. eum Cares scripsit talentis tredecim & regi Philippo donatum: aris nostri summa est **HS CCCXII**. Super hoc equo dignum memoria visum; quod, ubi ornatus erat armatusque ad prælium, haud unquam inscendi sese ab alio nisi a rege passus sit. id etiam de isto equo memoratum est; quod cum in eo insidens Alexander, bello Indico, & facinora faciens fortia, in hostium cunearum non satis sibi providens immisisset, coniectis undique in Alexandrum telis, vulneribus altè in ceruice atque in latere equus perfossus est: moribundus tamen ac prope iam exsanguis è mediis hostibus regem viuacissimo cursu retulit: atque, ubi eum extra tela extulerat, ilico concidit, & deinde iam superstitis securus, quasi cum sensus humani solatio, exspirauit. tum rex Alexander, parta eius belli victoria, oppidum in isdem locis condidit; atque, ob equi honores, Bucephalon appellauit.

## CAPVT III.

Quæ causa quòdque initium fuisse dicatur Prætagoræ ad philosophiæ litteras adeundi.

**P**rotagoram, virum in studiis doctrinarum egregium; cuius nomen Plato libro illi suo incluto inscripsit, adolescentem aiuunt, victus quarendi gratia, in mercedem missum; vecturâsque onerum corpore suo factitauisse. quod genus Græci *Casidortas* vocant; Latine baiulos appellamus. is de proximo rure in *Abderam* oppidum, cuius popularis fuit, caudices ligni plurimos funiculo breui circumdatos portabat. tum fortè Democritus ciuitatis eiusdem ciuis, homo ante alios virtutis & philosophiæ gratia venerandus, cum egrederetur extra urbem, videt eum, cum illo genere oneris tam impedito ac tam incohibili, facile atque expedite incedentem: & prope accedit; & vincturam posituramque ligni scite periteque factam considerat; petitque vt paulum acquiescat. quod ubi *Protagoras*, vti erat petitum, fecit; atque itidem *Democritus* aceruum illum & quasi orbem caudicum, breui vinculo comprehensum, ratione quadam quasi geometrica librari continerique animaduertit: interrogauit quis id lignum ita composuisset: & cum ille à se compositum dixisset desiderauit vti solueret, ac denuo in modum eundem collocaret. at postquam ille soluit, ac similiter composuit: tum *Democritus*, animi aciem sollertiâque hominis non docti demiratus, Mi adolescens, inquit, cum ingenium benefaciendi habeas, sunt maiora meliorâque quæ facere tecum possis: abduxitque eum statim, secumque habuit, & sumtum ministravit, & philosophias docuit, & esse cum fecit, quantus postea fuit. is tamen *Protagoras* insincerus quidem philosophus sed acerrimus *sophistarum* fuit. pecuniam quippe ingentem cum à discipulis acciperet annuam, pollicebatur se id docere, quamam verborum industria causa infirmior, fieret fortior. quam *rcm* Græce ita dicebat; τὸν ἡὲν λόγον τὸν κατὰ πείρην.

## CAPVT IIII.

De verbo, *duoetvicesimo*, quod vulgo incognitum est, à viris doctis multifariam in libris scriptum est.

**A** Pud Sigillaria forte in Libraria ego & Iulius Paulus vir memoria nostra doctissimus confederamus: atque ibi expositi erant Fabii annales, bonæ atque sinceræ vetustatis libri, quos vëditor sine mendis esse contendebat. Grammaticus autem quispiam de nobilioribus, ab emtore ad spectandos libros adhibitus, reperisse vnum in libro mendum dicebat. sed contra librarius in quodam pignus vocabat, ni in vna nussiam littera delictum esset, ostendebat grammaticus ita scriptum in libro quarto. Quapropter tum primum ex plebe alter consul factus est duoetvicesimo anno postquam Romã Galli ceperunt. nō, inquit, duoetvicesimo, sed, duo-  
deicesimo scribi oportuit. quid enim est, duoetvicesimo? alio quoque loco hic ita scripsit. mortuus est anno duoetvicesimo. rex fuit annos viginti & vnum.

## CAPVT V.

Cuiusmodi ioco cauillatus sit Antiochum regem Pœnus Hannibal.

**I**N libris veterum memoriarum scriptum est Hannibalem Karthaginensem apud regem Antiochum facetissime cauillatum esse. ea cauillatio huiuscemodi fuit. Ostendebat ei Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum populo Romano facturus comparauerat: cōuertebátque exercitum insignibus argenteis & aureis florentem. induce-

bat etiam currus cum falcibus, & elephantos cum turribus, equitatumque frenis, ephippiis, monilibus, phaleris præfulgentem. atque ibi rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus Hannibalem adspicit: &, Putasne, inquit, conferri posse, ac satis esse credis Romanis hæc omnia? tum Pœnus eludens ignaviam imbellidamque militum eius preciose armatorum Satis plane, inquit satis esse credo Romanis hæc omnia, etiamsi avarissimi sunt. Nihil prorsus neque tam lepide neque tam acerbe dici potest. rex de numero exercitus sui ac de equiperatione æstimanda quæsierat: respondit Hannibal de præda.

## CAPUT VI.

De coronis militaribus; quæ sit earum triumphalis, quæ obsidionalis, quæ civica, quæ muralis, quæ castrensis, quæ navalis, quæ ovalis, quæ Oleaginea.

**M**ilitares coronæ multifariæ sunt. quarum quæ nobilissimæ sunt, has ferme esse accepimus, triumphalem, obsidionalem, civicam, muralem, castrensem, navalem. est ea quoque corona quæ ovalis dicitur. est item postrema oleaginea, qua uti solent qui in prælio non fuerunt, sed triumphum procurant: triumphales coronæ sunt aureæ, quæ imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. id vulgo dicitur aurum coronarium. hæc antiquitus e lauro erant; post fieri ex auro cœpta. obsidionalis est, quam ii, qui liberati sunt obsidione, dant ei duci, qui liberavit. ea corona graminea est: observarique solitum ut fieret e gramine, quod in eo loco generatum esset, intra quem clausi erant, qui obsidebantur. Hanc coronam gramineam senatus populûsque Romanus Q. Fabio Maxi-

ino dedit, bello Pœnorum secundo; quod urbem Romanam obsidione hostium liberasset. Civica corona appellatur, quam civis civi à quo servatus est in prælio testem vite salutisque perceptæ dat. ea fit è fronde quærna; quoniã cibus victusque antiquissimus quærnus capi solitus sit: etiam ex ilice; quod genus superiori proximũ est, sicut scriptum est in quadam comœdia Cæciliæ.

Adueruntur, inquit, cum iligæa corona & chlamyde.

Di vostram fidem!

Massurius autem Sabinus, in undecimo librorum memorialium, civicam coronam tum dari solitum dicit; cum is, qui civem servauerat, eodem tempore etiam hostem occiderat; neque locum in ea pugna reliquerat: aliter ius civicæ coronæ negat concessum: Tiberium tamen Casarem consultum, an civicam coronam capere posset, qui civem in prælio servasset & hostes ibidem duos interfecisset, sed locum, in quo pugnabat; non retinisset, eoque loco hostes potiti essent; rescripsisse dicit eum quoque civica dignum videri; quod apparet tam iniquo loco civem ab eo servatum, ut etiam à fortiter pugnantibus retineri non quiverit. hac corona civica L. Gellius vir censorius in senatu Ciceronem consulem donari è republica censuit; quod eius opera esset atrocissima illa Catilina coniuratio detecta vindicataque. muralis est corona, qua donatur ab imperatore qui primus murum subiit, inque oppidum hostium per vim descendit. itcirco quasi muri pinthis decorata est. castrænsis est corona, qua donat eum imperator, qui primus hostium castra pugnant introiit. ea corona insignie valli habet. navalis est; qua donari solet, maritimo prælio, qui primus in hostium navem armatus vi transiit. ea quasi navium rostris insignita est. & muralis autem & castræ-

lis & naualis fieri ex auro solent. oualis vero corona myrtea est. ea utebantur imperatores qui ouantes introibant urbem. ouandi autem ac non triumphandi causa est; cum aut bella non ritè indicta, neque cum iusto hoste gesta sunt; aut hostium nomen humile & non idoneum est, ut seruorum piratarumque; aut, deditione repente facta, impulsuere, ut dici solet, incruentaque victoria obuenit. cui facilitati aptam esse Veneris frondens crediderunt, quod non Martius sed quasi Venerius quidam triumphus foret. Hanc myrteam coronam M. Crassus, cum bello fugitiuorum confecto ouans rediret, insolenter aspernatus est; senatusque consultum faciendum per gratiam curauit, ut lauro, non myrto, coronaretur. M. Cato obiecit M. Fulvio Nobiliori quod milites per ambitionem coronis, de causis leuissimis, donasset. de qua re verba ipsa apposui Catonis. Nam principio quis vidit corona donari quemquam, cum oppidum captum non esset; aut castra hostium non incensa essent? Fuluius autem, in quem hoc à Catone dictum est, coronis donauerat milites, quia vallum curauerant, aut quia puteum strennue foderant. Prætereundum non est, quod ad orationes attinet; super quo dissensisse veteres scriptores scio. partim enim scripserunt, qui ouaret introire solitum equo uehementem; at Sabinus Masurius pedibus ingredi ouantes dicit, sequentibus eos non militibus sed uniuerso senatu.

## CAPVT VII.

Personæ uocabulum quàm lepidè interpretatus sit quàmque esse uocis eius originem dixerit Gaius Bassus.

**L** Epidè mehercules & scitè Gabius Bassus in libris, quos de origine vocabulorum composuit, unde appellata persona sit interpretatur. à personando enim id vocabulum factum esse coniectat. Nam caput, inquit, & os cooperimento personæ tectum vndique vnâque tantum vocis emittendæ via peruiû, quoniam non vaga neque diffusa est, n vnum tantummodo exitum collectam coactamque vocem, & magis claros canorosque sonitus facit, quoniam igitur indumētum illud oris clarescere & resonare vocem facit; ob eam causam persona dicta est, o, littera, propter vocabuli formam, productiore.

## CAPVT VIII.

Defensus error à Virgilio versibus, quos arguerat Iulius Higinus grammaticus: & ibidè quid sit lituus; deque etymologia vocis eius.

**I**Pse Quirinali lituo paruâque sedebat  
Succinctus trabea; læuâque ancile gerebat.  
*in his versibus errasse Virgilium Higinus scripsit, tamquã non animaduertit deesse aliquid hisce verbis;*

Ipse Quirina i lituo.

*nam, si nihil, inquit, deesse animaduertimus, videtur ita dictum ut fiat; lituo & trabea succinctus, quod est, inquit, absurdissimum. quippe cum lituus sit virga breuis in parte, qua robustior est, incurua; qua augures vtiuntur: quoniam modo lituo succinctus videri potest? immo ipse Higinus parum animaduertit sic hoc esse dictum, ut pleraque dici per defectionem solet, veluti cum dicitur; M. Cicero homo magna eloquẽtia. & quasi Roscius histrio summa venustate. non plenum hoc*

utrumque, nō perfectum est; sed enim pro pleno atque perfecto auditur. ut Virgilius alio in loco dixit;

Victorem Buten inmani corpore,  
id est, corpus inmane habentem. & item alibi;

In medium geminos inmani pondere cæsus  
Proiecit.

ac similiter.

--- domus fanie dapibúsque cruentis,

Intus opaca, ingens.

sic igitur id quoque videri dictum debet, Picus Quirinali lituo erat; sicuti dicimus, statua grandi capite erat. est autem, & erat, & fuit, plerumque absunt, cum elegantia, sine detrimento sententia. Et, quoniam facta litui mentio est, non præmittendum est, quod posse quæri animaduertimus, utrum lituus auguralis à tuba, quæ lituus appellatur, an tuba à lituo augurum lituus dicta sit. utrumque enim pari forma & pariter incuruum est. sed si, ut quidam putant, tuba à sonitu lituus appellata est ex illo Homérico versu, Δίγξε βίος: necesse est ita accipi ut virga auguralis à tuba similitudine lituus vocetur. utitur autem vocabulo isto Virgilius & pro tuba.

Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.

#### C A P V T IX.

Historia de Cræsi filio sumta ex Herodotilibris.

**F**ilius Cræsi regis, cum iam per atatem fari posset, infans erat, & cum iam multum adoleuisset, itē nihil fari quibat. mutus adeo & elinguis diu habitus est. cum vero in patrem eius bello magno victum, & vrbe, in qua erat, capta, hostis gladio deducto regem



esse ignorans inuaderet : diduxit adolescens os clamare nitens : eoque nisu & impetu spiritus vitium nodumque lingua rupit ; planèque & articulate elocutus est, clamās in hostem ne rex Cræsus occideretur. tum & hostis gladium reduxit, & rex vita donatus est, & adolescens loqui prorsum deinceps incæpit. Herodotus in historiis huius memoria scriptor est : eiusque verba sunt, quæ prima dixisse filium Cræsi refert ; Αὐθῆσων μὲν κτείνε Κροῖσον, Sed & quispiam Samius athleta, nomen illi fuit Αἰγλῆς, cum antea non loquens fuisset, ob similem dicitur causam loqui cœpisse. nam cum in sacro certamine sortitio inter ipsos & aduersarios non bona fide fieret, & sortem nominis falsam subuci animaduertisset : repente in eum, qui id faciebat, sese videre quid faceret magnum inclamauit. atq, is oris vinculo solutus, per omne inde vitæ tempus, non turbide neque adhæse locutus est.

## CAPVT X.

De argumentis quæ Græcè ἀντισέροντα appellantur, à nobis reciproca dici possunt.

**I**Nter vitia argumentorum longe maximum esse vitium videtur eorum quæ ἀντισέροντα Græci dicunt, ea quidam ex nostris non Hercules nimis absurde reciproca appellauerunt. id autem vitium accidit hoc modo ; cum argumentum propositum referri contra controuertique potest in eum à quo dictum est ; & utrumque pariter valet : quale est peruulgatum illud, quo Protagoram sophistarum acerrimum usum esse ferunt aduersus Euathlum discipulum suum. lis namque inter eos & controuersia super pacta mercede hæc fuit. Euathlus adolescens diues eloquentiæ dicenda causarumque orandi cupiens fuit.

is in disciplinam Protagoræ sese dedit; datumque præmisit mercedem grandem pecuniam, quantam Protagoras petiuerat: dimid. umque eius iam tunc dedit statim prius quam disceret: pepigitque ut reliquum dimidiatum daret, quo primo die causam apud iudices orasset & vicisset. postea cum diu tunc auditor affectatorque Protagoræ fuisset; & in studio quidem sacundia abunde promouisset, causas tamen non reciperet; tempusque iam longum transcurreret; & facere id videretur ne reliquum mercedis daret: capit consilium Protagoras, ut tum existimabat, astutum. petere instituit ex pacto mercedem; litem cū Euathlo cōtestatur. & cū ad iudices, conicienda consistendæq. causa gratia, venissent; tum Protagoras sic exorsus est. Disce, inquit, stultissime adolescens, utroque id modo fore ut reddas quod peto, siue contra te pronunciatum erit siue pro te. nam, si contra te lis data erit, merces mihi ex sententia debbitur, quia ego vicero: sin vero secundum te iudicatum erit; merces mihi ex pacto debbitur, quia tu viceris. ad ea respondit Euathlus. Potui, inquit, huic tua tam ancipiti captioni isse obuiam. si verba non ipse facerem, atque alio patrono uterer. sed magis mihi in ista victoria proleudium est, cum te non in causa tantum sed in argumento quoque isto vinco. Disce igitur tu quoque, magister sapientissime, utroque modo fieri uti non reddam quod petis; siue contra me pronunciatum erit siue pro me. nam, si iudices pro causa mea senserint, nihil tibi ex sententia debbitur: quia ego vicero. sin contra me pronunciauerint; nihil tibi ex pacto debebo, quia non vicero. tum iudices dubiosum hoc inexplicabileque esse, quod utrimque dicebatur, rati, ne sententia sua, utramcumque in partē dicta esset, ipsa sese rescinderet, rem iniudicatam reliquerunt; causamque in diem longissimam distulerunt. sic ab adolescente discipulo magister disciplinae eloquentiæ inclutus

suo sibi argumento confutatus est, & captionis versute excogitatu frustratus fuit.

## CAPVT XI.

Biantis de re vxoria syllogismum nō videri posse

ἀντιπρόροντα.

**E**Xistimauit quidam etiam illud Biantis, viri sapientis ac nobilis, responsum consimile esse atque est Protagorion illud, de quo dixi modo, anti-strephon. nam cum rogatus esset à quodam Bias, deberetne uxorem ducere, an vitam viuere calibem. ἢ τοι, inquit, καλῶ ἔξεις, ἢ αἰσχρῶν. καὶ εἰ καλῶ, ἔξεις κοινῶ. εἰ δὲ αἰσχρῶν, ἔξεις κοινῶ. ἑκάτερον δὲ οὐκ ἀγαθόν. ἔληπτόν ἄρα. sic autem hoc responsum conuertunt. εἰ μὴ καλῶ ἔξω, οὐχ ἔξω κοινῶ. εἰ δὲ αἰσχρῶν, οὐχ ἔξω κοινῶ. γαμήτειον ἄρα. sed minime hoc esse videtur ἀντιπρόρον, quoniam ex altero latere conuersum frigidius est infirmiusque. nam Bias proposuit non esse ducendam uxorem propter alterutrum incommodum, quod necessario patiendum erit ei qui duxerit. qui conuertit autem, non ab eo se defendit incommodo quod adest; sed carere se altero dicit quod non adest. satis est autem tuendæ sententiæ quam Bias dixit; quod eum, qui duxit uxorem, pati necesse est ex duobus incommodis alterum, ut aut κοινῶ habeat aut ποινῶ. sed Fauorinus noster, cum facta esset forte mentio syllogismi istius, quo Bias usus est, cuius prima πρότασις est, ἢ τοι καλῶ ἔξεις, ἢ αἰσχρῶν; non ratum id neque iustum disiunctum esse ait: quoniam non necessarium est alterum ex duobus, quæ disiunguntur, verum esse. quod in proloquio disiuunctiuo necessarium est. cminētia enim quadam significari formarum turpes & pulchra videntur. est autem, inquit, tertium quoque inter duo ista, quæ disiunguntur: cuius rationem prospectumque Bias nō habuit. inter enim pulcherrimam feminam & deformissimam media quadam forma est; quæ à nimia pulchri-

tudinis periculo & à summo deformitatis odio vacat. qualis à Q. Ennio in Menalippa perquã elegãti vocabulo, ita-  
ta, dicitur; quæ neque xovñ futura sit, neque πovñ. quam  
formam modicam & modestam Favorinus non mehercule  
inscite appellabat uxoriam. Ennius autem in ista, quam  
dixi, tragœdia, eas ferè feminas ait incolumi pudicitia  
esse, quæ stata forma forent.

## CAPUT XII.

De nominibus deorum populi Romani *Diiouis*  
& *Veiovis*.

**I**N antiquis spectationibus nomina hæc deorum inesse ani-  
maduertimus, *Diiouis* & *Veiovis*. Est autem etiã  
ades *Veiovis* Romæ inter arcem & capitolium. Earum no-  
minum rationem esse hæc comperi; Iouem Latini veteres  
à iuuando appellauere: eundemque alio vocabulo iuncto  
patrem dixerunt. nã quod est in elisis aut immutatis qui-  
busdam litteris *Iupiter*; id plenum atque integrum est *Io-  
uispater*. sic & *Neptunuspater* coniuncte dictus est,  
& *Saturnuspater* & *Ianuspater*, & *Marspater*.  
hoc enim est, *Marspiter*. item *Iouis* *Diespater* appella-  
tus est, id est, diei & lucis pater. iccircoque simili nomi-  
ne *Diiouis* dictus est, & *Lucetius*: quod nos die & luce  
quasi vita ipsa afficeret & iuuaret. *Lucetium* autem  
Iouem *Cn. Nænius* in libris belli *Pœnici* appellat. Cum  
Iouem igitur & *Diiouem* à iuuando nominassent: eum  
quoque contra deũ, qui nõ iuuãdi potestatem sed vim no-  
cendi haberet (nam deos quosdam ut prodesse celebrabãt,  
quosdam ne obessent placabant) *Væiouem* appellauerunt  
dempta atque detracta iuuandi facultate. *Ve* enim parti-  
cula, quæ, in aliis atque aliis vocabulis varia, tum per  
has duas litteras tum, a, littera media immissa dicitur, du-

*plicem significatum eundemque inter sese diuersum capit, nam & augenda rei & minuenda ualet, sicuti alia particula plurima. propter quod accidit, ut quadam uocabula, quibus particula ista preponitur, ambigua sint & utroque uersum dicantur; uescum, uehemens, & uegrande; de quibus alio in loco, ubi tractatu facta, admonuimus: uesani autem & uecordes ex una tantum parte, quæ priuatiua est, quam Græci σενηκὸν μόγιον dicunt. Simulachrum igitur dei Veiuois, quod est in æde, de qua supra dixi, sagittas tenet, quæ sunt uidelicet paratæ ad nocendum. quapropter eum deum plerique Apollinem esse dixerunt; immolaturque illi, ritu humano, capra: eiusque animalis figmentum iuxta simulachrum stat. propterea Virgilium quoque aiunt, multa antiquitatis hominem sine ostentationis odio peritum, numina læua in Georgicis quoque deprecari; significantem quandam vim esse huiuscemodi deorum in lædendo magis quam in iuuando potentem. Versus Virgilij hi sunt.*

In tenui labor, at tenuis non gloria; si quem  
Numina læua finiunt, auditque vocatus Apollo.

*In istis autem dis, quos placari oportet uti mala à nobis vel à frugibus natis amoucantur, Auerruncus quoque habetur & Robigus.*

## CAPVT XIII.

De officiorum gradu atque ordine moribus populi Romani obseruato.

**S**eniorum hominum & Romæ nobilium, atque in morum & disciplinarumque veterum doctrina memoriaque prestantium, disceptatio quadam fuit, presente & audiente me, de gradu atque ordine officiorum. cumque

quareretur, quibus nos ea prioribus potioribusque facere oporteret, si necesse esset in opera danda faciundoque officio alios alijs anteferre: non constabat. Conueniebat autem facile, constabatque, ex moribus populi Romani, primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere fidei tutelaque nostra creditos; secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem patrociniumque nostrum dederunt; tunc in tertio loco esse hospites; postea esse cognatos affinesque. Huius moris observationisque multa sunt testimonia documentaque in antiquitatibus perscripta. ex quibus unum hoc interim, de clientibus cognatisque, quod præ manibus est, ponemus. M. Cato in oratione, quã dixit apud censes in Lentulũ, ita scripsit. Quod maiores sanctius habuere defendi pupillos, quam cliẽtem non fallere. aduersus cognatos pro cliente testatur. testimonium aduersum clientem nemo dicit: patrem primum deinde patronum proximum nomen habere. *Massurius autem Sabinus, in libro iuris ciuili tertio, antiquiorem locum hospiti tribuit quam clienti. verba ex eo libro hæc sunt.* In officiis apud maiores ita obseruatum est, primum tutelæ, deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini. de qua causa feminæ viris potiores sunt habitæ, pupillarisque tutela muliebri prælata: etiam aduersus quem affuissent eius filii, tutores relictĩ in eadem causa pupillo aderant. *Firmum atque clarũ isti testimonium rei perhibet auctoritas C. Cesaris pontificis maximi; qui in oratione, quam pro Bithynis dixit, hoc principio usus est.* Vel pro hospitiõ regis Nicomedis, vel pro horum necessitate quorũ res agitur, defugere hoc munus M. V. non potui. nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin à proximis reti-

neatur; neque clientes sine summa infamia deferri possunt; quibus etiam à propinquis nostris opem ferre instituimus.

## CAP. XIII.

Quod Appion doctus homo, qui Plistonices appellatus est, vidisse se Romæ scripsit recognitionem inter se mutuam ex vetere notitia hominis & leonis.

**A**ppion, qui Plistonices appellatus est, litteris homo multis præditus rerumque Græcarum plurima atque varia scientia fuit. eius libri non incelebres feruntur; quibus omnium ferme, quæ mirifica in Ægypto visuntur audiunturque, historia comprehenditur. sed in his, quæ audiuisse vel legisse sese dicit, fortasse à vitio studioque ostentationis fit loquacior. est enim sanè quam in prædicandis doctrinis suis vendicator. hoc autem, quod in libro Ægyptiacorum quinto scripsit, neque audisse neque legisse, sed ipsum sese in urbe Romana vidisse oculis suis confirmat. In circo maximo, inquit, venationis amplissima pugna populo dabatur. eius rei, Romæ cum forte essem spectator, inquit, fui. multa ibi sæuientes fera magnitudine bestiarum excellentes: omniumque inasitata aut forma erat aut ferocia. sed præter alia omnia leonum, inquit, immunitas admirationi fuit; præterque omnis ceteros vnus est vnus leo corporis impetu, & vastitudine, terrificoque fremitu & sonoro, toris comisque ceruicem fluctuantibus animos oculosque omnium in se convertit. introductus erat inter complures ceteros ad pugnam bestiarum datus seruus viri consularis. ei seruo Androclus nomen fuit. hunc ille leo ubi vidit procul: repente, inquit, quasi ammirans stetit: ac deinde sensim atque placide tanquam

noscitur ad hominem accedit : tum caudam more  
 atque ritu adulantium canum clementer & blande mo-  
 uet ; hominisque sese corpori adiungit ; crurâque eius &  
 manus propè iam exanimati metu lingua leniter demul-  
 cet . homo Androclus inter illa tam atrocis ferae blandi-  
 menta amissum animum reciperat : paulatim oculos ad  
 contuendum leonem refert . tum , quasi mutua recognitio-  
 ne facta , lætos , inquit , & gratulabundos videres ho-  
 minem & leonem . ea re prorsus tam admirabili maximus  
 populi clamor excitatur . accersitur à Cesare Andro-  
 clus . queritur ab eo causa , cur ille atrocissimus leo uni pe-  
 percisset ibi Androclus rem mirificam narrat atque am-  
 mirandam . Cum provinciam , inquit , Africam procon-  
 sulari imperio meus dominus obtineret : ego ibi iniuris eius  
 & cotidianis verberibus ad fugam sum coactus ; & , ut  
 mihi à domino terræ illius præside tutiores latebræ forent ,  
 in camporum & harenarum solitudines concessi : ac , si  
 defuisset cibus consilium fuit mortem aliquo pacto qua-  
 rere . tum sole , inquit , medio rapido & fragrante specum  
 quamdam nactus remotâ latebrasamque , in eam me pene-  
 tro & recodo . neque multò post ad eandem specum venit  
 hic leo , debili vno & cruento pede , gemitus edens &  
 murmura dolorem cruciatumque vulneris cõmiserantia .  
 atque illic primo quidè conspectu aduenientis leonis territò  
 sibi & pauefactu animum dixit . sed postquam introgres-  
 sus , inquit , leo , uti re ipsa apparuit , in habitaculum illud  
 suum vidit me procul delitescentem : mitis & mansuetus  
 accessit ; ac sublatum pedem ostendere ac porrigere , quasi  
 opis petendæ gratia , visus est . ibi , inquit , ego stirpem in-  
 gentem vestigio pedis eius hærentem reuelli ; conceptam-  
 que saniem vulnere intimo expressi ; accurat usque , sine  
 magna iam formidine , siccaui penitus atque deterfi cruo-  
 rem . Ille tunc mea opera & medela leuatus ; pede in ma-



ribus meis posito recubuit & quieuit. atque, ex eo die, triennium totum ego & leo in eadem specu eodemque vitu viximus. nam, quas venabatur feras, membra optimiora ad specum mihi suggererat. qua ego, ignis copiam non habens, sole meridiano tosta edebam. sed ubi me, inquit, vita illius ferina iam pertasum est: leone in venatum profecto, reliqui specum; & viam ferme tridui permensus, à militibus visus apprehensusque sum, & ad dominum ex Africa Romam deductus. is me statim rei capitalis damnandum, dandumque ad bestias curauit. intelligo autem, inquit, hunc quoque leonem, me tunc seperato, captum gratiam mihi nunc etiam beneficij & medicinae referre. Hæc Appion dixisse Androclum tradit: eaque omnia scripta circumlataque tabella populo declarat: atque ideo, cunctis petentibus, dimissum Androclum & pœna solutum; leonemque ei suffragijs populi donatum. postea, inquit, videbamus Androclum & leonem loro tenui reuinctum urbe tota circum tabernas ire; donari ære Androclum; floribus spargi leonem; omnes ferè ubique obuios dicere; Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis.

## CAPVT XV.

Corpúsne sit vox an *ἀσώματον* varias esse philosophorum sententias.

**V**etus atque perpetua questio inter nobilissimos philosophorum agitata est; corpúsne sit vox an incorporeum. hoc enim vocabulum quidam finxerunt proinde quod Græce dicitur *ἀσώματον*. Corpus autem est, quod aut efficiens est aut patiens. id Græce definitur, τὸ δρώμενον ἢ πᾶρον ὁμῶς ὅτι. quam definitionem significare volens Lucretius ita scripsit;

Tágere enim aut tági nisi corpus nulla potest res. alio quoque modo corpus esse Græci dicunt τὸ ἴσχι διασα-

των. sed vocem Stoici corpus esse contendunt; eamque esse dicunt ictum aëra. Plato autem non esse vocem corpus putat, non enim percussus, inquit, aër sed plaga ipsa atque percussio vox est. οὐχ ἀπλῶς πληγὴ αἰέρος ὅτιν ἢ φωνή. πλ. ἢ πει γὰρ τὸν αἶερα καὶ δάκτυλος ἀδραμόμενος καὶ οὐδέπω τοιεῖ φωνή. ἀλλ' ἢ πόση πληγὴ, καὶ σφοδρὰ, καὶ τόνος ὅσος τε ἀκούσῃν γινέσθαι. Democritus ac deinde Epicurus ex individuis corporibus vocem constare dicunt; eamque, ut ipsis eorum verbis utar, βέϋμα λόγων appellant. Hos alii, que tales arguta delectabilisque desidia aculeos tui non aud remius, vel lectitarem; neque in his scrupulis, aut emolumentum aliquod solidum ad rationem vite pertinetis aut finem ullum quaerendi videremus: Ennium Neoptolemum probabamus. qui profecto ita ait;

Philosophandum est paucis. nam omnino haud placet.

## CAPVT XVI.

De vi oculorum atque videndi rationibus.

**D**E videndi ratione deque cernendi natura diuersae esse opiniones philosophorum animaduertimus. Stoici causas esse videndi dicunt, radiorum ex oculis in ea qua videri queunt, emissionem, aerisque simul intentionem. Epicurus autem affluere semper ex omnibus corporibus simulachra quadam corporum ipsorum, eaque sese in oculos inferre, atque ita fieri sensum videndi putat. Plato existimat genus quoddam ignis lucisque de oculis exire; idque coniunctum continuatumque vel cū luce solis vel cum alterius ignis lumine sua vi & externa nixum, efficere, ut, quaecumque offenderit illustraueritque, cernamus. sed & hic ea, qua discernimus, imaginandum; eiusdemque illius Enniani Neoptolemi, de quo supra scripsimus, consilio utendum est; qui degustandum ex philosophia consuet non in eam ingurgitandum.

## CAPVT XVII.

Quam ob causam dies primi post Kalendas, nonas, idus, atri habeantur; & cur diem quoque quartum ante Kalendas, vel nonas, vel idus, quasi religiosum plerique vitant.

**V**errius Flaccus, in quarto de verborum significatione, dies, qui sunt postridie Kalendas, nonas, idus, quos vulgus imperite nefastos dicit, propter hanc causam dictos habitosque atros esse scribit. Vrbe, inquit, à Gallis Senonibus recuperata, L. Atilius in senatu verba fecit, Q. Sulpicium Tribunum militum ad Aliam aduersus Gallos pugnaturum rem diuinam dimicandi gratia postridie idus fecisse; tum exercitum populi Romani occisione occisum, & post diem tertium eius diei urbem præter Capitolium captam esse: compluresque alii senatores recordari sese dixerunt, quotiens belli gerendi gratia res diuina postridie Kalendas, nonas, idus, à magistratu populi Romani facta esset, eius belli proximo deinceps prælio rem publicam male gestam esse. tum senatus eam rem ad pontifices reiecit, vt ipsi, quod videretur, statuerent. pontifices decreuerunt nullum his diebus sacrificium recte futurum. *Ante diem quoque quartum Kalendas vel nonas vel idus, tamquam inominalem diem, plerique vitant. eius obseruationis an religio vlla sit tradita, quæri solet. nihil super ea re scriptum inuenimus: nisi quod Q. Claudius Annalium quinto cladem pugne Cannensis vastissimam factam dicit ante diem quartum nonas Sextilis.*

In quid & quantum differat historia ab annalibus: superque ea re verba posita ex libro rerum gestarum Sempronii Afellionis primo.

**H**istoriam ab annalibus quidam differre eo putant, quod, cum utrumque sit rerum gestarum narratio, earum tamen proprie rerum sit historia, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narret. eamque esse opinionem quorundam Verrius Flaccus refert, in libro de significatu verborum quarto; ac se quidem dubitare super ea re dicit: posse autem videri putat non nihil esse rationis in ea opinione, quod historia Græcè significet rerum cognitionem presentium. sed nos audire soliti sumus annales omnino id esse quod historiae sint; historias non omnino esse id quod annales sint. sicuti, quod est homo, id, necessario animal est; quod est animal non id necesse est hominē esse: ita historias quidem esse aiunt rerum gestarum vel expositionem vel demonstrationem vel quo aliò nomine id dicendum est; annales vero esse cum res gestae plurimum annorum, obseruato cuiusque anni ordine, deinceps componuntur. cum vero non per annos sed per dies singulos res gestae scribuntur, ea historia Græcò vocabulo ἐπιμνηστικὴ dicitur. cuius Latinum interpretamentū scriptum est in libro Sempronij Afellionis primo; ex quo libro plura verba adscripsimus. ut simul ibidē quid ipse inter res gestas & annales esse dixerit ostenderemus; Verum inter eos, inquit, qui annales relinquere voluissent, & eos qui res gestas à Romanis perscribere conati essent, omnium rerū hoc interfuit. annales libri tantummodo quòd factum quoque anno gestum sit, id demonstrabāt. id est eò, ut quasi qui diarium scribunt, quam Græci ἐπιμνηστικὴ vocant. nobis non modo satis est

se video quod factum esset id pronuntiare; sed etiam quo consilio quaque ratione gesta essent demonstrare. paulo post idem *Asellio in eodem libro.* Nam neque alacriores ad rem publicam defendendam neque segniores ad rem perperam faciendam annales libri commouere quicquam possunt. scribere autem bellum quo initum consule, & quo modo confectum sit, & quis triumphans introierit & quæ eo in bello gesta sint iterare; non prædicare autem interea quid senatus decreuerit, aut quæ lex rogatione lata sit, neque quibus consiliis ea gesta sint; id fabulas pueris est narrare, non historias scribere.

## CAPVT XIX.

Quid sit *adoptio*, quid item sit *arrogatio*, quantumque inter se differant; verbaque eius quæ qualiaque sint, qui in liberis arrogandis super ea re populum rogat.

**C**VM in alienam familiam inque liberorum locum extranei sumuntur, aut per prætorem fit, aut per populum. quod per prætorem fit; *adoptatio* dicitur: quod per populum; *arrogatio*. adoptantur autem, cum à parente, in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in iure ceduntur; atque ab eo qui adoptat, apud eum apud quem legis actio est, vindicatur. arrogantur ij, qui, cum sui iuris sunt, in alienam sese potestatem tradunt: eiusque rei ipsi auctores sunt. sed arrogationes non temere nec inexplorate committuntur. nam comitia arbitris etiam Pontificibus præbentur. quæ *curiata* appellatur: atque eius, qui arrogare vult, an liberis potius gignendis idonea sit, bonaque eius qui arrogatur ne insidiosè appetita sint, consideratur: iusque iurandum à Q. Mucio pontifice maximo conce-

ptum dicitur quod in arrogando iuraretur. sed arrogari non potest nisi iam vesticeps. arrogatio autem dicta; quia genus hoc in alienam familiam transitus per populi rogationem fit. eius rogationis verba hæc sunt. VELITIS. IVBEATIS. QVIRITES. VTI. LVCIVS. VALERIVS. LVCIO. TITIO. TAM. IVRE. LEGE. Q. FILIVS. SIBI. SIET. QVAM. SI. EX. EO. PATRE. MATRE. Q. FAMILIAS. EIVS. NATVS. ESSET. VTI. Q. EI. VITAE. NECIS. Q. IN. EO. POTESTAS. SIET. VTI. PATRI. ENDO. FILIO. EST. HAEC. ITA. VTI. DIXI. ITA. VOS. QVIRITES. ROGO. Neque pupillus autem, neque mulier, qua in parentis potestate non est, arrogari possunt. quoniam & cum feminis nulla comitorum communio est; & tutoribus in pupillos tantam esse auctoritatem potestatemque suis non est, ut caput liberum fidei suæ commissum alienæ ditioni subijciant. Libertinos vero ab ingenuis adoptari quidem iure posse Masurius Sabinus scripsit. sed id neque permitti dicit; neque permittendum esse umquam putat, ut homines libertini ordinis per adoptionem in iura ingenuorum inuadant. alioquin, si iuris ista antiquitas seruetur, etiam servus a domino per prætorem dari in adoptionem potest. idque ait plerisque iuris veteris auctores posse fieri scripsisse. Animadvertimus in oratione P. Scipionis, quam censor habuit ad populum de moribus, inter ea, quæ reprehendebat quod contra maiorum instituta fierent, id etiam eum culpavisse, quod filius adoptivus patri adoptatori inter præmia patrum prodesset. verba ex ea ratione hæc sunt. In alia tribu patrem, in alia filium suffragium ferre; filium adoptivum tam prodesse, quam si ex se natum habeat; absentes censeri iubere, ut ad censum nemini necesse sit venire.

*tandem in  
uxoris Liberti  
et que potest  
latere Sabini  
gallia  
Com. l. 6.  
p. 88.*

## CAPVT XX.

Quod vocabulum Latinum Solæcismo factit Capitoni Sinnio, quid autem id ipsum appellauerint veteres Latini, quibusque verbis Solæcismum definierit idem Capito Sinnius.

**S**olæcismus à Sinnio Capitone eiusdemque ætatis Salius imparilitas appellatus, vetustioribus Latinis stribligo dicebatur, à versura videlicet & prauitate tortuosa orationis, quasi sterobiligo quedam. quod vitium Sinnius Capito in litteris, quas ad Clodium Tuscum dedit, hisce verbis definit. Solæcismus est, inquit, impar & inconueniens compositura partium orationis. cum Græcum autem vocabulum sit solæcismus; an Attici homines, qui elegantius locuti sunt, vsi eo sint, queri solet. sed nos neque solæcismum neque barbarismum apud Græcorum idoneos adhuc inuenimus. nam sicut ῥαβδωρον, ita σόλοικον dixerunt nostri quoque antiquiores Solæcum facile, Solæcismum haud scio an umquam dixerint. quod si ita est; neque in Græca neque in Latina solæcismus probe dicitur.

## CAPVT XXI.

Pluria qui dicat & compluria & compluries, non barbarè dici sed Latinè.

**P**luria fortè quis dixit sermocinans vir apprimè doctus, amicus meus; non Hercle studio ostentandi, neque quo plura dicendum non putaret. est enim doctrina homo seria & ad vitæ officia deuincta ac nihil de verbis laborante. sed, opinor, assidua veterum scriptorum translatione inoleuerat lingua illius vox, quam in libris sæpe offenderat. aderat, cum ille hoc dixit, reprehensor audaculus verborum, qui perpauca eademque à vulgo pro-

trita legerat: habebátque non nullas disciplina grammatica inauditumcunculas, partim rudes inchoatásque, partim non probas; easque quasi puluerem ob oculos, cum adortus quemque fuerat, adsperebat. sicut tunc amico nostro Barbare, inquit, dixisti pluria. nam neque rationem verbum hoc neque auctoritatem habet. ibi ille amicus ridens Amabo te, inquit, vir bone, quia nunc mihi a magis serijs rebus otium est, velim doceas nos cur pluria siue compluria (nihil enim differt) non Latine sed Barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Elius, P. Nigidius, M. Varro; quos subscriptores approbatoresque huius verbi habemus, prater poëtarum oratorumque veterum multam copiam. Ad que ille nimis arroganter Tibi, inquit, habeas auctoritates istas ex Faunorum & Aboriginum seculo repetitas: atque huic rationi respondeas. nullum enim vocabulum neutrum comparatiuum, numero pluratiuo, casu recto, ante extremam, a, habet, i, litteram, sicuti, meliora, maiora, grauiora. proinde igitur plura & non pluria dici consuevit; ne contra formam perpetuam in comparatiuo, i, littera sit ante extremam, a, tum ille amicus noster, cum hominem confidentem pluribus verbis non dignum existimaret, Sinny, inquit, Capitonis doctissimi viri epistola sunt vno in libro multa, opinor, posita in templo Pacis. prima epistola scripta est ad Pacuum Labeonem: cui titulus prescriptus est; PLURIA NON PLURA DICI DEBERE. in eae-  
 pistola rationes Grammaticas posuit, per quas docet pluria Latinum esse, plura barbarum. ad Capitonem igitur te dimittimus. ex eo id quoque simul disces, si modo assequi poteris quod in ea epistola scriptum est, pluria siue plura absolutum esse siue simplex; non, ut tibi videtur, comparatiuum. Huius opinionis Sinnianae id quoque adiumentum est, quod, compluries cum dicimus, non comparati-



*uè dicimus. ab eo autem quod est, compluria, aduerbium est factum compluries. id quoque quoniam minus usitatum est s. versum Plauti subscripsi, ex comædia, quæ Persa inscribitur.*

Quid metuis? Metuo Hercle vero. Senti ego compluries.

*item M. Cato, in quarto Originum, eodem in loco ter hoc verbum posuit. Compluries eorum milites mercenarii inter sese multi alteri alteros occidere; cõplures multi simul ad hostis transfugere; compluries in imperatorem impetum facere.*

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
SEXTVS.

CAPVT I.

Quem in modum responderit Chrysippus ad-  
uersus eos, qui prouidentiam consistere nega-  
uerunt.

\*\*\*\* homines fecisse dicatur: tantam vim esse arumna-  
rum & malorum. aduersus ea Chrysippus cum in li-  
bro περὶ πρῶοιαις quarto differeret, Nihil est prorsus istis,  
inquit, imperitius, nihil insubidius, qui opinantur bona  
esse potuisse, si non essent ibidem mala. nam cum bona ma-  
lis contraria sint; utraque necessarium est, opposita inter  
se se & quasi mutuo, aduerso quaeque fulta nisi, consiste-  
re. nullum adeo contrarium sine contrario altero. quo  
enim pacto iustitiae sensus esse posset, nisi essent iniuria?  
aut quid aliud iustitia est, quam iniustitiae priuatio? quid  
item fortitudo intelligi posset, nisi ex ignauia oppositione?  
quid continentia nisi ex intemperantia? quo item modo  
prudentia esset, nisi foret contra imprudentia? proinde,  
inquit, homines stulti cur non hoc etiam desiderant ut  
veritas sit & non sit mendacium? namque itidem sunt  
bona & mala, felicitas & infortunitas, dolor & vo-  
luptas. alterum enim ex altera, sicuti Plato ait, vertici-  
bus inter se contrariis deligatum est. sustuleris unum;  
abstuleris utrumque. Idem Chrysippus in eodem libro  
tractat consideratque dignumque esse id quari putat,  
εἰ αἱ τῆς ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται. id est, na-

turane ipsa rerum vel providentia, quæ compagem hanc mundi & genus hominum fecit, morbos quoque & debilitates & agritudines corporum, quas patiuntur homines, fecerit. existimat autem non fuisse hoc principale naturæ consilium, ut faceret homines morbis obnoxios. numquam enim hoc convenisse naturæ auctori parentique rerum omnium bonarum. sed cum multa, inquit, atque magna gigneret pareretque aptissima & utilissima: alia quoque simul agnata sunt incommoda iis ipsis, quæ faciebat, coherentia: eaque non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit. quod ipse appellat, κατὰ ἀναγκολούδιον. sicut, inquit, cum corpora hominum natura fingeret, ratio subtilior & utilitas ipsa operis postulavit ut tenuissimis minutisque ossiculis caput compingeret. sed hanc utilitatem rei maioris alia quadam incommoditas extrinsecus consecuta est; ut fieret caput tenuiter munitum, & ictibus offensionibusque parvis fragile. proinde morbi quoque & agritudines paritæ sunt, dum salus paritur. sic Hercle, inquit, dum virtus hominibus per consilium naturæ gignitur, vitia ibidem per affinitatem contrariam nata sunt.

## CAPVT II.

Quo itidem modo & vim necessitatēque fati constituerit, & esse tamen in nobis consilii iudicii que nostri arbitrium confirmaverit.

**F**atum, quod Græci πεπωμένον, vel εἰμασμένον vocant, ad hanc ferme sententiam Chrysippus stoicæ princeps philosophiæ definit. Fatum est, inquit, sempiterna quadam & indeclinabilis series rerum & catena, voluens semetipsa sese & implicans per aternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque est. ipsa

autem verba Chrysippi, quantum valui memoria, adscripsi; ut, si cui meum istud interpretamentum videbitur esse obscurius, ad ipsius verba animaduertat. In libro enim περί προνοίας quarto εἰμαρμένην esse dicit φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὄλων ἐξ αἰδίου ἢ ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ μετὰ πολὺ μῦθον ἀπαρῶν ἕως τοιαύτης συμπλοκῆς. aliarum autem opinionum disciplinarumque auctores huic definitioni ita obstrepunt. si Chrysippus, inquirunt, fato putat omnia moueri & regi, nec declinari transcendique posse agmina fati & volumina: peccata quoque hominum & delicta non sustentanda neque condicenda sunt ipsis voluntatibusque eorum; sed necessitati cuidam & instantia, qua oritur ex fato omnium qua sit rerum domina & arbitra; per quam necesse sit fieri quicquid futurum est: & propterea nocentium poenas legibus inique constitutas, si homines ad maleficia non sponte veniunt, sed fato trahuntur. contra ea Chrysippus tenuiter multa & argute disserit. sed omnium fere, qua super ea re scripsit, sententia huiusmodi est. Quamquam ita sit, inquit, ut ratione quadam principali necessario coacta atque connexa sint fato omnia; ingenia tamen ipsa mentium nostrarum proinde sunt fato obnoxia, ut proprietates eorum est ipsa & qualitas. nam si sunt per naturam primitus salubriter utiliterque facta; omnem illam vim, qua de fato extrinsecus ingruit, inoffensus tractabiliusque transmittunt. sin vero sunt aspera & inscita & rudia, nullisque artium bonarum amminiculis fulsa: etiā si paruo siue nullo fatalis incommodi conflictu urgeantur; sua tamen scauitate & voluntario impetu in assidua delicta & in errores ruunt. idq. ipsum ut ea ratione fiat naturalis illa & necessaria rerum consequentia efficit, qua fatum vocatur. est enim generis ipso quasi fatale & consequens, ut mala ingenia peccatis & erroribus non

vacent. huius deinde rei exemplo non hercle nimis alienè neque illepidè vtitur. sicut, inquit, lapidem cylindrum si per spatia terra prona atque deruta iacias, causam quidem ei & initium præcipitantiæ feceris; mox tamen ille præceps voluitur, non quia tu id iam facis, sed quoniam ita sese modus eius & forma volubilitas habet: sic ordo & ratio & necessitas fati genera ipsa & principia causarum mouet; impetus vero consiliorum mentiumque nostrarum, actionesque ipsas, voluntas cuiusque propria & animorum ingenia moderantur. Infert deinde verba hæc, his, quæ dixit, congruentia. Διὸ τῶδ' ἦν Πυθαγορείων οὕτως εἶρηται,

Γνώση δ' ἀνθρώπους αὐδαίρετα πῆματ' ἔχοντας.

ὡς τῆς βλαβῶν ἐκάσους παρ' αὐτοῖς γινομένων, καὶ καθ' ὅρμην αὐτῶν, ἀμαρτανόντων τε καὶ βλαπτομένων, καὶ κατὰ τὴν αὐτῶν διάνοιαν καὶ πρόθεσιν. Propterea negat oportere ferri audirique homines aut nequam aut ignavos & nocentes & audaces; qui, cum in culpa & in maleficio reuicti sunt, perfugiunt ad fati necessitatem, tamquam in aliquod Fati asylum; & quæ pessimè fecerunt, ea non suæ temeritati sed fato esse attribuenda dicunt. primus autem Homerus sapientissimus & antiquissimus poetarum dixit in hisce versibus:

Ὡ πόποι, οἶον δὴ νῦ θεοὶς βροτοὶ εἰπὼνται.

Ἐξ ἡμέων γ' ὅρασι κακ' ἐμμεναι. οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ

Σεῖσιν ἀταδ' ἀλίησιν ἰσῆς μόρον ἀλγ' ἔχουσιν.

itaque M. Cicero in libro, quem de fato conscripsit, cum questionem istam diceret obscurissimam esse & implicatissimam; Chrysippum quoque philosophum non expedisse se in ea refert, his verbis. Chrysippus æstuans laboransque, quonam pacto explicet & fato omnia fieri, & esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.

## CAPVT III.

Historia sumta ex libris Tuberonis de serpente inusitatae longitudinis.

**T**ubero in historiis scriptum reliquit, bello primo Pœnico Atilium Regulum consulem, in Africa, castris apud Bagradam flumen positus, prælium grande atque acre fecisse aduersus unum serpentem, illic stabulantem, inusitatae immanitatis; eumque, magna totius exercitus consuetudine, ballistris atque catapultis diu oppugnatum: eiusque interfecti corium longum pedes ceterum & viginti Romam misisse.

## CAPVT IIII.

Quid idem Tubero nouæ historiæ de Attilio Regulo à Karthaginensibus capto litteris mādauerit, quid etiam Tuditanus super eodem Regulo scripserit.

**Q**uod satis celebre est de Attilio Regulo; id nuperrius me legimus scriptum in Tuditani libris: Regulum captum, ad ea quæ in senatu Romæ dixit, suadens ne captiuum cum Karthaginensibus permutarentur, id quoque addidisse; venenum sibi Karthaginenses dedisse non præsentarium, sed eiusmodi quod mortem in diem proferret; eo consilio, ut viveret quidem tantisper quoad fieret permutatio, post autem grassante sensim veneno cor tabesceret. Eundem Regulum Tubero in historiis redisse Karthaginem, nouisque exemplorum modis excruciatum à Pœnis dicit. In atras, inquit, & profundas tenebras eum claudebant; ac diu post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant & aduersus

ictus solis oppositum continebant, atque intendere in cœlum oculos cogebant. palpebras quoque eius, ne conuiuere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant. *Tuditanus autem somno diu prohibitum atque ita vita priuatam refert. idque ubi Roma cognitum est; nobilissimos Pœnorum captiuos liberis Reguli à senatu deditos, & ab iis in armario muricibus præfixo destitutos, eademque insomnia cruciatos interisse.*

## CAPVT V.

Quod Alfenus iuriconsultus in verbis veteribus interpretandis errauerit.

**A**lfenus iuriconsultus, Seruii Sulpicij discipulus, rerumque antiquarum non incuriosus, in libro diggestorum trigesimo & quarto, coniectaneorum autem secundo, In fœdere, inquit, quod inter populum Romanum & Karthaginenses factum est, scriptum inuenitur, vt Karthaginenses quotquot annis populo Romano darèt certum pondus argenti puri puti. quæsitumque est quid esset argentum purum putum. respondi ego, inquit, esse purum putum valde purum: sicut nouum nouicium dicimus & proprium propicium augere atque intendere volètes noui & proprii significationem. Hoc ubi legimus: mirabamur eandem affinitatem visam esse Alfeno puri & puti, qua sit noui & nouicii. nam si esset puricium, tum sane videretur dici, quasi nouicium. id etiam mirum fuit, quod nouicium per augendi figuram dictum existimauit; cum sit nouicium non quod magis nouum sit, sed quod à nouo dictum inclinatumque sit. his ergo assentimus, qui putum esse dicunt à putando dictum; & ob eam causam prima syl-la-

ba breui pronunciant, non longa; uti existimasse Alfenum videtur, qui à puro id esse factum scripsit. putare autem veteres dixerunt, vacantia ex quaque re ac non necessaria aut etiam obstantia & aliena auferre & excidere, & , quod esse utile ac sine vitio videretur, relinquere. sic namque arbores & vites, & sic etiam rationes putari dictum. verbum quoque ipsum puto, quod declaranda sententia nostra causa dicimus, non signat profecto aliud quam id agere nos in re dubia obscuraque, ut, decisis amputatisque falsis opinionibus, quod videatur esse verum & integrum & incorruptum, retineamus. argentum ergo in Karthaginensi fœdere putum dictum esse, quasi exputatum, excœctumque, omnique aliena materia carens, omnibusque ex eo vitiis detractis emaculatum & candefactum. scriptum est autem purum putum non in Karthaginensi solum fœdere, sed tum in multis aliis veterum libris, tum in 2. quoque Ennij tragœdia, quæ inscribitur Alexander, & in satyra M. Varronis, quæ inscripta est Δὲς αἰδέσθαι οἱ γέροντες.

## CAPVT VII.

Temere inept' que reprehensum esse à Julio Higino Virgilium quodd' præpetes Dædali pennas dixit; atque inibi quid sint aues præpetes, & quid illæ sint aues, quas Nigidius inferas appellauit.

**D**Aedalus, ut fama est, fugiens Minoïa regna Præpetibus pennis ausus se credere cælo. In his Vergilij versibus reprehendit Higinius, præpetibus pennis, quasi improprie & inscite dictum. nam præpetes, inquit, aues ab auguribus appellantur, quæ aut opportune præuolant, aut idoneas sedes capiunt. non



apte igitur usum verbo augurali existimavit in Dædali volatu nihil ad augurū disciplinam pertinēte. sed Higinius nimis Herclè ineptus est, cum quid præpetes essent se scire ratus est; Vergilium autem & Cn. Mattium doctum virum ignorasse. qui in septimo iliadis, victoriam volucrem, præpetem appellavit hoc versu;

Dum det vincenti præpes victoria palmam.

Cur autem non Q. quoque Ennium reprehendit, qui in annalibus, non pennas Dædali præpetes, sed longe diversius, inquit

----- Quid

Brundisiū pulchro præcinctū præpete portu? & si vim potius naturamque verbi considerasset, neque id solum quod augures dicerent inspexisset; veniam prorsus poëtis daret similitudine ac translatione verborum non significatione propria utentibus. nam quoniam non ipsa tantum aves quæ prosperius prævolant; sed etiam loci, quos capiunt, qui idonei felicesque sunt, præpetes appellantur; id circo Dædali pennas præpetes dixit: quoniam ex locis in quibus periculum metuebat in loca tutiora pervenerat. locos porro præpetes & augures appellant; & Ennius in annalium primo dixit,

Præpetibus hilares sese pulchrisque locis dant. auibus autem præpetibus contrarias aves inferas appellari Nigidius Figulus in libro primo augurii privati ita dicit. Discrepat dextra, sinistra; præpes infera. ex quo est coniectare præpetes appellatas, quæ altius sublimiusque volitent; cū differre à præpetibus Nigidius inferas dixerit. Adolescens ego Romæ, tum cum etiã ad grammaticos itarem, audiui Apollinarem Sulpicium, quem in primis sectabar, cum de iure augurio quæretur & mentio præpetum auium facta esset, Eructo Claro præfecto urbi dicere, præpetes sibi videri esse

alites, quas Homerus τανυπέρυγας appellauerit. quoniam istas potissimum augures spectarent, quae in gentibus alis patulae atque porrectae praeuolarent. Atque ibi hos Homeri versus dixit.

Τὺν δ' ὀϊωνοῖσι τανυπέρυγαςι κελδέεις

Πεῖ δεσδαί, τῶ ἔπι μετατρέπομ' οὐδ' ἀλεγιζώ.

## CAPVT VII.

De Acca Larentia & Caia Tarratia, deque origine sacerdotii fratrum Arualium.

**A**cca Larentia & Caia Tarratia, siue illa Eufetia est, nomina in antiquis annalibus celebra sunt. earum altera post mortem, Tarratia autem uiua amplissimi honores a populo Romano habiti sunt. & Tarratiam quidem virginem uesta fuisse lex Horatia testis est, qua super ea ad populum lata. qua lege ei plurimi honores fiunt. inter quos, ius quoque testimonii dicendi tribuitur; testabilisque una omnium feminarum ut sit datur. Id uerbum est ipsius legis Horatia. CONTRARIUM EST IN XII. TABULIS SCRIPTUM. IMPROBUS. INTESTABILIS. Q. ESTO. praeterea si quadraginta annos nata sacerdotio abire ac nubere uoluisset, ius ei potestatisque exaugurandi atque nubendi facta est, munificentiae & beneficij gratia, quod campum Tiberinum siue Martium populo Romano condonasset. sed Acca Larentia corpus in uulgus dabat: pecuniamque emeruerat ex eo quaestu uerberem. ea testamento, ut in Antiatii historia scriptum est, Romulum regem, ut quidam alij tradiderunt, populum Romanum bonis suis heredem fecit. ob id meritum a flamine Quirinali sacrificium ei publice fit: & dies e nomine eius in fastos additus. Sed Sabinus Massurius in primo Memorialium secutus quosdam historiae scriptores.

Accam

*Accam Larentiam Romuli nutricem fuisse dicit. Ea, inquit, mulier ex duobus etiam si iis maribus unum marite amittit. in illius locum Romulus Accæ Larentiæ sese filiam dedit; seque & ceteros eius filios fratres aruales appellavit. ex eo tempore collegium mansit fratrum a ualium numero duodecim, cuius sacerdotii insigne est spicca corona & albæ infulæ.*

## CAPVT VII.

Notata quædam de Alexandro & de P. Scipione memoratu digna.

**A**ppion Græcus homo, qui Plistonices est appellatus, facili atque alacri facundia fuit. is cum de Alexandri regis laudibus scriberet, *Videli, inquit, hostis uxorem facie incluta mulierem vetuit in conspectum suum deducere, ut eam ne oculis suis quidem contingeret. lepida igitur quaestio agitari potest utrum videri cōtinentiore uisus sit, Publiumne Africanum superiorum, qui, Karthaginis amplam ciuitatem in Hispania expugnata, uirginem tantopertuam, forma egregia, nobilis uiri Hispani filiam, captiuam, perductamque ad se patri inuolatam reddidit: aut regis Alexandrum, qui Darij regis uxorem eandem infandemque sororem proelio in igne captiuam, quoniam esse audiebat exsuperanti forma, uilere noluit, per uirum ad sese prohibuit. sed hanc etramque de causa utrumque super Alexandro & Scipione cel breuiter, quibus abunde ingenij & otij & uerbis non minus habebimus, quod ex historia est, dicere; Si prope in istum uerone an falso incertum, fama tenet, cum esset adolescens, haud sincera se, e & prope modum constituisse hosce uersus à Cn. Nauio poeta in eis scriptos esse,*

viginti ea tunc veste illa tectis redibat. at nunc, inquit, videre est, philosophos vltro currere vt doceant a fores in uenum diuicum; eosque ibi tedere atque operiri prope ad meridiem, donec discipuli nocturnum omne vinum edormiant.

## CAPUT XI.

Verba ex oratione Q. Metelli Numidici, quæ libit memiauit, ad officium grauitatis dignitatisque vitæ decentia.

**C**um inquinatissimis hominibus non esse conuicio lecerandum, neque in maledictis aduersus impudentes & improbos uelitandum, quia tantisper similis & compar eorum suas dum paria & consimilia dicas atque audias, non minus ex oratione Q. Metelli Numidici sapientis viri cognosci potest, quam ex libris & disciplinis philosophorum. verba hæc sunt Metelli aduersus Cn. Manlium tribunum plebei, à quo apud populum in concione laceßitus iactatusque fuerat dictis perulantibus. Nunc quod ad illum attinet, Quirites, quoniam se ampliorem putat esse, si se nulli inimicum dictitauerit, quem ego mihi neque amicum recipio neque inimicum respicio, in eum ego non sum plura dicturus. nam eum indignissimum arbitror, cui à viris bonis benedicatur; tum ne idoneum quidem cui à probis maledicatur. nam si in eo tempore huiusmodi hominulum nomines, in quo pœnite non possis; maiore honore quam contumelia afficias.

res nobiles sedebant contemnentibus eum: assurgere ei nemo voluit. Cnaeus Flavius Annii filius ædilis id arripit. sellam curulem iussit sibi afferri. eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset; utique si omnes inuiti viderent sese in sella curuli sedentem.

## CAPVT X.

Historia super Euclide Socratico; cuius exemplo Taurus philosophus adhortari adolescentes suos solitus est ad philosophiam gnauiter sectandam.

**P**hilosophus Taurus, vir memoria nostra in disciplina Platonica celebratus, cum alijs bonis multis salubribusque exemplis hortabatur ad philosophiam capessendam; tunc vel maxime ista re animos iuueniu expergebat, Euclidem quam dicebat Socraticum factitauisse. Decreto, inquit, suo Athenienses caueant, ut, qui Megaris ciuis esset, si intulisset Athenas pedem prehensus esset, ea res ei homini capitalis esset. tanto Athenienses, inquit, odio flagrabant finitimum hominum Megarensium. tum Euclides, qui indidem Megaris erat, qui que ante id decretum & esse Athenis & audire Socrate cõsueuerat, postquã id decretum sanxerunt, sub noctem, cum aduerserasceret, tunica longa muliebri indutus & pallio versicolore amictus, & caput rica velatus è domo sua Megaris Athenas ad Socrate cõmeabat; ut vel noctis aliquo tempore cõsiliorum sermonumque eius fieret particeps: rursusque sub lucem milia passuum paulo amplius

**F**actitatum obseruatūque hoc Athenis est ab iis, qui erant philosopho Tauro iunctiores. cum domum suā nos vocaret, ne omnino, ut dicitur, immunes & asymboli ueniremus, coniectabamus ad cœnulam non cupedias ciborum sed argutias quæstionum. unusquisque igitur nostrū commentus paratūque ibat quod quæreret: eratque initium loquendi edundi finis, quærebantur autem non graua nec reuerenda, sed εὐθυμῶντα quædam lepida & minuta & florentem vino animum lacescentia. quale hoc ferme est subtilitatis ludicræ, quod dicam. quæsitum est quando moriens moreretur; cum iam in morte esset, an tum etiam cum in vita foret: & quando surgens surgeret; cum iam staret, an tum etiam cum sederet: & , qui artem disceret, quando artifex fieret; cum iam esset, an tum cum etiam non esset. utrum enim horum dices; absurde atque ridicule dixeris: multoque absurdius esse videbitur, si aut utrumque esse dicas aut neutrum. sed ea omnia cum captiones esse quidam fuitiles & inanes dicerent: Nolite, inquit Taurus, hac quasi nugarum aliquem ludum aspernari. grauißimi philosophorum super hac re serio quæsuerunt: & alij moriendi uerbum atque momentum manente adhuc uita dici atque fieri putauerunt; alij nihil in eo tempore uita reliquerunt; totūque illud, quod mori dicitur, morti vindicauerunt. item de ceteris similibus in diuersa tempora & in contrarias sententias disceßerunt. Sed Plato, inquit, poster neque uita id tempus neque morti dedit; idēque in omni consimilium rerum disceptatione fecit. uidit quippe utrumque esse pugnans; neque posse ex duobus contrariis altero manente alterum constitui: quæstionēque fieri per diuersum inter sese finium mortis & uita coherentiam: & idcirco peperit ipse expressitque aliud

quoddam nouum in confinio tempus ; quod verbis propriis atque integris τὸ ἐξαιφνης φῶσιν appellauit : idque ipsum ita, uti dico, inquit, in libro cui Parmenides titulus est, scriptum ab eo reperietis : τὸ ἐξαιφνης τὸ γὰρ ἐξαιφνης τοιοῦτόν τι εἶχε σημαίνειν, ὡς ἐξ ἐκείνου μεταβάλλον εἰς ἐκτέρον. tales apud Taurum symbola, taliæque erant secundarum mensurarum, ut ipse dicere solitus erat, τραγήματα.

## CAPVT XIII.

Pœniendis peccatis tres esse rationes à Philosophis attributas; & quamobrem Plato tantum duarum ex his meminerit.

**P**OEniendis peccatis tres esse debere causas existimatum est. una est, quæ νομοθεσία, vel κόλασις, vel παραινέσις dicitur; cum pœna adhibetur castigandi atque emendandi gratia, ut is, qui fortuito deliquit, attentior fiat correctiorque. altera est, quam ἡ, qui vocabula ista curiosius diuiserunt, πωγία appellat. ea causa animaduertendi est, cum dignitas auctoritasque eius in quem est peccatum, tuenda est, ne prætermissa animaduersio contemptum eius pariat & honorem leuet: iccircoque id ei vocabulum à conseruatione honoris factum putant. tertia ratio vindicandi est, quæ παράδειγμα à Grecis nominatur, cum pœnitio propter exemplum est necessaria; ut ceteri similibus à peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognita pœna deterreantur. idcirco veteres quoque nostri exempla pro maximis grauissimisque pœnis dicebant. quando igitur aut spes magna est ut is, qui peccauit, citra pœnam ipse sese ultro corrigat; aut spes contra nulla est emendari eum posse & corrigi; aut iacturâ dignitatis, in quâ peccatum est, metui nō necessū est; aut nō id peccatū est, cuius exem-

pro necessitate muti succurrendum sit: tum, quicquid ita delictum est non sane dignum esse imponenda pœna studium visum est. Has tres ut scendi rationes & philosophi alij plurifariam & noster Taurus in primo commentariorum, quos in Gorgiam Platonis composuit, scriptas reliquit. Plato autem ipse verbis apertis duas solas esse pœnendi causas dicit: unam; quam primo in loco propter corrigendum, alteram, quam in tertio propter exempli metum posuimus. Verba sunt hæc Platonis in Gorgia: ποροσῆκει δὲ τῶντι, πρὸς ἐν πρώτῃ αὐτῶν τῶν ἄλλῃς ὁρῶντων πρώτῃ βελτίονι γίνεσθαι, καὶ ὀνύνασθαι. ἢ ἄλλοις γίνεσθαι. ἵνα ἄλλοι ὄρῶντες πείθονται ἢ ἀπείθοι. ποσὲ μὲν βελτίονι γίνονται. in hisce verbis facile intelligas πρώτῃ Platonem dixisse, non ut supra scripsi quosdam dicere, sed ita ut promisce dici solet, pro omni pœnitione. an ne autem quasi omnino parvam & contemtu dignam præterierit pœna sumenda causam propter tuendam læsi hominis auctoritatem, an magis, quasi ei, quam dicebat, rei non necessariam prætermiserit, cum de pœnis, non in vita neque inter homines. sed post vitæ tempus capiendis scriberet, ego in medium relinquo.

## CAPVT XV.

De verbo, quiesco, an e littera corripi an produci debeat.

**A**micus noster homo multi studii atque in bonarum disciplinarum opere frequens verbum, quod icicit; vsi te, e, littera corrept. dixit. alter item amicus homo in doctrinis, quasi in prestigis, mirificus communiūque vocum respiciens nimis & fastidians barbare eum dixisse opinatus est, quoniam producere debuisset non corripere. nam, quod icicit, ita oportere dici prædicavit, ut ca-



lescit, nitescit, strepescit, atque alia huiusmodi multa. id etiam addibat, quod, quæ, e, producta non breui diceretur. nosæ autem, qua est omnium rerum verecurda mediocritate, ne si *Æli quidam, Cincij, & Satyri* dicendum ita censuissent, obsecuturum sese fuisse ait contra perpetuam Latinæ linguæ consuetudinem: neque se tam insignitè locuturum, absorta inauditæque ut diceret. litteras autem super hac re fecit inter exercitia quadam ludicra: *Q, quiesco, non est his simile, quæ supra posui, nec à quiete dictum, sed ab eo quietem; Græcæque vocis ἐξουχὴ ἐξουχον* Ionice à verbo ἐξουχέω & modum & originem verbum illud habere, demonstravit: rationibusque haud sane frigidis docuit, quiesco, e, littera longa dici non convenire.

## CAPVT XVI.

Notatum verbum, *deprecor*, à poeta Catullo inusitate quidem sed apte positum & propriè: deque ratione eius verbi: exemplisque veterum scriptorum.

**E**iusmodi quispiam qui tumultuariis & modicis linguæ exercitationibus ad famam se facundia permiscerat, neque orationis Latinæ usurpationes veras dicerat, cum in Lycio forte vespera ambularem, ludo ibi & voluptati nobis fuit. nam cum esset verbum, *deprecor*, doctiuscule positum in Catulli carmine; quia id ignorabat, frigidissimos versus esse dicebat, omnium quidem meo iudicio venustissimos, quos subscripsi.

Lesbia mihi diu semper male, nec tacet unquam

De me Lesbia: me dispercam nisi amat.

Quo signo? quasi non totidem mox deprecor  
illi

Affidue. verum dispeream nisi amo.

deprecor hoc in loco vir bonus ita dictum esse putabat, ut plerumque à vulgo dicitur; quod significat valde precor & oro & supplico. in quo, de, præpositio ad augendū & cumulandum valet, quod si ita esset; frigidī sane versus forent. nunc enim contrā omnino est. nam, de, præpositio, quoniam est anceps, in vno eodemque verbo diuersitatem significationis capit. sic enim, deprecor, à Catullo dictum est, quasi detestor, vel execror, vel depello, vel abominor. contrā autē valet, cum Cicero pro P. Sylla ita dicit. Quam multorum hic vitam à Sylla deprecatus. item in dissuasiōe legis agrariæ. Si quid deliquero; nullæ sunt imagines quæ me à vobis deprecentur. Sed neque solus Catullus ita isto verbo usus est. pleni adeo sunt libri veterum similis in hoc verbo significationis. ex quibus unum & alterum, quæ suppetierant, apposui, Quod Ennius in Erechttheo non longe secus dixit quam Catullus.

Quibus nunc, inquit, ærumna mea libertatem paro,

Quibus seruitutem mea miseria deprecor.

significat abigo & amolior vel prece adhibita vel quo alio modo. item Ennius in Cresphonte:

Ego cum meæ vitæ parcam; letum inimico deprecor.

Cicero in libro sexto de republica ita scripsit. Quod quidem eo fuit maius, qui cum causā pari collegæ essent non modo inuidia pari non erant, sed et à Claudii inuidiam Gracchi caritas deprecabatur. hic quoque item non est valde precabatur, sed quasi propulsabat inuidiam. quod Græci propinqua significatione παρατρομα dicunt. Item pro M. Licinio consimiliter Cicero verbo isto utitur. Quid, inquit, huic homini

facias? non ne concedas interdum vt excusatione  
 stultitiæ summæ improbitatis odium deprecetur?  
*item in Verrem actionis secunde primo*; Nunc vero  
 quid faciat Hortensius? auaritiæne crimina  
 frugalitatis laudibus deprecetur? an hominem  
 flagitiosissimum libidinosissimum nequissimum-  
 que defendenda? Sic igitur *Catullus eadem se facere dicit,*  
*querens veniam quod & malediceret ei palam respueret-*  
*que & recusaret detestariurque a sidiue; & tamen eam*  
*penitus deperiret.*

## CAPVT XVII.

Quis omnium primus libros publice præbuerit  
 legendos; quantumque numerus fuerit Athenis  
 ante clades Perlicas librorum in bibliotheca  
 publicorum.

**L**ibros Athenis disciplinarum liberalium publice ad  
 legendum præbendos primus posuisse dicitur Pisistratus  
 tyrannus: deinceps studiosius accuratiusque ipsi Athenienses  
 auxerunt. sed omnem illam postea librorum copiam  
 Xerxes Athenarum potitus, vrbe ipsa præter arcem  
 incensa abstulit asportauitque in Persas. hos porro libros  
 vniuersos multis post tempestatibus Seleucus rex, qui Nicanor  
 appellatus, referendos Athenas curauit. ingens postea  
 numerus librorum in Egypto à Ptolemais regibus  
 vel conquisitus vel confectus est ad milia fermè voluminum  
 septingenta. sed ea omnia bello priore Alexandrino,  
 dum diripitur ea ciuitas, non sponte neque opera consulta,  
 sed à militibus forte auxiliariis incensa sunt.

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIIVS LIBER  
SEPTIMVS.

CAPVT I.

Admiranda quædam de P. Africano superiore  
ex annalibus sumta.



*Vod de Olympiade Philippi regis uxore, Alex-  
andri matre, in historia Græca scriptum est; idem de P. Scipionis quoque matre, qui prior  
Africanus appellatus est, memoria datum  
est. nam & C. Oppius & Iulius Higinus, alique, qui  
de vita & rebus Africani scripserunt, matrem eius duo  
sterilem existimatam tradunt; Publium quoque Scipio-  
nem, cum quo nupta erat, liberos desperauisse. postea in  
cubiculo atque in lecto, cum absente marito cubans sola ob-  
dormisset, visum repente iuxta eam cubare ingentem an-  
guem; cumque, iis qui viderant territis & clamantibus,  
elapsam inueniri nequisse: id ipsum P. Scipionem ad haru-  
spices retulisse: eos, sacrificio facto, respondisse fore ut libe-  
ri generentur: neque multis diebus post, quam ille anguis  
in lecto visus est, mulierem concepisse: concepti fetus signa  
atque sensum pati: exinde mense decimo peperisse; ratum-  
que esse hunc P. Scipionem Africanum, qui Hannibalem  
& Karthaginenses in Africa bello Pœnico secundo vi-  
cit. Sed & cum impendio magis ex rebus gestis quam ex  
illo ostento virum esse virtutis diuina creditum est. Id etiã  
dicere haud piget, quod idem illi, quos supra nominavi,  
litteris mandauerint Scipionem hunc Africanum solita-*

*tausse noctis extremo, prius quam diluculet, in capitulum ventitare, ac iuberi aperire cellam Iouis, atque ibi solum diu demorari quasi consultantem de republica cum Ioue; adituoque eius templi saepe esse demiratos, quod solum id temporis in capitulum ingredientem canes semper in alios seuentes neque latrarent eum neque incurrerent. Has vulgi de Scipione opiniones confirmare atque approbare videbantur dicta factaque eius pleraque ammiranda, ex quibus est unum huiusmodi. Assidebat oppugnabatque oppidum in Hispania situ, mœnibus, defensoribus validum & mœnitum, re etiam cibaria copiosum: nullaque eius potiundi spes erat. & quodam die ius in castris sedens dicebat: atque ex eo loco id oppidum procul videbatur, tam è militibus qui in iure apud eum stabant, interrogavit quispiam ex more in quem diem locumque vadimonium promitti iuberet. & Scipio manum ad ipsam oppidi, quod obsidebatur, arcem protendens Perendie, inquit, sese fistant illo in loco, atque ita factum, die tertio, in quem vadari iusserat, oppidum captum est: eodemque die in arce eius oppidi ius dixit.*

## CAPUT II.

De Cællii Vindicis pudendo errore; quem offendimus in libris eius, quos inscripsit Antiquarum Læctionum.

**T**yrpe erratum offendimus in illis celebratissimis commentariis Læctionum antiquarum Cællii Vindicis, hominis Herclè pleraque haud indiligentis, quod erratum multos fugit, quamquam multa in Cællio reprehendendo etiam per calumnias rimarentur, scripsit autem Cællius Q. Ennium in tertiodécimo libro annalium cor, dixisse masculino genere: verba Cællii subiecta sunt.

Masculino genere, *cor*, vt multa alia, enuntiauit Ennius. nam in tertio decimo annali quem *cor*, dixit. adscripsit deinde versus Ennii duos :

Hannibal audaci cum pectore dehortatur  
Ne bellum faciam; quem credidit esse meum  
cor?

*Antiochus est, qui hoc dicit, Asiae rex is admiratur & permouetur quod Hannibal Karthaginensis bellum se facere populo Romano volentem dehortetur. hos autem versus Casellius sic accipit, tamquam si Antiochus sic dicat: Hannibal me ne bellum geram dehortatur. quod cum facit, aequalem cor putat habere me ei. quam stultum esse me credit, cum id mihi persuadere vult: hoc Casellius quidem. sed aliud longe Ennius. nam tres versus sunt non duo ad hanc Ennii sententiam pertinentes. ex quibus tertium versus Casellius non respexit:*

Hannibal audaci cum pectore dehortatur  
Ne bellum faciam; quem credidit esse meum  
cor

Suasorem summum & studiosum robore  
belli.

*horum versuum sensus atque ordo sic opinor est. Hannibal ille audentissimus atque fortissimus, quem ego credidi (hoc enim est; cor meum credidit; proinde atque diceret, quem ego stultus homo credidi) fore summum suasorem ad bellandum, is me dehortatur, dissuadetque ne bellum faciam. Casellius autem forte παρὰ τοῦ ἑσθίου παρὰ ἡμῶν ista verborum captus quem cor dictum putauit, & quem accentu acuto legit, quasi ad cor referatur non ad Hannibalem. sed non fugit me, si aliquis sit tam inconditus, sic posse defendi cor Casellii masculinum, vt videatur ter-*

sius versus seperatim atque diuise legendus, proinde quasi præcis interruptisque verbis exclamet Antiochus; iustorem summum! sed non dignum est eis, qui hoc dixerint, responderi.

## CAPVT III.

Quod Tullius Tiro Ciceronis libertus reprehenderit in M. Catonis oratione, quam pro Rhodiensibus in senatu dixit; & quid ad ea, quæ reprehenderat, responderimus.

Ciuitas Rhodiensis & insula opportunitate & operum nobilitate & nauigandi sollertia naualibusque victoriis celebrata est. ea Rhodiensis ciuitas, cum amica atque socia populi Romani foret, Persa tunc Philippi filio Macedonum rege, cum quo bellum populo Romano fuit, amico usa est: connixique sunt Rhodienses, legationibus Romam sepe missis, id bellum inter eos componere. sed, ubi ista pacificatio perpetrari nequiuit, verba à plerisque Rhodiensibus in concionibus eorum ad populum facta sunt; ut, si pax non fieret, Rhodienses regem aduersus populum Romanum adiutarent. sed nullum super ea re publicum decretum factum est. At, ubi Perses victus captusque est, Rhodienses pertimere ob ea quæ compluribus in cætibus populi acta dictaque erant: legatosque Romam miserunt, qui temeritatem quorundam popularium suorum deprecarentur; & fidem consiliumque publicum expurgarent. legati postquam Romam venerunt, & in senatum intronisi sunt, verbisque suppliciter pro-

*causa sua factis è curia excesserūt : sententiæ rogari cœpta. cumq; e partim senatorum de Rhodiensibus quererentur, maleq; eos animatos fuisse dicerent, bellumque eo illis faciendum censerent : tum M. Cato exsurgit ; & optimos fidissimósque socios, quorum opibus diripiendis possidendisque non pauci ex summatibus viris intenti infestique erant, defensum conseruatimque pergit ; orationemque inclutam dicit, quæ & seorsum fertur inscriptaque est pro Rhodiensibus, & in quinto Originum libro scripta est. Tiro autem Tullius M. Ciceronis libertus sane quidem fuit ingenio homo eleganti, & haudquaquam rerum litterarumque veterum indotus: eoque ab ineunte ætate liberaliter instituto ad ministrum & quasi administrum in studiis litterarum Cicero usus est. sed profecto plus ausus est quam ut tolerari ignoscique possit. namque epistolam conscripsit ad Q. Axium familiarem patroni sui confidenter & nimis calide in qua sibi met versus est orationem, istam pro Rhodiensibus acri subtilique ingenio & iudicio percensuisse. ex ea epistola libitum forte nobis est reprehensiones eius quasdam attingere; maiore scilicet venia reprehensuri Tironem, quàm tum ille reprehedit Catonem. culpa vitæ autem primum hoc, quod Cato inrudite & ἀναγνώγως, ut ipse ait, principio nimis insolenti nimisque acri & obiurgatorio usus sit ; cum vereri sese ostendit ne patres, gaudio atque lætitia rerum gestarum prospere de statu mentis suæ deturbati, non satis conspicerent ; neque ad recte intelligendum consulendumque essent idonei. In prioribus piis autem, inquit, patroni, qui pro reis dicunt, conciliare sibi & complacare iudices debent ; sensusque eorum expectatione causæ suspensos rigentésque honorificis verecundisque sententiis commulcere ; non iniuriis atque impetiosis minationibus cōfutare. ipsum deinde prin-*



*cipium apposuit; cum verba hæc sunt.* Scio solere ple-  
 ritque hominibus rebus secundis atque prolixis  
 atque prosperis animum excellere, superbiam  
 atque ferociam auferere atque crescere. quod  
 mihi nunc magnæ curæ est, quia hæc res tam se-  
 cunde processit, ne quid in consulendo aduersi  
 eueniat, quod nostras secundas res confuret; ne-  
 ve hæc lætitia nimis luxuriose eueniat. aduersæ  
 res se domant & docent quid opus sit facto. se-  
 cundæ res lætitia transuersum trudere solent à  
 recte consulendo atque intelligendo. quo ma-  
 iore opere edico suadèque uti hæc res aliquot  
 dies proferatur, dū ex tanto gaudio in potestate  
 nostrâ redeamus. *quæ deinde Cato iuxta dicit, ea, in-*  
*quit, confessione faciunt non defensionem; neque pro-*  
*pulsionem translationemve criminis habent, sed*  
*cum pluribus aliis communicationem. quod sci-*  
*liet nihil ad purgandum est. atque etiam, inquit,*  
*insuper profitetur Rhodienses, qui accusabantur*  
*quod aduersus populum Romanum regi ma-*  
*gis cupierint fauere atque, id eos cupisse atque*  
*fuisse utilitatis suæ gratia; ne Romani, Persa*  
*quoque rege victo, ad superbiam ferociamque &*  
*immodicum modum insolescerent. eaque ipsa ver-*  
*ba ponit, ita uti infra scriptum est.* Atque ego quidem  
 arbitror Rhodienses noluisse nos ita depugnare,  
 uti depugnatum est; neque regem Persen vicisse;  
 non Rhodienses id modò voluere, sed multos  
 populos ac multas nationes idem noluisse arbi-  
 tror. atque haud scio an partim eorum fuerint,  
 qui non nostræ contumeliæ causa id noluerint  
 euenire; sed enim id metuere, si nemo esset ho-  
 mo quem vereremur & quicquid luberet face-

remus, ne sub solo imperio nostro in seruitute nostra essent. libertatis suæ causa in ea sententia fuisse arbitror. atque Rhodienses tamen Perfen publice numquam adiuuare. cogitate quanto nos priuatim cautius facimus. nam vnusquisque nostrum, si quis aduersus rem suam quid fieri arbitratur, summa vi contra nititur, ne aduersus ea fiat. quod illi tamen perpeffi. Sed, quod ad principium reprehensum attinet, scire oportuit Tironem defensos esse Rhodienses à Catone sed ut à senatore & consulari & censorio viro, id, quod optimum esse publicum existimabat, suadente, non ut à patrono causam pro reis dicente. alia nãque principia cõducunt reos apud iudices defendeti, & elementia misericordiamq; vndiq; indagati; alia, cū senatus de republica cõsultitur viro auctoritate prestanti sententiis quorundã iniquissimis permoto, & pro utilitatibus publicis ac pro salute sociorũ grauitè ac libere indignati simul ac dolenti. quippe rectè & utiliter in disciplinis rhetorũ præcipitur iudices de capite alieno deque causa ad se e non pertinenti cogituros, ex qua præter officium iudicand. nihil ad eos simul periculi vel emolumentum reddenda urum est, coaciliandos esse ac propitiandos laudabiliter ac placabiliter & leniter existimationi salutique eius qui apud eos accusatus est. at cum dignitas & fides & utilitas omnium communis agitur, ob eamque rem a et suade idum quid ut fiat, aut fieri iam cæpto differendum est: tum qui se in huiusmodi principis occupat ut beniuolos benignosque sibi auditores paret, otiosam operam in non necessariis verbis sumit. iamdudum enim negotia periculãque ipsa rerum communia consiliis eos capiendis coaciliant; & ipsi potius sibi exposcunt consultoris benivolentiam. Sed quod ait confissam Catonem noluisse Rhodienses ita depugnari uti depugnatum est, neque regem

Perseni à populo Romano vinci, atque id eum dixisse non Rhodienses modo sed multas alias quoque nationes voluisse, sed id nihil ad purgandum extenuandumve crimen valere; iam hoc primum Tiro improbe mentitur. verba ponit Catonis; & aliis tamen eum verbis calumniatur. non enim Cato confitetur Rhodienses noluisse victoriam esse populi Romani, sed sese arbitrari dixit id eos noluisse: quod erat procul-dubio sua opinionis professio, non Rhodiensium culpa confessio. in qua re, ut meum quidem iudicium est, non culpa tantum vacat, sed dignus quoque laude admirationeque est; cum & ingenue & religiose dicere visus est contra Rhodienses quod sentiebat, & parta sibi veritatis fide ipsum illud tamen, quod contrarium putabatur, flexit & transtulit; ut eos idcirco vel maxime equum esset acceptiores carioresque fieri populo Romano, quod cum & utiles illi essent & vellent regi, nihil tamen adiuvandi eius gratia facerent. postea verba hæc ex eadẽ oratione ponit. Ea nũc de repente tanta nos beneficia vltro citroq., tantã amicitiam relinquemus? quod illos dicimus voluisse facere, id nos priores facere occupabimus? hoc, inquit, entymema nequã & vitiosum est. respondere enim potuit; occupabimus certè: nam, si non occupauerimus, opprimemur; incidendumque erit in insidias à quibus ante nos non cauerimus. recte, inquit, hoc vitio dat Lucilius poëta Euripidi; quod, cum Polyphontes rex propterea se interfecisset fratrem diceret quod ipse ante consilium de nece eius cepisset, Merope fratris uxor hisce eum verbis eluserit.

Εἰ γὰρ σὲ ἐμελένωσ' ὡς σὺ φῆς, κτείνειν πόσις;

Χρὴ καὶ σὲ μέλλειν, ὡς χρέονος παρῆν δῆδεν.

At hoc enim, inquit, plane stultitia plenum est, eo consilio atque ea fini facere velle aliquid, uti nunquam id facias quod velis. sed videlicet Tiro animum non aduertit

non esse in omnibus rebus cauendis eandem causam; neque humana vitæ negotia & actiones & officia vel occupandi vel differendi vel etiam ulciscendi vel cauendi similia esse pugna gladiatoria. nam gladiatori, composito ad pugnandum, pugnae hæc præposita sors est, aut occidere si occupauerit, aut occumbere si cessauerit. hominum autem vita non tam iniquis neque tam indomitis necessitatibus circumscripta est, ut idcirco prior iniuriam facere debeas, quam, nisi feceris pati possis. quod tantum aberat à populo Romano; ut sæpe etiam in sese factis iniurias ulcisci neglexerit. post deinde usum esse Catonem dicit in eadem oratione argumentis parum honestis & nimis audacibus, ac non viri eius, qualis fuit, sed vafris ac fallaciosis & quasi Græcorum sophistarum sollertius. nã, cum obuiceretui, inquit, Rhodiensibus quod bellum populo Romano facere voluissent, neguit pæne, & ignosci poposcit quia id non fecissent & si maxime voluissent; induxisseque eum dicit quam dialectici epagogen appellant, rem admodum insidiosam & sophisticam, neque ad veritatem magis quam ad captiones reptam; cum conatus sit exemplis decipientibus colligere confirmareque, neminem, qui male facere voluit, plecti æquum esse, nisi, quod factum voluit, etiam fecerit. *verba autem ex ea oratione M. Catonis hæc sunt.* Qui acerri-me aduersus eos dicit, ita dicit; hostes voluisse fieri. Et quis tandem est qui nostrorum, quod ad sese attinet, æquum censeat quemquam pœnas dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluisse? nemo opinor. nam ego, quod ad me attinet, nolim. deinde paulo infra ita dicit. Quid nunc? & quæ tandem lex est tam acerba,

quæ dicat ; Si quis illud facere voluerit , mille nummis dimidium familiæ multa esto : Si quis plus quingenta iugera habere vo uent; tanta pœna esto . Si quis maiorem pecudum numerum habere voluerit ; tantum damni esto . atqui nos omnia plura habere volumus , & id nobis impune est. *postea ita dicit.* Sed si honorem non æquum est haberi ob eam rem , quod bene facere voluisse quis dicit neque fecit tamen ; Rhodiensibus tale est , quod non male fecerunt , sed quia voluisse dicuntur facere. *His argumentis Tiro Tullius M. Catonem contendere & conficere dicit Rhodiensibus quoque impune esse debere , quod hostes quidem esse populi Romani voluissent , et si maxime non fuissent . dissimulari autem non posse ait , quin paria & consimilia non fiat plus quingenta iugera habere velle , quod plebiscito colonis prohibitum fuit ; & bellum iniustum atque impium populo Romano facere velle : neque item inficiari posse , quin alia causa in premio sit alia in pœnis . nam beneficia , inquit , promissa opperiri oportet , neque ante remunerari , quam facta sunt : iniurias autem imminentes præcauisse iustum est quam expectauisse . summa enim professio stultitiæ , inquit , est non ire obuiam sceleribus cogitatis , sed manere opperiri que , ut , cum admissa & perpetrata fuerint , tum denique , ubi quæ facta sunt infecta fieri non possunt , pœniantur . hæc Tiro in Catonem non nimis frigide neque sane inaniter . Sed enim Cato non nudam neque solitariam nec improtectam hanc epagogen facit : sed multis eam modis præfulcit , multisque aliis argumentis conuelat : & , quia non Rhodiensibus magis quam reipublica consultabat , nihil sibi dictu factuque in ea re turpe duxit , quin omnium sententiarum via seruatum ire socios miseretur . ac primum ea*

non incallide conquisiuis, quæ non iure natura aut iurè gentium fieri prohibentur, sed iure legum rei alicuius mendanda aut temporis causa iussarum: sicut est de numero pecoris & de modo agri præfinito aut eiusmodi aliquo, in quibus rebus, quod prohibitum est fieri, per leges quidem non licet; velle id tamen facere, si liceat, inhonestum non est. atque eas res contulit seorsum, miscuitque cum eo quod neque facere neque velle per sese honestum est; tum deinde, ne disparilitas collationis evidens fieret, pluribus id propugnaculis defensat: neque tenues istas & enucleatas voluntatum in rebus illicitis reprehensiones, qualia in philosophorum otio disputantur, magnificat; sed id solum summa ope nititur ut causa Rhodiensium, quorum amicitiam retineri ex republica fuit, aut æquæ iudicaretur, aut quidem certe ignoscenda: atque interim neque fecisse Rhodienses bellum neque facere voluisse dicit; interim autem facta sola censenda dicit atque in iudicium vocanda, sed voluntates nudas inanèscque neque legibus neque pœnis fieri obnoxias; interdum autem, quasi deliquisse eos concedat, ignosci postulat, & ignoscencias utiles esse rebus humanis docet; ac, nisi ignoscant, metus in republica rerum nouarum mouet: sed enim contra, si ignoscatur, conseruatum iri ostendit populi Romani magnitudinem. superbia quoque crimen, quod tunc præter cetera in senatu Rhodiensibus obiectum erat, mirifica & prope diuina responsionis figura elusit & eluit. verba adeo ipsa ponemus Catonis; quoniam Tiro ea prætermisit. Rhodienses superbos esse aiunt, id obiectantes quod mihi à liberis meis minime dici velim. sint sane superbi. quid id ad nos attinet? idne irascimini si quis superbior est quam nos? nihil prorsus hac compellatione dici potest neque grauius neque munitius aduersus ho-

mines superbissimos facta, qui superbiam in sese amarent, in alijs reprehenderent. præterea animaduertere est in tota ista Catonis oratione omnia disciplinarum rhetoricarum arma atque subsidia mota esse. sed non proinde ut in decursibus ludicris aut simulachris præliorum voluptarijs fieri videmus; non, inquam, distincte nimis nimisque compta atque modulate res acta est. sed quasi in ancipiti certamine, cum sparsa acies est, multis locis Marte vario pugnatur: sic in ista tum causa Cato, cum superbia illa Rhodiensium famosissima multorum odio atque invidia flagraret, omnibus promiscè tuendi atque propugnandi modis usus est: & nunc ut optime meritos commendat; nunc, tamquam si innocentes purgaret, ne bona diuitiaque eorum expetantur, obiurgat; nunc etiam quasi sit erratum deprecatur; nunc ut necessarios reipublica ostentat; nunc clementia nunc mansuetudinis maiorum nunc utilitatis publicæ commonefacit. eaque omnia distinctius numerosiusque ac comptius fortasse dici potuerunt: fortius atque viuidius potuisse dici non videntur. inique igitur Tiro Tullius, qui ex omnibus facultatibus tam opulentæ orationis aptis inter sese & coherentibus paruum quippiam nudumque sumfit, quod obtrectaret; tamquam non dignum M. Catone fuerit quod delictorum non perpetratorum voluntates tantum non censuerit pœniendas. Commodius autem eretiusque de his meis verbis, quibus Tullius Tironi respondi modo, existimabit iudiciumque faciet, qui & orationem ipsam Catonis totam acceperit in manus, & epistolam Tironis ad Axium scriptam requirere & legere curauerit. ita enim nos sincerius exploratiusque vel corrigere poterit vel probare.

## CAPVT IIII.

Cuiusmodi seruos & quam ob causam Cælius Sabinus iuris ciuilibus auctor pileatos venundari solitos scripserit, & quæ mancipia sub corona more maiorum venierint; atque id ipsum, sub corona, quid sit.

**P**ileatos seruos venundatosque ire quorum nomine venditor nihil præstaret Cælius Sabinus iurisperitus scriptum reliquit. cuius rei causam esse ait, quod huiusmodi conditionis mancipia insignia esse in vendendo deberent, ut emptores errare & capi non possent; neque lex vendendi opperienda esset: sed oculis iam perciperent quodnam esset mancipiorum genus. sicuti, inquit, antiquitus mancipia iure belli capta coronis inducta veniebant, & ideo dicebantur sub corona venire. namque ut ea corona signum erat captiuorum venalium; ita pileus impositus demonstrabat eiusmodi seruos venundari, quorum nomine emptori venditor nihil præstaret. est autem alia rationis huius opinio cur dici solitum sit captiuos sub corona venundari; quod milites, custodiae causa, captiuorum venalium greges circumstarent: eaque circumstantio militum corona appellata sit. sed id magis verum esse, quod supra dixi, Cato quoque in libro, quem composuit de re militari, docet. verba sunt hæc Catonis. Ut pulvis sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam rem male gesta coronatus veniat.



## CAPVT V.

Historia de Polo histrione memoratu digna.

**H**istrion in terra Græcia fuit fama celebri ; qui gestus & vocis claritudine & venustate ceteris antistabat . nomen fuisse aiunt Polum . tragædias poetarum nobilium scite atque assuerate actitauit . is Polus unice amatum filium morte amisit . eum luctum cum satis visus est eluxisse , redijt ad quæstum artis . in eo tempore Athenis Electram Sophoclis acturus gestare urnam quasi cum Orestis ossibus debebat . ita compositum fabula argumentum est , ut veluti fratris reliquias ferens Electra compleret commiseraturque interitum eius qui per vim extinctus existimatur . igitur Polus lugubri habitu Electra indutus ossa atque urnam è sepulchro tulit filij , & quasi Orestis amplexus opplevit omnia non simulachris neque imitamentis sed bructu atque lamentis veris & spirantibus . itaque cum agi fabula videretur , dolor accitus est .

## CAPVT VI.

Quid de quorundam sensuum naturali defectio-  
ne Aristoteles scripserit.

**E**X quinque his sensibus quos animantibus natura tribuit , visu , auditu , gustu , tactu , odoratu , quos Græci ὄψιν , ἀκοήν , γῆσιν , ἀφήν , ὄσφρησιν appellant , quadam animalium alia alio carent ; & aut caca natura gignuntur aut in ora inauritave nullum autem gigni animal Aristoteles dicit , quod aut gustus sensu careat aut tactus . verba ex libro eius , quem περὶ μνήμης composuit , hæc sunt . τὴν δὲ ἀφῶν καὶ τὴν γῆσιν πάντα ἔχει , πλὴν ἐπὶ τῆς ἀτελῆς ζώων .

## CAPVT VII.

An, *affatim*, quasi *admodum*, prima acuta pronuntiandum sit; & quædam itidem non incuriose tractata super aliarum vocum accentibus.

**A**nnianus poëta, præter ingenij amœnitates, litterarum quoque veterum & rationum in litteris oppido quam peritus fuit; & sermocinabatur mira quadam & scita suauitate. is *affatim*, ut, *admodum* prima acuta non media pronuntiabat; atque ita veteres locutos censebat. itaque se audiente Probum Grammaticum hos versus in Plauti Cistellaria, legisse dicit.

Potin' est tu homo facinus facere strennuum?  
 Aliorum est *affatim* qui faciunt, sane ego  
 Me volo fortem perhiberier virum.

causamque esse huic accentui dicebat, quod, *affatim*, non essent due partes orationis, sed utraque pars in unam vocem coaluisset; sicuti in eo quoque, quod exaduersum dicimus, secundam syllabam debere acui existimabat; quoniam una non due essent orationis partes: atque ita oportere apud Terentium legi dicebat in his versibus.

In quo hæc discebat ludo exaduersum loco  
 Tonlirina erat quædam.

addebat etiam quod, ad, præuerbium tum fermè acueretur cum significaret *èmirari*, quam intentionem nos dicimus, sicuti *affabrè* & *admodum* & *approbè* dicuntur. cetera quidem satis commode Annianus. sed hanc particulam, ad, cum intentionem significaret acui putauit. non id perpetuum videtur. nam &, adpositus cum dicimus & adprimus & adprime; *intenti*

*his in verbis demonstratur: neque tamen, ad, particula satis commode accentu acuto pronuntiatur. adprobus tamen, quod significat valde probus, non inficias eo quin prima syllaba acui debeat. Cacilius in comœdia, qua inscribitur TRIUMPHVS, vocabulo isto vitur.*

Hierocles hospes est mihi adolescens adprobus.

*num igitur in istis vocibus, quas nos acui diximus, ea causa est quod syllaba insequitur natura longior, quæ non fermè patitur acui priorem in vocabulis syllabarum plurimum quam duarum? adprimus autem longe primum L. Linius in Odyssæa dicit in hoc versu.*

Ibi denique vir summus adprimus Patroclus. idem Linius in Odyssæa præmodum dicit, quasi admodum. Parcentes, inquit, præmodum. quod significat supra modum; dictumque est quasi præter modum: in quo scilicet prima syllaba acui debuit.

## CAPVT VIII.

Res vltra fidem tradita super amatore delphino & puero amato.

**D**elphinos Venerios esse & amafios non modo historia veteres sed recentes quoque memoria declarant. nam & sub Cesaribus, in Puteolano mari, vt Appion scriptum reliquit, & aliquot seculis ante apud Naupactum, vt Theophrastus tradidit, amatores flagrantissimi quidam delphinorum cogniti compertique sunt. neque y amauerunt, quod sunt ipsi genus, sed pueros forma liberali in nauiculis fortè aut in vadis litorum conspectos miris & humanis modis arserunt. Verba subscripsi Appionis eruditi viri ex Egyptiacorum libro quinto: quibus delphini amanti & pueri non abhorrentis consuetudines, li-

*ſus, geſtationes, aurigationes refert; eaque omnia ſeſe ipſum multoſque alios vidiffe dicit. καὶ αὐτὸς δ' οὖν εἶδον πρὸς Διελιαρχίαν διελφίνα ἐρωῶντα παιδὸς, καὶ πρὸς παιδικῶ ἐπισημόν φωνῶν. ἀτὰρ οὖν καὶ προσηχόμενος ὁ ἰχθύς ἀνεδίχετο τὸν παῖδα ἐπὶ τῶν νώτων, καὶ τὰς ἀκάνθας πρὸς ἑλκῶν, ἵνα μὴ τὸν ποδούμνον χεῖρα ἀμύξειε καὶ ἰππιδὸν πρὸς βεβηκότα μέχρι διακοσίων ἀνῆγεσάδιων. ἐξεχέτο δ' ἄρα ἢ Ρώμῃ καὶ πᾶσα ἢ Ἰταλία δεῦσα αὐτῷ ἰχθύϊ νηχόμενον ὑπὸ ἔρωτος. Ad hac adiicit rem nō minus mirandam. Poſtea, inquit, idem ille puer de ſino amœnus morbo affectus obiit ſuum diem. at ille amans; ubi ſepe ad litus ſolitum aduenerat, & puer qui in primo vado aduentum eius opperiri conſueuerat, niſquam fuit; deſiderio tabuit exanimatūſque eſt; & in litore iacens, inuentus ab his qui rem cognouerant, in ſui pueri ſepulchro humatus eſt.*

## C A P V T I X.

*Popoſci & momordi pupugi, & ſpōpondi, & cucurri pleroſque veterum dixiſſe, non vti poſtea receptum eſt dicere, per, o, aut per, u, litteram in prima ſyllaba poſitā, ſed per, e, atque id Græcæ rationis exemplo dixiſſe: præterea notatū, quod viri non indocti neque ignobiles, à verbo deſcendo non deſcendi ſed deſcendi dixerunt.*

**P**opoſci, momordi, pupugi, cucurri, probabiliter dici videntur: atque ita nunc omnes ferme doctiores huiusmodi verbis utuntur. ſed *Q* Ennius in Satyris, memorderit, dixit per, e, litteram, non momorderit. Meum, inquit, non eſt; at ſi me canis memorderit. item Laberius in Gallis. De integro patrimonio meo centum milia nummūm memordi. item idem Laberius in Coloratore. Itaque leui pruna percoctus

simul sub dentes mulieris veni, bis ter memordit. *item P. Nigidius de animalibus libro secundo.* Serpens si memordit, gallina diligitur & opponitur. *item Plautus in Aulularia.* Ut ad memordit hominem. *sed idem Plautus in Trigemini non præmordisse neque præmemordisse dixit, sed præmordisse.*

Ni fugi sem, inquit, medium, credo, præmordisset.

*item Atta in Conciliatrice.* Vrsus se memordisse autumet. peposci quoque non poposci *Valerius Antias libro Annalium quadragesimo quinto scriptum reliquit.* Denique Licinius tribunus plebei perduellionis ei diem dixit, & comitis diem a Q. Marcio prætore peposcit. pepugero aque *Atta in Edilia dicit.* Sed si pepugero metuet. *Ælium quoque Tuberonem libro ad C. Oppium scripto occurrerit dixisse Probus annotavit, & hac eius verba apposuit.* Si generalis species occurrat. *idem Probus Valerium Antiatem libro historiarum duodecimo speponderant scripsisse annotavit; verbaque eius hac posuit.* Tib. Gracchus, qui quæstor C. Mancino in Hispania fuerat, & ceteri qui pacem speponderant. Ratio autem dictionum hac esse videri potest: quoniam Græci in quadam specie præteriti temporis, quod *ἄφαίμερον* appellant, secundam verbi litteram in, e, plerumque vertunt, *χάρω γέχαφα, ποίω πέποινα, λαλώ λελάηκα, κρατώ κερπέτηκα, λέω λέλουκα.* Sic ergo mordeo memordi, posco peposci, tendo tetendi, tango tetigi, pungo pepugi, spondeo spepondi, curro cecurri, tollo tetuli facit. sic & *M. Tullius & C. Caesar* mordeo memordi, pungo pepugi, spondeo spepondi dixerunt. Præterea inueni a verbo scindo simili ratione non scideat sed sciderat dictum

esse. L. Attius in Sotadicorum libro primo scelsiderat dixit. Verba hæc sunt. Non ergo aquila ita, uti prædicant, scelsiderat pectus. \* Ennius quoque & Valerius Antias, in libro historiarum septuagesimo quinto; verba hæc scripsit. Deinde funere locatio ad forum descendit. Laberius quoque in Catulario ita scripsit.

Ego mirabar quemodo mammae mihi detēdidcrant.

## C A P V T X I.

Vsfuscipio & copulate & recto vocabuli casu dicitur; ita pignoris capio coniuncte & eadem vocabuli forma dictum est.

**V**T hæc vsuscipio dicitur copulato vocabulo, a, littera in eo tractim pronunciata; ita pignoris capio iunctæ sunt partes, & productè dicebatur. Verba Catonis sunt ex primo epistolicarum questionum Pignoris capio ob æs militare, quod æs a tribuno aratio miles accipere debebat, vocabulum seorsum fit. per quod satis dilucet hanc captionem posse dici, quasi hanc captionem, & in usu & in pignore.

## C A P V T X I.

Neque leuitatem neque nequitiam ea significatione esse, qua in vulgi sermonibus dicuntur.

**L**euitatem plerumque nunc pro inconstātia & mutabilitate dici audio, & nequitiam pro sollertia & stutiāque. sed veterum hominum qui proprie atque integre locuti sunt leues dixerunt, quos vulgo nunc viles & nullo honore dignos dicimus; & leuitatem appellauerant proinde quasi leuitatem; & nequitiam hominem nulli rei neque frugis bonæ; quod genus Græci ferè ἀσωτων ἢ ἀκόλαστον ἢ ἀχρεῖον ἢ ἀχρηστον ἢ κακάροπον ἢ φαί-

pòv dicunt. Qui exempla horum verborum requirit, ne in  
 libris nimis remotis quærat, inueniet ea in M. Tullij secūda  
 Antonianarum. nam, cum genus quoddam sordidissimū  
 vita atque victus M. Antonij idem demonstraturus esset,  
 quod in caupona delitesceret. quod ad vesperū perpotaret;  
 quod ore inuoluto iter faceret ne cognosceretur; hæc & alia  
 eiusmodi cum in eum dicturus esset, Videte, inquit, ho-  
 minis leuitatem. tamquam prorsus ista dedecora hoc vi-  
 tio in homine notarentur. at postea, cum in eundem An-  
 tonium probra quedā alia ludibriosa & turpia ingessis-  
 set, ad extremum hoc addidit. O hominem nequam!  
 nihil enim magis proprie possum dicere. sed ex eo  
 loco M. Tullij verba compluscula libuit ponere. At videte  
 leuitatem hominis. cum hora diei decima ferè ad  
 saxa rubra venisset, delituit in quadā cauponula;  
 atque ibi se occultans perpotauit ad vesperū. inde  
 citio celeriter ad urbem aduectus domum venit  
 ore inuoluto. ianitor rogat, Quis tu? A Marco  
 tabellarius. confestim ad eam, cuius causa vene-  
 rat, deducitur; eique epistolam tradit. quam illæ  
 cum legeret flens (erat enim scripta amatorie;  
 caput autem litterarum hoc erat; sibi cum illa  
 nima posthac nihil futurum; omnē se amorem  
 abiecisse illum, atque in hanc transfudisse) cum  
 mulier fleret vberius; homo misericors ferre non  
 potuit: caput aperuit: in collum inuasit. O ho-  
 minem nequam. nihil enim magis propriè pos-  
 sum dicere. ergo vt te catamitum necopinato  
 cum ostendisses præter spem mulier aspiceret, id-  
 circo urbē terrore nocturno, Italiā multorū dierū  
 metu perturbasti? consimiliter Q. quoque Claudius in  
 primo annaliū, nequitia appellauit luxū vitæ prodigium  
 effusumq; in hisce verbis. Periuadēti cuidā adoleſcētū

Lucino, qui apprimè summo genere gnatus erat. sed luxuria & nequitia pecuniam magnam consumserat. *M. Varro in libro de lingua Latina, Ut ex nō & volo, inquit, nelo fit; sic ex ne & quicquam, media extrita syllaba, compositum est, nequam.* *P. Africanus pro se contra Tib. Asellum de multa ad populum.* Omnia mala, probra, flagitia, quæ homines faciunt, in duabus rebus sunt; malitia atque nequitia. vtrum defendis, malitiam, an nequitiam, an vtrumque simul? si nequitiam defendere vis; licet. sed tu in vno scorto maiorem pecuniam absumpsisti, quàm quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicauisti. ni hoc ita est; qui spondet mille nummum? sed tu plus tertia parte pecunie paternæ perdidisti atque absumpsisti in flagitiis. ni hoc ita est; qui spondet mille nummum? non vis nequitiam agere. malitiam saltem defendes. sed tu verbis conceptis coniurauisti sciens sciente animo tuo: ni hoc ita est; qui spondet mille nummum?

## CAPVT XII.

De tunici chiritotis; quodd earum vsum *P. Africanus Sulpicio Gallo obiecit.*

**T**unicis uti virum prolixis ultra brachia & vsque in primores manus ac propè in digitos, Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. eas tunicas Græco vocabulo nostri chiritotas appellauerunt: feminisque solis vestem longè latèque diffusam decorem existimauerunt, ad vlnas curuâque aduersus oculos protegenda. viri autem Romani primo quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt; postea substrictas & breues tunicas cisra humerum desinentes habebant.



res habebant, quod genus Græci dicunt ἐξομίδας. Hac antiquitate inductus P. Africanus Pauli F. vir omnibus bonis artibus atque omni virtute præditus P. Sulpicio Gallo, homini delicato, inter pleraque alia quæ obiectabat id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur manus totas operientibus. verba sunt hæc Scipionis. Nam qui cotidie vnguentatus aduersum speculum ornetur, cuius supercilia radantur, qui barba volva feminis usque subuolsis ambulet, qui in conuiujs adolescentulus cum amatore cū chiridota tunica inferior accubuerit, qui non modo vinosus sed virosus quoque sit; eum ne quisquam dubitet quin idem fecerit quod cinædi facere solent? Virgilius quoque tunicas huiusmodi, quasi femineas ac probrosas criminatur.

Et tunicæ, inquit, manicas & habent redimicula vittas.

Quintus quoque Ennius Karthaginienstem tunicatans inuentutem non videtur sine probro dixisse.

## CAPVT XIII.

Quem classicum dicat M. Cato, quem infra classem.

Classici dicebantur non omnes qui in classibus erant, sed primæ tantum classis homines, qui centum & viginti quinque milia æris ampliusve cense erant. infra classem autem appellabantur secundæ classis ceterarumque omnium classium, qui minore summa æris quam supra dixi, censebantur. Hoc eo strictim notavi, quoniam in M. Catonis oratione, qua Voconiam legem suasisit, quæri solet quid sit classicus, qui d infra classem.

## CAPVT XIII.

De tribus dicendi generibus ; ac de tribus philosophis qui ab Atheniensibus ad senatum Romanum legati missi sunt.

**E**T in carmine & in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quae Graeci *χαρᾶν ἄσπετος* vocant, nominâque eis fecerunt apponi, ἀσπὸν, ἰσχυρὸν, μέσον. nos, quem primum posuimus, vberem, vocamus, secundum gracilem, tertium mediocrem. vberi dignitas atque amplitudo est, gracili venustas & subtilitas ; medius in confinio est utriusque modi particeps. His singulis orationis virtutibus vitia agnata sunt pari numero ; quae earum modum & habitum simulachris falsis ementiuntur. sic plerumque sufflati atque tumidi fallunt pro vberibus, squallentes & ieiuni dicti pro gracilibus, incerti & ambigui pro mediocribus. vera autem & propria huiusmodi formarum exempla in Latina lingua M. Varro esse dicit vbertatis Pacuuium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium. sed ea ipsa genera dicendi iam antiquitus tradita ab Homero sunt tria in tribus ; magnificentum in Ulyxe & vbertum, subtile in Menelao & cohibitum, mixtum moderatumque in Nestore. animaduersa eadem tripertita varietas est in tribus philosophis, quos Athenienses Romam ad senatum pop. Q. R. legauerant impetratum, uti multam remitterent ; quam fecerant propter Oropi vastationem. ea multa fuerat talentum ferè quingentum. erant isti philosophi Carneades ex Academia, Diogenes Stoicus Critolaus Peripateticus. & in senatum quidem introducti interprete vsi sunt Cacilio senatore. sed antè ipsi seorsum quoque quisque ostentandi gratia magno consuetu hominum dissertauerunt. tum admirationi

fuisse aiunt Rutilius & Polybius philosophorum trium sui cuiusque generis facundiam. violenta, iniquiunt, & rapida Carneades dicebat, scita & teretia Critolaus, modesta Diogenes & sobria. unumquodque autem genus, ut diximus, cum castè pudicèque ornatur. fit illustrius; cum fucatur atque pralinitur, fit prestigiosum.

## CAPVT XV.

Quàm seùere moribus maiorù in fures vindicatum sit, & quid scripserit Mucius Scæuola super eo quod seruandum datum commendatumve esset.

**L**abeo, in libro de duodecim tabulis secundo, acria & seùera iudicia de furtis habita esse apud veteres scripsit: idque Brutum solitum dicere, furti damnatum esse, qui iumentum aliorsum duxerat quam quo utendum acceperat; item qui longius produxerat, quam quem in locum petierat. itaque Q. Scæuola in librorum, quos de iure civili composuit, sextodecimo verba hæc posuit. Quod cui seruandum datum est, si id vsus est; siue, quod utendum acceperit, ad aliam rem atque acceperit vsus est; furti se obligauit.

## CAPVT XVI.

Locus escriptus ex sctyra M. Varronis, quæ *de* *εὐστροφίῳ* inscripta est de peregrinis ciborum generibus; & appol ti versus Euripidi, quibus delicatorum hominum luxuriantem gulam confutauit.

*etiam apud  
genus  
Hudra  
o Alinada  
ca optima  
iffal  
ab  
Dapol. in  
not. 251*

**V**arro in Satyra, quam *ἑὶ ἐδεσμάτων* inscripsit, lepide admodum & scite factis versibus cœnarum ciborumque exquisitas delicias comprehendit. nam pleraque id genus, quæ belluones isti terra & mari conquirunt exposuit, inclusitque in numeros senarios. & ipsos quidem versus, cui otium erit, in libro, quo dixi, positos legat. genera autem nominâque edulium & domicilia ciborum omnibus aliis præstantia, quæ profunda ingluviæ vestigavit, quæ Varro opprobrians exsecutus est, hæc sunt ferme, quantum nobis memoriæ est. Pavus è Samo, Phrygia attagna, grues Melica, hædus ex Ambracia, pelamis Chalcedonia, muræna Tarteisia, aselli Pessinuntiy, ostrea Tarentina, pectunculus Chiuis, ellops Rhodius, scari Ciliæ, nuces Thasia, palma Egyptia, glans Hiberica. hanc autem peragrantis gulæ & in succos insuetos inquirentis industriam atque has undique uorsum indagines cupediarum maiore detestatione dignas censebimus, si versus Euripidi recordemur, quibus utebatur sapissime Chrysippus philosophus, tamquam edendi irrationes quasdam repperitas esse, non per usum vitæ necessarium sed per luxum animi parata atque facilia fastidientis, per improbam satietatis lasciviam. versus Euripidi adscribendos putavi.

Ἐπεὶ τί δέϊ βροτοῖσι, πλὴν δεῖν μόνον,  
 Δημύτερος ἀκτῆς, πόματος θ' ὕδρηχού,  
 Ἄπνα πάρεσι καὶ πέρυχ' ἡμᾶς τρέφειν  
 Ὡν οὐκ ἀπαρκεῖ πλῆσιμονῆς, τρυφῆ δέ τοι  
 Ἀλλῶν ἐδεσῶν μηχανὰς διγνώμεθα.

## CAPVT XVII.

Sermo habitus cum grammatico insolentiarum & imperitiarum pleno de significatione vocabuli, quod est *obnoxius*; deque eius vocis origine.

**P**ercunſtabar Romæ quempiam grammaticum primæ in docendo celebritatis, non herclè experiundi vel tentandi gratia ſed diſcendi magis ſtudio & cupidine, quid ſignificaret *obnoxius*, quæque eius vocabuli origo ac ratio eſſet. atque ille adſpicit me illudens leuitatem quaſtionis paruitatèque: *Obscuram, inquit, ſane rem quaeris, multaque prorsus vigilia indagandam. quis adeo tam lingua Latina ignarus eſt, qui neſciat eum dici obnoxium, cui quid ab eo, cui eſſe obnoxius dicitur, incommodari & noceri poteſt ei, qui habeat aliquem noxæ, id eſt, culpæ ſuæ conſcium. Quin potius, inquit, hæc mittis nugalia, & affers ea quæ digna quaeri tractarique ſint? tum vero ego permotus agendum iam obliquè, ut cum homine ſulto, exiſtimaui: Et cetera, inquam, vir doctiſſime, & grauiora remotioraque ſi diſcere & ſcire debuero, quando mihi uſus uenerit, tum quaeram ex te atque diſcam. ſed enim quia dixi ſæpe *obnoxius* & quid dicerem neſciui; diſcidi ex te & ſcire nunc cœpi quod non ego omnium ſolus, ut tibi ſum uſus, ignorauit; ſed, ut res eſt, Plautus homo lingua atque elegantia in uerbis Latina princeps quid eſſet *obnoxius* neſciuit. verſus enim eſt in *Sticho* illius ita ſcriptus.*

Nunc ego Herclè perii planè, non *obnoxie*. quod minime congruit cum iſta, quam me docuiſti, ſignificatione. compoſuit enim Plautus tamquam duo inter ſe contraria plane & *obnoxie*. quod à tua ſignifica-

tione longe abest. at ille grammaticus satis ridicule, quasi obnoxius & obnoxie non declinatione sola sed re atque sententia differrent, Ego, inquit, dixi quid esset obnoxius non quid obnoxie. at tunc ego ammirans insolentis hominis inscitiam Mittamus, inquam, sicuti vis, quod Plautus obnoxie dixit, si id esse nimis remotum putas; atque illud quoque pratermittamus quod Sallustius in Catilina scribit, Minari etiã ferro ni sibi obnoxia foret: & quod videtur vobis peruiulgatius esse, id me doce. versus enim Vergilii sunt notissimi.

Nam neque tunc atris acies obtusa videri,

Nec fratris radiis obnoxia surgere luna.

quod tu ais, culpæ suæ conscium; alio quoque loco Vergilius verbo isto utitur, à tua sententia diuersè his versibus.

--- iuuat arua videre

Non rastris hominum non vlli obnoxia cura.

cura enim prodesse aruis solet non nocere, quod tu de obnoxio dixisti. iam verò illud etiam Q. Ennii quo pacto congruere tecum potest, quod scribit in Phœnice in hisce versibus?

Sed virum vera virtute viuere animatum addecet,

Fortiterque innoxium vacare aduersus aduersarios.

Ea liberta' st, qui pectus purum & firmum gestitat.

Aliæ res obnoxie nocte in obscura latent.

at ille oscitans & allucinanti similis Nunc, inquit, mihi operæ non est. cum otium erit, reuises ad me atque

disces quid in verbo isto & Vergilius & Sallustius & Plautus & Ennius senserint. & nebulo quidem ille, ubi hoc dixit, digressus est. Siquis autem volet non originem solam verbi istius sed significationem quoque eius varietatēque recensere; ut hoc etiam Plautinum spectet, adscripsi versus ex *Asinaria*.

Maximas opimitates gaudio effertissimas  
Suis heris ille vna mecum pariet gnatōque &  
patri;

Adeo ut ætatem ambo ambobus nobis sint  
obnoxii

Nostro deuincti beneficio.

*Qua vero ille grammaticus finitione usus est, ea videtur in verbo tam multiplici unam tantummodo usurpationem eius notasse; qua quidem congruit cum significatione quo Cæcilius usus est in Chrysis in his versibus.*

--- Quamquam ego mercede huc cōductus  
tua

Aduenio, ne tibi me esse ob eam rem obnoxium

Reare. audibis male, si male dixis mihi.

## CAPVT XVIII.

De obseruata custoditāque apud Romanos iurisiurādi sanctimonia: atque inibi de decem captiuis, quos Hānibal Romam deiurio ab iis accepto legauit.

**I**urandum apud Romanos inuiolate sancteque habi-  
 tum seruatumque id & moribus legibusque multis o-  
 stenditur; & hoc, quod dicemus, rei non tenue argumen-  
 tum esse potest. Prælio Cannensi Hannibal Karthaginien-  
 sum imperator ex captiuis nostris electos decem Romam  
 misit, mandauitque eis pactusque est ut si populo Roma-  
 no videretur, permutatio fieret captiuorum; & pro iis,  
 quos alteri plures acciperent, dari argenti pondo libram. S.  
 Hos, priusquam proficiscerentur, iurandum adegit, re-  
 dituros esse in castra Pœnica si Romani captiuos non per-  
 mutarent. veniunt Romam decem captiui. mandatum  
 Pœni imperatoris in senatu exponunt. permutatio senatui  
 non placita. parentes, cognati, affinesque captiuorum am-  
 plexi, eos postliminio in patriam redisse dicebant; statim-  
 que eorum integrum incolumemque esse: ac, ne ad hostes  
 redire vellent, orabant. tum octo ex iis postliminium iu-  
 stum non esse sibi responderunt; quoniam deiurio victi  
 forent; statimque, uti iurati erant, ad Hannibalem profe-  
 cti sunt. duo reliqui Romæ manserunt; solutosque esse se-  
 se ac liberatos religione dicebant; quoniam, cum egressi  
 castra hostium fuissent, commenticio consilio regressi eo-  
 dem die, tamquam si ob aliquam fortuitam causam is-  
 sent, atque ita iureiurando satisfacto rursum iniurati  
 abiissent. hæc eorum fraudulenta calliditas tam esse tur-  
 pis existimata est, ut contemti vulgò dispretique sint:  
 censorésque eos postea omnium notarum & damnis &  
 ignominis affecerunt; quoniam, quod facturos dictita-  
 uerant, non fecissent. Cornelius autem Nepos, in libra  
 exemplorum quinto, id quoque litteris mandauit, mul-  
 tis in senatu placuisse ut ij, qui redire nollent, datis cu-  
 stodibus ad Hannibalem deducerentur; sed eam senten-  
 tiam numero plurimum, quibus id non videretur, supera-  
 tam: eos tamen, qui ad Hannibalem non redissent, us-



que adeo instabiles inuisosque fuisse, ut tadium vitæ ceperint, necemque sibi conscuerint.

## CAPVT XIX.

Historia ex annalibus sumta de Tib. Sempronio Graccho patre Gracchorum tribuno plebei: atque inibi tribunicia plebis decreta cum ipsis verbis relata:

**P**ulchrum atque liberale atque magnanimum factum Tib. Sempronij Gracchi in exemplis repositum est. id exemplum huiusmodi est. L. Scipioni Asiatico P. Scipionis Africani superioris fratri C. Minucius Augurinus tribunus plebei multam irrogauit: eumque ob eam causam prædes poscebat. Scipio Africanus fratris nomine ad collegium tribunorum prouocabat; petebatque ut virum consularem triumphalemque à collegæ vi defenderent. octo tribuni, cognita causa, decreuerunt. eius decreti verba, quæ posui, ex annalium monumentis exscripta sunt. QVOD. P. SCIPIO. AFRICANVS. POSTVLAVIT. PRO. L. SCIPTONE. ASIATICO. FRATRE. CVM. CONTRA. LEGES. CONTRA. Q. MOREM. MAIORVM. TRIBVNVS. PLEBEI. OMNIBVS. AC. CITIS. PER. VIM. INAVSPICATO. SENTENTIAM. DE. EO. TULERIT. MULTAM. Q. NVLLO. EX. EMPLO. IRRIGARIT. PRÆDES. Q. OB. EAM. REM. DARE. COGAT. AVT. SI. NON. DET. IN. VINCVL. A. DVCI. IVBEAT. VT. EVM. S.

COLLEGAE. VI. PROHIBEMVS. ET  
 QVOD. CONTRA. COLLEGA. POSTV-  
 LAVIT. NE. SIBI. INTERCEDAMVS.  
 QVO. MINVS. SVAPTE. POTESTATE.  
 VTI. LICEAT. D.E. R. NOSTRVM.  
 SENTENTIA. OMNIVM. DATA.  
 EST. SI. L. CORNELIVS. SCIPIO. ASI-  
 ATICVS. COLLEGAE. ARBITRA-  
 TV. PRÆDES. DABIT. COLLEGAE.  
 NE. EVM. IN. VINCVLA. DVCAT.  
 INTERCEDEMVS. SI. EIVS. ARBITRA-  
 TV. PRÆDES. NON. DABIT. QVO.  
 MINVS. COLLEGA. SVAPTE. POTESTATE.  
 VTI. VTR. NON. INTERCEDE-  
 MVS. *Post hoc decretum, cum Augurinus tribunus  
 plebei L. Scipionem prædes non dantem prehendi & in  
 carcerem duci iussisset; tum Tib. Sempronius Gracchus  
 trib. PL. pater Tiberii atque Caii Gracchorum, cum P.  
 Scipioni Africano inimicus gravis ob plerasque in repu-  
 blica dissensiones esset, iuravit palam in amicitiam inque  
 gratiam se cum P. Africano non redisse; atque ita decre-  
 tum ex tabula recitavit. eius decreti verba hæc sunt,*  
 CVM. L. CORNELIVS. SCIPIO. ASI-  
 ATICVS. TRIVMPHANS. HOSTIVM. DV-  
 CES. IN. CARCEREM. CONIECTV-  
 RIT. ALIENVM. VIDETVR. ESSE. DI-  
 GNITATE. REI. PVBLICAE. IN. EVM.  
 LOCVM. IMPERATOREM. POPVLI.  
 ROMANI. DVCI. IN. QVEM. LOCVM.  
 AB. EO. CONIECTI. SVNT. DVCES.  
 HOSTIVM. ITA. Q. L. CORNELIVM.  
 SCIPIONEM. ASIATICVM. A. COL-  
 LEGAE. VI. PROHIBEO. *Valerius autem An-*

*eias, contra hanc decretorum memoriam contraque auctoritates veterum annalium; post Africani mortem intercessionem istam pro Scipione Asiatico factam esse à Tib. Graccho dixit: neque multam irrogatam Scipioni; sed damnatum eum peculatus ob Antiochenam pecuniam, quia predes non daret, in carcerem duci ceptum, atque ita intercedente Graccho exemptum.*

## CAPVT XX.

Quod Virgilius ob aquam à Nolanis sibi non permissam sustulit è versu suo, *Nola*, & posuit, *Ora*: atque ibi quædam alia de consonantia litterarum iucunda.

**S**criptum in quodam commentario reperi versus istos à Virgilio ita primum esse recitados atque editos, Talem diues arat Capua & vicina Veseuo Nola iugo :

*postea Virgilium petiisse à Nolanis aquam uti duceret in propinquum rus; Nolanos beneficium petatum non fecisse; poetam offensum nomen urbis eorum quasi ex hominum memoria sic ex carmine suo derasisse, oramq. pro Nola mutasse; atque ita reliquisse:*

--- & vicina Veseuo

## Ora iugo

*ea res verane an falsa sit non laboro. quin tamen melius suavisque ad auris sit, quam Nola, Ora, dubium id non est. nam vocalis in priore versu extrema eademque in sequenti prima canoro simul atque iucundo hiatus tractim sonat. est adeo inuenire apud nobiles poetas huiuscemodi suauitatis multa, que apparet nouata esse non fortuita; sed præter ceteros omnis apud Homerum plurima. uno quippe in loco tales tamquam hiatus & so-*

nitus in aſſiduis vocibus pluris facit.

Η δ' ἐτέρη δέρεϊ προρέει εἰκῆα χαλάζει

Η χιόνι ψυχρῆ ἢ ἐξ ὕδατος κρυσαλλῶ.

atque item alio loco;

Λᾶαν ἀνω ὠθεσκε ποτὶ λόφον.

Catullus quoque elegantissimus poetarum in hisce versibus;

Minister vetuli puer falerni

Ingere mi calices amariores,

Vt lex Postumiæ iubet magistræ

Ebriosa acina ebriosioris;

eum, ebrioso, dicere possit, & quod erat vsitatum, acinum in neutro genere appellare; amans tamen hiatus illius Homerici suauitatem, ebriosa, dixit propter consequentis litteræ concentum, qui ebrios autem Catullum dixisse putant aut ebriosos (nam id quoque temere scriptum inuenitur) in libros scilicet de corruptis exemplaribus factos inciderunt.

#### C A P. XXI.

Quoad viuet, & quoad morietur cur id ipsum temporis significant, cum ex duobus sint facta contrariis.

Quoad viuet cum dicitur, item quoad morietur: videntur quidem duæ res dici contrariæ; sed idem atque vnum tempus utraque verba demonstrant. item cum dicitur quoad senatus habebitur, & quoad senatus dimittetur: tametsi haberi atque dimitti contraria sunt; vnum atque id ipsum tamen utroque in verbo ostenditur. tempora enim duo cum inter se opposita sunt atque ita coherencia, ut alterius finis cum alterius initio misceatur; non refert utrum per extremi-

tatem prioris an per initium sequētis locus ipse cōfinis demonstratur.

## CAPVT XXII.

Quod censores equum adimere soliti sint equitibus corpulētis & præpinguibus ; quæsitumque vtrum ea res cum ignominia an incolumi dignitate equi tum facta sit.


**N**imis pingui homini & corpulento censores equum adimere solitos scilicet minus idoneum ratos esse cum tanti corporis pondere ad faciendum equitis munus . non enim pœna id fuit, ut quidã existimant ; sed minus sine ignominia remittebatur . tamen Cato in oratione , quam de sacrificio commisso scripsit , obijcit hanc rem criminofius , uti magis videri possit cum ignominia fuisse . quod si ita accipias ; id profecto existimandum est non omnino inculpatum neque indefidem visum esse , cui corpus in tam immodicum luxuriasset exuberassetque .

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
OCTAVVS.

*Commentario octauo hac insunt.*

*Hesternæ noctu*, rectè ne an cum vitio dicatur; & quænam super istis verbis grammatica traditio sit: item quod decemviri in XII. tabulis *nox* pro *noctu* dixerunt.

CAPVT I.

 Væ mihi decem verba ediderit Fauorinus, quæ vsurpentur quidè à Græcis sed sunt adulterina & barbara; quæ item à me totid. m. acceperit, quæ ex medio communique vsu Latinè loquentium minime Latina sint, neque in veterum libris reperiantur.

CAPVT II.

Quem in modum & quam seuerè increpauerit audientibus nobis Peregrinus philosophus adolescentem Romanum ex equestri familia stantem segnem apud se & assidue ositantem.

CAPVT III.

Quod Herodotus scriptor historiarum memoratissimus parùm vere dixerit vnam solamque pinum arborum omnium cæsam r. umquam de nouo ex isdem radicibus pullulare; & quod itè de aqua pluuiali & niue rem non satis exploratam pro comperta posuerit.

CAPVT IIII.

Quid illud sit quod Virgilius *calum stare pulvere*, & quod Lucilius *pectus sentibus stare* dixit.

## CAPVT V.

Cum post offensus iuculas in gratiam redeatur, expostulationes fieri mutuas minime utile esse; superque ea re & sermo Tauri expositus & verba ex Theophrasti libro sumta: & quid M. quoque Cicero de amore amicitiae senserit cum ipsius verbis additum.

## CAPVT VI.

Ex Aristotelis libro, qui *περὶ τῆς μνήμης* inscriptus est, cognita acceptaque de natura & habitu memoriae; atque inibi alia quaedam de exuberantia aut interitu eius lecta auditaque.

## CAPVT VII.

Quid mihi vsu venerit interpretari & quasi effingere volenti locos quosdam Platonicos Latina oratione.

## CAPVT VIII.

Quod Theophrastus philosophus omnium suae aetatis facundissimus verba pauca ad populum Atheniensem facturus deturbatus verecundia obtuerit; quodque idem hoc Demostheni apud Philippum regem verba facienti euenerit.

## CAPVT IX.

Qualis mihi fuerit in oppido Eleusine disceptatio cum grammatico quodam praestigioso tempora verborum & meditamenta puerilia ignorante; remotarum autem quaestionum nebulas & formidines capiendis imperitorum animis ostentante.

## CAPVT X.

Quam festiue responderit Xantippæ vxori So-  
crates petei tivr per Dionysia largiore sumtu  
cœnarent.

## CAPVT XI.

Quid significet in veterum libris scriptum, *pleri-  
que omnes*; & quod ea verba accepta à Græcis  
videntur.

## CAPVT XII.

*Qupsones* quod homines Afri dicunt, non esse  
verbum Pœnicum sed Græcum.

## CAPVT XIII.

Lepidissima altercatio Fauorini philosophi ad-  
uersus quemdam intempestiuum de ambigui-  
tate verborum differentem, atque inibi verba  
quædam ex Næuio poeta & Cn. Gellio non  
vsitate collocata; atque ibidem à P. Nigidio  
origines vocabulorum exploratæ.

## CAPVT XIII.


Quibus modis ignominiatus tractatusque sit à  
C. Cæsare Laberius poëta; atque inibi appositus  
versus super eadem re eiusdem Laberii.



A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
NONVS.

CAPVT I.

Quamobrem Q. Claudius Quadrigarius in duodeuicesimo annali scripserit rectiores certioresque ictus fieri si sursum quid mittas, quam si deorsum.

 Claudius in vndeuicesimo annali, cū oppidiū à Metello proconsule oppugnari, contra ab oppidanis desuper è muris propugnari describeret, ita scripsit; Sagittarius cum funditore vtrimque summo studio sparsit ut fortissime. sed sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas hoc interest. nam neutrum potest deorsum versum recte mitti; sed sursum vtrumque optime. quare milites Metelli sauciabantur multo minus, & quod maxime opus erat, à pinnis hostis defendebant facillime. Percunctabar ego Antonium Iulianam rhetorem cur hoc ita usu veniret, quod Quadrigarius dixisset, ut contigui magis directioresque ictus fiant, si vel lapidem vel sagittam sursum versus iacias quam deorsum: cum proclivior faciliorque iactus sit ex supernis in infima, quam ex infimis in superna. tunc Iulianus cōprobato genere questionis, Quod de sagitta, inquit, & lapide dixit, hoc de omni fere missili telo dici potest. facilior autem iactus est, sicuti dixisti, si desuper iacias, si quid iacere tantum ve-

lis non ferire. sed cum modus & impetus iactus temperandus dirigendūque est : tum, si in pro-na iacias, moderatio atque ratio mittentis præcipitania ipsa & pondere cadentis teli corrumpitur. at si in editiora mittas, &, ad percutiendum supernè aliquid, manum & oculos conlimes: quo motus à te datus tulerit, eo telum ibit, quod ieceris. *Ad hanc ferme sententiam Iulianus super istis Q. Claudij verbis nobiscum sermocinatus est. Quod autem ait idem Q. Claudius : à pinnis hostis defendebant facillime; animaduertendum est, usum esse cum verbo, defendebant, non ex vulgari consuetudine, sed admodum proprie & Latine. nam defendere, &, offendere inter sese aduersa sunt; quorum alterum significat, ἐπιποδῶν ἐξείν, alterum, ἐκποδῶν ποιείν. quod hoc in loco à Q. Claudio dicitur.*

## CAPVT II.

Quibus verbis notarit Herodes Atticus falso quempiam cultu amictūque nomen habitūque philosophi eminentem.

**A**D Herodem Atticum, consularem virum ingenioque amæno & Græca facundia celebrem, adijt, nobis presentibus, palliatus quispiam & crinitus, barbæque propè ad pubem vsque porrecta; ac petiit aes sibi dari εἰς ἀποῖν. tum Herodes interrogat quis homo esset. atque ille, vultu sonitūque vocis obiurgatorio, philosophum sese esse dicit; & mirari quoque addit cur querendum putasset quod videret. Video, inquit Herodes, barbam & pallium; philosophum nondum video. queso autem te, cum bona venia, dicas mihi, quibus nos vti posse argumentis existimas, ut esse te philosophum noscitemus? interibi cum

Aliquot ex his, qui cum Herode erant, erraticum hominem esse dicerent & nulli rei, incolamque esse sordentium anearum; ac, nisi accipiat quod petit, conuicio turpi sortitum incessere: ibi Herodes, Demus, inquit, huic aliquid æris, cui iimodi est; tamquam homines, non tanquam homini. & iussit dari precium panis triginta dierum. tum nos adspiciens, qui eum sectabamur, Musonius, inquit, æiulcãtũ cuipiam id genus, & philosophum sese ostentanti dari iussit mille nummũm. & cum plerique dicerent nebulonem esse hominem, malum & maliciosum, & nulla re bona dignum: tum Musonium subridentem dixisse aiũt; ἄξιός οὐδέστιν ἀπυρίου. sed hoc potius, inquit, dolori mihi & ægritudini est, quod istiusmodi animalia spurca atque probra nomen vsurpant sanctissimum, & philosophi appellantur. maiores autem mei Athenienses nomina iuuenum fortissimorum Harmodii & Aristogitonis, qui libertatis recipendæ gratia Hippiam tyrannum interficere adorti erant, ne vñquam seruis indere liceret, decreto publico sanxerunt. quoniam nefas ducerent nomina libertati patriæ deuota seruili contagio pollui. cur ergo nos patimur nomen philosophiæ illustrissimum in hominibus deterrimis exfodescere? simili autem, inquit, exemplo ex cõtraria specie antiquos Romanorum audio prænomina patriciorum quorundam male de republica meritorum & ob eam causam capite damnatorum censuisse ne cui eiusdem gẽtis patricio inderentur: vt vocabula quoque eorum defamata atque demortua cum ipsis viderentur.

## CAPVT III.

Epistola Philippi Regis ad Aristotelem philosophum super Alexandro recens nato.

**P**hilippus Amyntæ filius, terra Macedonia rex, cuius virtute industriâque Macetæ locupletissimo imperio aucti gentium nationumque multarum potiri cœperant, & cuius vim atque arma toti Græciæ cauenda metuendâque inclutæ illæ Demosthenis orationes cōcionēsque vocificant, is Philippus, cum in omni fere tempore negotijs belli victoriisque affectus exercitūque esset; à liberali tamen Musa & à studiis humanitatis numquam afuit; quin lepide comiterque pleraque & faceret & diceret. feruntur adeo libri epistolarum eius munditia & venustatis & prudentiæ plenarum. velut sunt illæ litteræ, quibus Aristoteli philosopho natum esse sibi Alexandrū nunciauit. ea epistola, quoniam curâ diligentiaque in liberorum disciplinas hortamentum est, exscribenda visa est ad commouendos parentum animos. exponenda igitur est ad hanc ferme sententiam. Philippus Aristoteli salutem dicit. Filium mihi genitum scito. quod equidem dis habeo gratiam; non proinde quia natus est, quam pro eo quod eum nasci contigit temporibus vitæ tuæ. spero enim fore ut eductus eruditusque abs te dignus existat & nobis & rerum istarum susceptione. ipsius autem Philippi verba hæc sunt: Φίλιππος Ἀριστοτέλει χαίρειν. Ἰδὲ μοὶ γεγονότα υἱόν. πολλὴν οὖν τοῖς θεοῖς χάριν ἔχω, οὐχ οὕτως ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ παιδός ὡς ἐπὶ τῷ κατὰ πλὴν σὺν ἡλικίᾳ αὐτὸν γεγονέναι. ἐλπίζω γὰρ, αὐτὸν ὑπὸ σοῦ τραφόντα καὶ παιδευθέντα, ἀξιῶν ἕσθαι καὶ ἡμῶν καὶ τῆς τῆς πραγμάτων διαδοχῆς.

## CAPVT IIII.

De barbararum gétium prodigiosis miraculis, deque diris & exitiosis fascinationibus; atque inibi de feminis repente versis in mares.

**C**um è Gracia in Italiam rediremus, & Brundisium iremus; egressique è naui in terram in portu illo incluso spatiaremur, quem Q. Ennius remotiore paulum sed admodum scito vocabulo, præpetem, appellauit: fascès librorum venalium expositos vidimus. atque ego auide statim pergo ad libros. erant autem isti omnes libri Græci miraculorū fabularūque plenis; res inaudita, incredula; scriptores veteres non parua auctoritatis, Aristæas Proconesus & Isigonus Nicaensis & Ctesias & Onesicritus & Polystephanus & Hegeſias. ipsa autem volumina ex diutino situ squallēbant, & habitu adſpectuque tætro erant. acceſſi tamen percunctatūſque precium sum; & adductus mira atque inſperata vilitate, libros plurimos ære pauco emo; eosque omnis duabus proximis noctibus curſim tranſeo: atque in legendo carpsi; exinde quædam & notauī mirabilia & ſcriptoribus fere noſtris intentata; eaque his commentarijs adſperſi: ut, qui eos lectitabit, is ne rudis omnino & àvñko in iſtiusmodi rerum auditiones reperiatur. erant igitur in illis libris ſcripta huiuscemodi. Scythas illos penitiſſimos, qui ſub ipsis ſeptentrionibus atatem agunt, corporibus hominum veſci, eiūſque victus alimento vitam ducere & ἀνθρωποφάγους nominari: item eſſe homines ſub eadem regione cali unum oculum in frontis medio habentes qui appellantur Arimaſpi; qua fuiſſe facie Cyclopaſ poeta ſerunt: alios item eſſe homines, apud eandem cali plagam;

*singularia velocitatis ; vestigia pedum habentis retro porrecta, non, ut ceterorum hominum, prospectantia: praeterea traditum esse memoratúmque in ultima quadam terra, quae Albania dicitur, gigni homines, qui in pueritia canescant, & plus cernant oculis per noctem, quam inter diem: item esse compertum & creditum, Sauromatas, qui ultra Borysthenem fluvium longe colunt, cibum capere semper diebus tertius, medio abstinere. id etiam in isdem libris scriptum offendimus, quod postea quoque in libro Plinij Secundi naturalis historiae septimo legi; esse quasdam in terra Africa hominum familias voce atque lingua effascinantium. qui si impensius forte laudauerint puberas arbores, segetes latiores, infantes amceniores, egregios equos, pecudes pastu atque cultu optimas; emoriantur repente hac omnia nulli alia causa obnoxia: oculis quoque exitialem fascinationem fieri in isdem libris scriptum est: traditurque esse homines in Illyrijs, qui interimant videndo quos diutius irati viderint; eosque ipsos mares feminasque, qui visu tam nocenti sunt, pupulas in singulis oculis binas habere. item esse in montibus terrae Indiae homines caninis capitibus & latrantibus; eosque vesci auium & ferarum venatibus: atque esse item alia apud ultimas orientis terras miracula homines, qui monoculi appellantur, singulis cruribus saltuatim currentes viuacissima pernecitatis: quosdam etiam esse nullis cervicibus, oculos in humeris habentes. iam vero hoc egreditur omnem modum admirationis, quod idem illi scriptores gentem esse aiunt, apud extrema Indiae, corporibus hirtis & auium ritu plumantibus nullo cibatu vescentem, sed spiritu florum naribus hausto victitantem: Pygmaeos quoque haud longe ab his nasci; quorum qui longissimi sint, non longiores esse quam pedes duo & quadrantem. Hac atque alia istiusmodi plura legimus. sed, cum ea scri-*

beremus, tenuit nos non idonea scriptura tadium nihil ad ornandum iuuādumque vsus vitæ pertinentis. libitum tamen est in loco hoc miraculorum notare id etiam, quod Plinius Secundus vir in temporibus ætatis suæ, ingenij dignitatisque gratia, auctoritate magna præditus, non audisse neque legisse sed scire sese atque vidisse in libro naturalis historiae septimo scripsit. Verba igitur, quæ infra posui, ipsius sunt, ex eo libro sumta: quæ profecto faciunt ut neque respicienda, neque ridenda sit notissima illa veterum poetarum de Canide & Cæneo cantilena. Ex feminis, inquit, mutari in mares non est fabulosum, inuenimus in annalibus Q. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Consulibus, C. Asinii puerum factum ex virgine sub parentibus, iussuque haruspicium deportatum in insulam desertam. Licinius Mucianus prodidit visum esse à se Argis Arescontem, cui nomē Arescusæ fuisset; nupsisse etiam; mox barbam & virilitatem prouenisse uxoremque duxisse: eiusdem sortis & Smyrnæ puerum à se visum. ipse in Africa vidi mutatum in marem die nuptiarum L. Cossicium ciuem Thydritanum: viuebatque cum proderem hæc. Idem Plinius eodem in libro verba hæc scripsit: Gignuntur homines vtriusque sexus; quos hermaphroditos vocamus, olim androgynos vocatos & in prodigiis habitos, nunc vero in deliciis.

## CAPVT V.

Diuersæ nobiliū philosophorū sententiæ de genere ac natura voluptatis; verbaque Hierocli philosophi quibus decreta Epicuri insectatus est.

**D**E voluptate veteres philosophi diuersas sententias dixerunt. Epicurus voluptatem summum bonum esse ponit; eam tamen ita definit: *σάφως δὲ σὰ δὲς κατὰ σφύρα*. Antisthenes Socraticus summum malū dicit. eius

namque hoc verbum est: *μακείλω μᾶλλον, ἢ ἠδείλω*. Speu-  
sippus vetusque omnis academia voluptatem & dolorem  
duo mala dicunt esse opposita inter sese; bonum autem esse  
quod utriusque medium foret. Zeno censuit voluptatem  
esse indifferens, id est, neutrum, neque bonum neque ma-  
lum; quod ipse Græco vocabulo ἀδιάφορον appellavit.  
Critolaus Peripateticus & malum esse voluptatem ait,  
& multa alia mala parere ex sese, iniurias, desidias, obli-  
uiones, ignavias. Plato ante hos omnis ita varie & mul-  
tiformiter de voluptate disseruit; ut cuncta ista sententia,  
quas supra posui, videantur ex sermonum eius fontibus  
profluxisse. nam proinde unaquaque vititur, ut & ipsius  
voluptatis natura fert, quæ est multiplex, & causarum,  
quas tractat, rerumque, quas efficere vult, ratio desiderat.  
Taurus autem noster, quotiens facta mentio Epicuri esset,  
in ore atque in lingua habebat verba hæc Hierocli Stoici  
viri sancti & gravis: ἢ δοῦν's τέλ' & πόρνης δόγμα ἢ δὲν  
πόρνεῖα, οὐδὲν πόρνης δόγμα.

## CAPVT VI.

Verbum, quod est ab ago frequentatiuum, in pri-  
ma syllaba quonam sit modulo pronun-  
tandum.

**A**B eo quod est, ago, & egi, verba sunt quæ appel-  
lantur grammatici frequentatiua, actito, &, acti-  
taui. hæc quosdam non sane indoctos viros audio ita pro-  
nuntiare, ut primam in his litteram corripiant: ratio-  
nemque dicunt quoniam in verbo principali quod est, ago,  
prima littera breuiter pronuntiatur. cur igitur ab eo quod  
est edo, & vngo, in quibus verbis prima littera breui-  
ter dicitur, esito & vnctito, quæ sunt eorum frequen-  
tatiua, prima littera longa pronuntietur? & contra, di-



Actito, ab eo verbo quod est, dico, correpte dicimus? num ergo potius actito & actitavi producenda sunt? quoniam frequentatiua ferme omnia eodem modo in prima syllaba dicuntur, quo participia preteriti temporis ex his verbis unde ea profecta sunt in eadem syllaba pronunciantur; sicut lego, lectus, lectito, facit; vngo, vnctus, vnctito; scribo, scriptus, scriptito; moueo, motus, motito; pendeo, pensus, pensito; edo, esus, esito; dico autem, dictus, dictito facit; gero, gestus, gestito; veho, vectus, vectito; rapio, raptus, raptito; capio, captus, captito; facio, factus, factito. sic igitur, actito, producte in prima syllaba pronuncian- dum: quoniam ex eo fit quod est, ago & actus.

## CAPVT VII.

De cōuersione foliorum in arbore olea, brumali & solstitiali die; deque fidibus iis temporibus ictu alieno sonantibus.

**V**olgo & scriptum & creditum est folia olearum arborum brumali & solstitiali die conuerti; & quae pars eorum fuerat inferior atque occultior, eam supra fieri atque exponi ad oculos & ad solem. quod nobis quoque semel atque iterum experiri volentibus ita esse prope modum visum est. sed de fidibus rariis dictu & mirabilis est. quam rem & alij docti viri & Suetonius etiam Traquillus in libro ludicrae historiae primo satis compertam esse, satisque super ea constare affirmat; neruias in fidibus brumali die alias digitis pelli, alias sonare.

## CAPVT VIII.

Necessum esse, qui multa habeat, multis indigere; deque ea re Fauorini philosophi cum breuitate eleganti sententiæ,

**V**erum est profecto, quod obseruato rerum vsu sapiētes viri dixerunt multis egere, qui multa habeat; magnamque indigentiam nasci non ex inopia magna sed ex magna copia. multa enim desiderari ad multa, quæ habeas, tuenda. quisquis igitur multa habens cauere atque prospicere velit ne quid egeat, nève quid desit, iactura opus esse non quaestu; & minus habendum esse ut minus desit. Hanc sententiam memini à Fauorino inter ingentes omnium clamores detornatam inclusamque verbis his paucissimis: τὸν γὰρ μυρίων καὶ πανταχιλίων χλαμύδων δεόμενον ἐκ ἔστι μὴ πλείονων δεῖσθαι. οἷς γὰρ ἔχω προσδεόμενος, ἀρελῶν ὧν ἔχω, ἀρκοῦμαι οἷς ἔχω.

## CAPVT IX.

Quis modus sit verba vertendi in Græcas sententias; deque his Homeri versibus, quos Virgilius vertisse aut bene apteque aut improspere existimatus est.

**Q**vando ex pœmatis Græcis vertenda imitandaque sunt insignes sententia, non semper aiunt enitendum ut omnia omnino verba in eum, in quem dicta sunt, modum vertamus. perdunt enim gratiam pleraque si quasi inuita & recusantia violentius transferantur. scite ergo & considerate Virgilius cum aut Homeri aut Hesiodi aut Apollonij aut Parthenij aut Callimachi aut Theocriti aut quorundam aliorum locos effingeret, partim reliquit, alia expressit. Sicuti nuperrime apud mensam cum legerentur utraque simul Bucolica Theocriti & Virgilij animaduert-

rimus reliquisse Virgilium, quod Græcum quidem mire quam suauis est; veriti autem neque debuit neque potuit. sed enim quod substituit, pro eo quod omiserat, non abest quin iucundius lep. diúsque sit:

Βάλλει κ' ἢ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἅ Κλεαρῖσα  
Τὰς αἴγας παρελῶντα, καὶ ἄδ' ὑπὸ πωκυλιάσδει.

Malo me Galatea petit, lasciuia puellas

Et fugit ad salices, & se cupit antè videri.

illud quoque alio in loco animaduertimus cautè omissum, quod est in Græco persū dulcissimum.

Τίτυρ' ἐμὴν τὸ καλὸν περιλαμβέε, βόσκει τὰς αἴγας,

Καὶ ποτὶ τὰν κρᾶναν ἀγε τίτυρε κ' τὸν ἐνόρχαν

Τὸν Διθυκὸν κιάκωνα φυλάσσει, μὴ τὴ κορυφῇ.

quo enim pacto diceret, τὸ καλὸν περιλαμβέε, verba Hercle non translaticia, sed cuiusdam naturæ dulcedinis. hoc igitur reliquit; & cetera vertit non infestiuiter; nisi quod caprum dixit, quem Theocritus ἐνόρχαν appellauit. auctore enim M. Varrone is demum Latine caper dicitur qui excastratus est.

Tityre dū redeo, breuis est via, pascce capellas;

Et potum paltas age Tityre; & inter agendum,

Occursare capro (cornu ferit ille) caueto.

Et quoniam de transferendis sentētus loquor, memini audisse me ex Valerij Probi discipulis, docti hominis & in intelligendis pensitandisque veteribus scriptis bene callidi, solitum eum dicere, nihil quicquam tā improspere Virgilium ex Homero vertisse, quam versus hos amœnissimos, quos de Nausicaa Homerus fecit.

Οἷν δ' Ἀρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα

Ἡ κατὰ Τηύγετον περὶ μῆκετον, ἢ Ερύμανδον,

Τερπομένη κάπροισι, κ' ὠκείης ἐλάφοισι.

Τῆ δέ θ' ἅμα νύμφαι, κοῦραι διὸς αἰγλόχοιο,

Ἀχονόμοι παίζουσι γέγηθε δὲ τέφρενα Λητώ.

Πασάων δ' ὑπὲρ ἤγα κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα·

Peia δ' ἀριγνώτη πέλεται· καλαὶ δέ τε πάσαι.

Qualis in Eurotæ ripis aut per iuga Cynthi  
Exercet Diana choros; quam mille secutæ  
Hinc atque hinc glomerantur Oreades. illa  
pharetram  
Fert humero; gradiensque deas supereminet  
omnis.

Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

*Primum omnium id visum esse dicebant Probo quod apud Homerum quidem virgo Nausicaa ludibunda inter familiares puellas in locis solis recte atque commode conferitur cum Diana venante in iugis montium inter agrestes deas; nequaquam autem conveniens Virgilium fecisse, quoniam Dido in urbe media ingrediens inter Tyrios principes, cultu atque incessu serio, instans operi, sicut ipse ait, regnisque futuris, nihil eius similitudinis capere posset, quæ lusibus atque venatibus Diana congruit: tum postea quod Homerus studia atque oblectamenta in venando Diana honeste aperteque dicit; Virgilius autem, cum de venatu deæ nihil dixisset, pharetram tamen facit eam ferre in humero, tamquam si onus & sarcinam: atque illud impense Probum esse demiratum in Virgilio dicebāt, quod Homerica quidem ἄνω γαυδίον γαυδέατ γενωίνω & intimum, atque in ipso penetrati cordis & anima vigen (siquidem non aliud est γένουδε δέτε φρένα ἄνω) ipse autem imitari hoc volens gaudia fecerit pigra & levia & cunctantia & quasi in summo pectore supernantia. nescire enim sese quid significaret aliud, pertentant, præter ista omnia, florem ipsius totius loci Virgilium videri omisisse; quod hunc Homeri versum exigue secutus sit.*

Peia δ' ἀριγνώτη πέλεται· καλαὶ δέ τε πάσαι.

quando nulla maior cumulatiorque pulchritudinis laus

dici potuerit, quàm quòd una inter omnis pulchras excelleret, una facile ex omnibus nosceretur.

## CAPVT X.

Quod Annæus Cornutus versus Virgillii, quibus Veneris & Vulcani concubitum pudice oper-  
tèque dixit, reprehensione spurca & odiosa inquinavit.

**A**nnianus poëta & plerique cum eo eiusdem Musæ viri summis assiduisque laudibus hos Virgilij versus ferebant; quibus Vulcanum & Venerem iunctos mix-  
tòsque iure coniugij, rem lege natura operiendam, verecū-  
da quadam trālatione verborum cum ostenderet demon-  
strarètque, protexit. sic enim scripsit:

---ea verba locutus

Optatos dedit amplexus; placidúmque petiuit  
Coniugis infusus gremio per membra sopo-  
rem.

minus autem difficile esse arbitrabantur in istiusmodi re  
dicenda verbis uti uno atque altero breui tenuique eam  
signo demonstrantibus, sicuti Homerus dixit:

--παρδενικῶ ζώνην κ' ἑλέτσοιο δεσμόν, &  
ἔργα φιλοτήσια.

Τὸν μὲν ἄρ' ἐν τῆ τοῖσι κατευνάσσει ἐν λεχέεσσιν.

tot vero & tam euidentibus ac tamen non pretextatis sed  
puris honestisque verbis venerandum illud concubij pudici  
secretum neminem quemquam alium dixisse. sed Annæus  
Cornutus, homo sane pleraque alia non indoctus  
neque imprudens, in secundo tamen librorum, quos de fi-  
guris sententiarum composuit, egregiam totius istius ve-  
recundie laudem insulsa nimis & odiosa scrutatione vie-  
lauit. nam cum genus hoc figura præbasset; & satis cir

um spectè factos esse versus dixisset; membra tamen, inquit paulo incautius nominavit.

## CAPUT XI.

De Valerio Coruino, & unde Coruinus.

**D**E Maximo Valerio, qui Coruinus appellatus est, ob auxiliū propugnationemque corui alitis, haud quisiquam est nobilium scriptorū qui secus dixerit. ea res prope ammiranda sic profecto est in libris annalibus memorata. Adolescens tali genere editus, Furio & Appio cōsulibus fit tribunus militaris. atque in eo tempore copiae Gallorum ingentes agrum Pomptinum infederant; instruebanturque acies a consulibus de vi ac multitudine hostiū satis agentibus. dux interea Gallorum, vasta & ardua proceritate, armisque auro præfulgentibus, grandia ingrediens & manu telum reciprocans incedebat; perque contentum & superbiam circumspiciens despiciensque omnia venire iubet & congregari si quis pugnare secum ex omni Romano exercitu auderet. tum Valerius tribunus, ceteris inter metum pudoremque ambiguis, impetrato prius à consulibus ut in Gallum tam immaniter arrogantem pugnare sese permitterent, progreditur intrepide modestèque obviam: & congregantur, & consistunt. & conserebantur iam manus. atque ibi vis quaedam diuina fit. coruus repente improvisus aduolat, & super galeam tribuni infistit; atque inde in aduersarij os atque oculos pugnare incipit. insilibat, obtumbabat, unguibus manum laniabat, & prospectum alis arcebat atque, ubi satis sauierat, reuolabat in galeam tribuni. sic tribunus spectate utroque exercitu, & sua virtute nisus & opera alitis propugnatus, ducem hostium ferocissimum vicit interfecitque; atque ob hanc causam cognomen habuit Coruinus. id factum est anno quadringentesimo quinto post Romam conditam. Statuam Coruino isti diuus Augustus in foro suo statuendam

turavit, in eius statuæ capite corui simulachrum est, res pugnæque, quam diximus, monumentum.

## CAPVT XII.

De verbis quæ in vtramque partem significatione reciproca & aduersa dicuntur.

**V**T formidolosus dici potest et qui formidat et qui formidatur; vt inuidiosus, & qui inuidet & cui inuidetur; vt suspiciosus & qui suspicatur & qui suspectus est; vt ambitiosus. et qui ambit & qui ambitur; vt ite gratiosus, & qui adhibet gratias & qui admittit; vt laboriosus & qui laborat & qui labori est; vt pleraq. alia huiuscemodi in vtramque partem dicuntur: ita infestus ancipiti quoque significatione est. nam & is infestus appellatur, qui malum infert cuiquam; & contra, cui aliunde impendet malum, is quoque infestus dicitur. sed quod prius posui profecto exemplis non indiget. sic adeo multi loquuntur vt, infestum, dicant inimicum atque aduersum. alterum autem illud ignorabilius obscuriusq. est. quis enim è medio facile dixerit, infestum esse, cui alter infestus est? sed & veteres plerique ita dixerunt; & M. Tullius in oratione, quam pro Cn. Planco scripsit, vocabulo hoc sic usus est. Dolebam, inquit, iudices & acerbe ferebam, si huius salus ob eam ipsam causam esset infestior, quod, is meam salutem atque vitam sua beniuolentia, præsidio, custodiâq. texisset. Nos igitur de origine & ratione verbi quarebamus. atque ita in Nigidianis scriptum inuenimus. Infestum à festinando dictum. nam qui instat, inquit, alicui, eumq. properans vrget; opprimeréq. eum studet festinatque; aut contra de alicuius periculo & exitio festinatur: is vterque infestus dicitur ab instantia atque imminetia fraudis, quam vel facturus cupiam vel passurus est.

Ne quis autem de, suspicioso, quod supra posuimus, & de formidoloso in eam partem, qua minus usitata est, exemplum requirat; inueniet de suspicioso apud M. Catonem de re Floria, ita scriptum. Sed nisi qui palam corpore pecuniam quæreret, aut se lenoni locauisset, & si famulosus & suspiciosus fuisset; vim in corpus liberum non æquum censuere afferri. suspiciosum enim hoc in loco suspectum significat, non suspicantem. formidolosum autem, qui formidetur, Sallustius in Catilinario ita dicit. Igitur talibus viris non labos insolitus, non locus vilis asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus. Item C. Caluus in poëmatibus, laboriosus, dicit, non, ut vulgo dicitur, qui laborat, sed in quo laborat.

Durum, inquit, rus fugis & laboriosum eadem ratione Laberius quoque in Sororibus, Æcastor, inquit, multum somniculosum: & Cinna in poëmatibus;

Somniculosam ut Pœnus aspidem Pŷllus. Metus æque & iniuria, atque alia quædam id genus sic utroque uersum dici possunt. nam metus hostium rectè dicitur, & cum timent hostes & cum timentur. itaque Sallustius in historia prima, metum Pompeii dixit, non quòd Pompeius metueret (quod est usitatus) sed quòd metueretur. Verba hæc Sallustij sunt. Id bellum excitebat metus Pompeii victoris Hiempŷalem in regnum restituentis. Item alio in loco: Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit. Iniurias itidem dicimus tam illorum qui patiuntur, quam qui faciunt. quarum dictionum exempla sunt facilia inuentis. Illud etiam dictum à Virgilio eandem habet formam communicata ultrò & citrò significationis;



Et vulnere, inquit, tardus Vlyxi.

*tum diceret vulnus, non quod accepisset Vlyxes sed quod dedisset. Nescius quoque dicitur tam is qui nescitur quā qui nescit. sed super eo qui nescit frequens huius vocabuli vsus est; infrequens autem de eo est, quod nescitur. ignarus aequē utroque versus dicitur non tantum qui ignorat sed & qui ignoratur. Plautus in Rudente:*

Quæ in locis nesciis nescia spe sumus.

*Sallustius: More humanæ cupidinis ignara vifundi. Virgilius:*

-- Ignarum Laurens habet ora Mimanta,

## CAPVT XIII.

Verba ex historia Claudii Quadrigarii; quibus Manlii Torquati nobilis adolescentis & hostis Galli prouocatoris pugnam depinxit.

**T**. Manlius summo loco natus ad primæq. nobilis fuit. *ei Manlio cognomentum factum est Torquatus. causam cognomenti fuisse accepimus torquis ex auro induuias, quam ex hoste, quem occiderat, detractam induit. sed quid hostis & quod genus & quam formidandæ vastitatis, & quantum insolens prouocator, & cuiusmodi fuerit pugna decertatum, Q. Claudius primo annalium purissime atque illustrissime simpliciq. & incomta orationis antiqua suauitate descripsit. quem locum ex eo libro Fauiorinus philosophus cum legeret, non minoribus quati afficiq. animum suum motibus pulsibusque dicebat, quam si ipse coram depugnantis eos spectaret. verba Q. Claudii, quibus pugna ista depicta est, adscripsi. Cum interim Gallus quidam nudus, præter scutum & gladios duos, torque atque armillis decoratus processit; qui & viribus & magnitudine & adolescentia si-*

mūlque virtute ceteris antistabat. is maxime prælio commoto atque vtrisque summo studio pugnatibus manu significare cœpit vtrique quiescerent pugnae. facta pausa est. extemplo silentio facto cum voce maxima conclamat, si qui secum depugnare vellet, vti prodiret. nemo audebat propter magnitudinem atque immanitatem facies. deinde Gallus irridere atque lingua exerrare. id subito perditum est cuidam T. Manlio summo genere nato tantum flagitium ciuitati accidere; ex tanto exercitu neminem prodire. is, vt dico, processit; neque passus est virtutem Romanam ab Gallo turbiter spoliari. scuto pedestri & gladio Hispanico cinctus cōtra Gallū cōstitit: metu magno ea congressio in ipso ponte, vtroque exercitu inspectante, facta est. ita, vt ante dixi, constiterunt; Gallus sua disciplina scuto proiecto cantabundus; Manlius animo magis quam arte confusus scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbauit. dum se Gallus iterum eodem pacto constituere stūdet; Manlius iterum scutu n scuto percutit; atque de loco hominem iterum deiecit: eo pacto ei sub Gallicū gladium successit, atque Hispanico pectus hausit; deini continuo humerum dexterum eodem concassu incidit; neque recessit vsquam donec subuertit, ne Gallus impetum icti haberet. vbi eum euertit; caput præcedit; torquem detraxit; eamque sanguinolentam sibi in collū imponit. quo ex facto ipse posterique eius Torquati sunt cognominati.

*Ab hoc T. Manlio, cuius hanc pugnam Quadrigarius descripsit, imperia & aspera & immitia Manliana dicta sunt: quoniam postea, bello aduersū Latinos cum esset consul, filium suum securi perensit; qui speculatum ab*

eo missus, ne pugnaret interdicto, hostem, à quo prouocatus fuerat, occiderat.

## CAPVT XIII.

Quod idem Quadrigariu, huius facies patrio casu probe & Latine dixit; & quædã illa apposita de similibus vocabulorum declinationibus.

**Q**uod autem supra scriptum est in Q. Claudij verbis; propter magnitudinem atque immanitatem facies; id nos aliquot veteribus libris inspectis explorauimus; atque ita esse, ut scriptum est, comperimus. sic enim pleraque ætas veterum declinauit; hæc facies, huius facies, quod nunc propter rationem grammaticam facie dicitur. corruptos autem quosdã libros reperi, in quibus, faciei scriptum est, illo, quod ante scriptum erat, obliterato. meminimus & in Tiburti bibliotheca inuenire nos in eodem Claudij libro scriptum utrumque, facies & facii. sed, facies, in ordinem scriptum fuit, & contra per ii geminum, facii. neque id abesse à quadam consuetudine prisca existimauimus. nam & ab eo quod est hic dies tam huius dii, & ab eo quod est hæc fames tam huius famii dixerunt. Quæ Ennius in sextodecimo annali dies scripsit pro diei in hæc versu:

Postrema longinqua dies confecerit ætas.

Ciceronem quoque affirmat Casellius in oratione, quam pro P. Sestio fecit, die scripsisse, pro diei. quod ego impensa opera conquisitis veteribus libris plusculis ita, ut Casellius ait, scriptum inueni. verba sunt hæc Marci Tullij. Equites vero daturos illi dies pœnas. quocirca factum Herclè est, ut facile iis credã, qui scripserunt idiographum librum Virgilij sese inspexisse in quo ita scriptum est:

Libra diès somni que pares ubi fecerit horas.  
id est, libra diei somni que. sed sicut hoc in loco dies à Virgilio scriptum videtur; ita in illo versu nihil dubium est, quin diu scripserit pro, diei: q̄ ÿ

Munera laticiamque diu.---  
*quod imperitiores, dei, legunt ab insolentia scilicet vocis istius abhorrentes. sic autem dies dii à veteribus declinatum est; ut fames fami, pernicie pernicii, progenies progenii, luxuries luxurii, acies acii. Marcus enim Cato in oratione, quam de bello Karthaginensi composuit, ita scripsit. Pueri atque m. leres extrudebatur fami causa. Lucilius in quintodecimo. Rugosum atque fami plenum. Sisenna in historiarum libro sexto. Romanos inferendæ pernicii causa venisse. Pacuvius in Paulo:*

• Pater supreme nostræ progenii patris.  
*Cn. Matius in Iliadis xxi.*

Altera pars acii vitæ sunt fluminis undas.  
*idem Matius in tertio & vicefimo.*

An maneat speciei simulachrum in morte silentum.

*C. Gracchus de legibus promulgatis; Ea luxurii causa aiunt insti. vi. & ibidem infra ita scriptum est. Non est ea luxuries quæ necessario perturbat vitæ causa. per quod apparet eum, ab eo quod est luxuries, luxurii patrio casu dixisse. Marcus quoque Tullius in oratione, qua Sex Roscium defendit, pernicii, scriptum reliquit. verba hæc sunt. Quorum nihil pernicii causa diuino consilio sed vi ipsa & magnitudine rerum factum putamus. aut hæc es ergo in casu patrio, aut faciei, Quadrigarium scripsisse existimandum est. facie autem in nullo veteri libro scriptum reperit. In casu autem dandi, qui purissime locuti sunt, non faciei, uti nunc dicitur, sed facie dixerunt.. Lucilius in Satyris:*

Primum, inquit, facie quod honestatis accedit.  
*Lucilius in libro septimo:*

Qui te diligit, ætati faciæque tuæ se

Fautorem ostendat, fore amicum polliceatur. sunt tamen non pauci qui utrobique facili legant. sed C. Caesar in libro de analogia secundo, huius die & huius specie, dicendum putat. ego quoque in Iugurtha Sallustij summa fidei & reuerenda vetustatis libro, die, casu patrio scriptum inueni. verba hæc ita erant. Vix decima parte die reliqua. non enim puto argutiolam istam recipiendam, ut, die, dictum quasi, ex die, existimemus.

## CAPVT XV.

De genere controuersia quod Græce ἀπορον appellatur.

**C**VM Antonio Iuliano rhetore, per feriarum tempus castiuarum, decedere ex urbis aestu volentes Neapolim concesseramus. atque ibi erat adolescens tunc quispiam ex ditioribus cum utriusque linguæ magistris meditans & exercens, ad causas Romæ orandus, eloquentia Latina facultatem. atque is rogat Iulianum uti sese audiat declamantem. ita auditum Iulianus: imusque nos cum eo. simul introit adolescens; & præfatur arrogantius & elatius quam ætati eius decebat; ac deinde iubet exponi controuersias. aderat ibi nobiscum Iuliani sectator, iuuenis promptus, & proficiens, & offendens iam in eo quod ille apud Iuliani aures in præcipiti stare & subitaria dictione periculum sui facere audebat. exponit igitur tentamenti gratia controuersiam parum consistentem, quod genus Græci ἀπορον vocant; Latine autem id non nimis incommode in explicabile dici potest. ea controuersia fuit huiusmodi. De reo septem iudices cognoscant; eaque sententia sit rata, quam plures ex eo numero dixerint. cum septem iudices cognouissent; duo censuerunt reum exsilio multandum, duo alii pecunia, tres reliqui capite pœniendum. peccatur

ad supplicium ex sententia trium iudicum: & contradicit. *hac ille audita nec considerata, neque aliis, ut proponerentur, expectatis, incipit statim mira celeritate in eadem hac controuersia principia nescio quae dicere, & inuolucra sensuum verborumque volumina vocumque turbas fundere; ceteris omnibus ex cohorte eius, qui audire eum soliti erant, clamore magno exsultatibus; Iuliano autem male ac misere rubere & sudante. sed ubi deblateratis versuum multis milibus sine aliquando fecit; egressusque inde sumus: amici familiarisque eius Iulianum persecuti quidnam existimaret percussati sunt. atque ibi Iulianus festiuissime, Nolite quaerere, inquit, quid sentiam. adolescens hic sine controuersia disertus est.*

## CAPVT XVI.

Quod Plinium Secundum hominem non indotum fugerit latueritque vitium argumenti, quod ἀντίσπερον Græci dicunt.

**P**linius Secundus existimatus est esse ætatis suæ doctissimus. is libros reliquit, quos Studioforum inscripsit, haud mediis fidiis usquequaque aspernandos. in his libris multa varie ad oblectandas eruditorum hominum aures ponit. refert etiam plerasque sententias, quas, in declamandis controuersis, lepide arguteque dictas putat. sicut hanc quoque sententiam ponit ex huiusmodi controuersia. Vir fortis præmio, quod optauerit, donetur. qui fortiter fecerat, petit alterius uxorem in matrimonium; & accepit. is deinde, cui ea uxor fuerat, fortiter fecit. repetit eadem. contradicitur. *Eleganter, inquit, & probabiliter ex parte posterioris viri fortis uxorem sibi reddi postulantis, hoc dictum est: Si placet lex; redde: Si non placet; redde. Fugit autem Plinium sententiolam istam, quam putauit esse argutissimam, vitio non carere, quod Græce ἀντίσπερον dicitur. & est vitium insidiosum & sub falsa*

*lēmatis specie latēs. nihilo enim minus cōverti ex cōtrario idipsū aduersus eūde potest; atq. ita à priori illo viro forte dicit: Si placet lex, nō reddo: si nō placet, nō reddo.*

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
DECIMVS.

CAPVT I.

*Tertiumne consul an tertio dici, oporteat; & quonam modo Cn. Pompeius cum in theatro, quod erat dedicaturus, honores suos inscriberet, quæstionem ancipitem istius verbi de consilio Ciceronis vitauerit.*

**T***Amiliari meo cupiã litteras Athenis Romam misit. in his scriptũ fuit me illi iã tertiu scripsisse. is ad me rescripsit; petiuitq. vt rationẽ redderẽ cur tertiu ac non tertio scripsisse. id etiã adscripsit, vt eãdem quid super illo quoq; mihi videretur facerẽ se certiore; tertiumne consul & quartũ an tertio & quarto dicẽdum esset: quoniã Romæ doctũ virũ dicere audisset tertio & quarto cõsul non tertiu quartumq.; idq. in principio libri Caliu scripsisse; & Q. Claudiũ in libro vnde uicesimo C. Mariũ creatũ septimo consulẽ dixisse. Ad hac ego rescripsi nihil amplius, quã verba M. Var. hominis opinor, quã fuit Claudiº cũ Calio, doctioris. quibus verbis utrumq. de quo ad me scripserat, decideretur. nã & Varro satis aperte quid dici oporteret edocuit; & ego aduersus eũ, qui doctus esse dicebatur, litẽ meã facere abses nolui. verba M. Varronis, ex libro disciplinarũ iij. hæc sunt. Aliud est*

quarto prætorem fieri & quartum; quod quarto locum adsignificat ac tres ante factos; quartum tempus adsignificat & ter ante factum. igitur Ennius rectè; quod scripsit,

Quintus pater quartum fit consul:

& Pompeius timide; quod in theatro, ne adscriberet, consul tertium aut tertio, extremas litteras non scripsit. *Quod de Pompeio Varro breuiter & suboscure dixit; Tiro Tullius Ciceronis libertus in epistola quadam enarratus scripsit ad hunc ferme modum. Cum Pompeius, inquit, ædem Victoriæ dedicaturus foret, cuius gradus vicem theatri essent, noménque eius & honores inscriberentur: quæri cœptum est vtrum consul tertio inscribendum esset an tertium. eam rem Pompeius exquisitissime retulit ad doctissimos ciuitatis. cumque dissentiretur; & pars tertio, alii tertium scribendum contenderent: rogauit, inquit, Ciceronem Pompeius vt, quod ei rectius videretur, scribi iuberet: tum Ciceronem iudicare de viris doctis veritum esse; ne, quorum opiniones improbasser, ipsos videretur improbasse. persuasit igitur Pompeio vt neque tertium neque tertio scriberetur; sed ad secundum vsque t, fierent litteræ: vt verbo non perscripto res quidem demonstraretur; sed dictio tamen ambigua verbi lateret. Id autem quod & Varro & Tiro dixerunt; in eodem nunc theatro non est ita scriptum. nam cum multis annis postea scena, quæ prociderat, resecta esset; numerus tertij consulatus, non, uti initio, primoribus litteris sed tribus tantum lineolis incisus significatus est. in M. autem Catonis quarta Origine ita scriptum est. Karthaginieneses sextum de fœdere decessere. id*



verbum significat quinquies ante eos fecisse contra fœdus, & tum sextum. Græci quoque in significandis huiusmodi rerum numeris, τρίτον καὶ τέταρτον dicunt: quod congruit cum eo quod Latine dicitur, tertium quartumque.

## CAPVT II.

Quid Aristoteles de numero puerperii memoria mandauerit.

**A**ristoteles philosophus memoria tradidit mulierem in Ægypto vno partu quinque enixā pueros; eūque esse finem dixit multijuga hominum partitionis; neque plures vnquam simul genitos compertum. hunc autem esse numerum ait rarissimum. sed &, diuo Augusto imperante, qui temporum eius historiam scripserunt, ancillam Cesaris Augusti in agro Laurente peperisse quinque pueros dicunt; eosque pauculos dies vixisse: matrem quoque eorum, non multo post quam peperit, mortuam; monumentūque ei factum, iussu Augusti, in via Laurentina; inque eo scriptum esse numerum puerperii eius de quo diximus.

## CAPVT III.

Locorum quorundam illustrium collatio cōtentioque facta ex orationibus C. Gracchi & M. Ciceronis & M. Catonis.

**F**ortis ac vehemens orator existimatur esse C. Gracchus. nemo id negat. sed quod non nullis videtur seuerior, acrior, ampliōrque esse M. Tullio; ferri id quā potest? Legebamus adco nuper orationem Gracchi de legibus promulgatis. in qua M. Marium & quosdam ex

*municipiis Italicis honestos viros virgis per iniuriam cæ-  
 sos à magistratibus populi Romani quanta maxima inui-  
 dia potest conqueritur. verba hæc sunt, quæ super ea re  
 fecit. Nuper Teanũ Sidicinum contul venit. vxor  
 edixit se in balneis virilibus lauati velle. quæstori  
 Sidicino à M. Mario datũ est negotium vti bal-  
 neis exigerentur qui lauabantur. vxor renunciat  
 viro parum citò sibi balneas traditas esse, & pa-  
 rum lautas fuisse. idcirco palus destitutus est in  
 foro; eoque adductus suæ ciuitatis nobilissimus  
 homo M. Marius. vestimenta detracta sunt. vir-  
 gis cæsus est. Caleni, vbi id audierunt, edixerunt  
 ne quis in balneis lauasse vellet, cùm magistratus  
 Romanus ibi esset. Ferentini ob eandem cau-  
 sam prætor noster quæstores arripi iussit. alter  
 se de muro deiecit; alter prehensus & virgis cæ-  
 sus est. in tam atroci re, ac tam misera atque mesta in-  
 iuriæ publicæ contestatione, et quid est quod aut ampli-  
 ter insigniterque, aut lacrimose atque miseranter, aut  
 multa copiosaque inuidia, grauique & penetrabili que-  
 rrimonia dixerit? breuitas sane & venustas & mundi-  
 ties orationis est, qualis haberi ferme in comædiarum fe-  
 stiuitatibus solet. item Gracchus alio in loco ita dicit.  
 Quanta libido quantaque intemperantia sit ho-  
 minum adolescentium vnum exemplum vobis  
 ostédam. his annis paucis ex Asia missus est, qui  
 per id tempus magistratum non ceperat, homo  
 adulescens pro legato. is in lectica ferebatur. ei  
 obuiam bubulcus de plebe Venusina aduenit, &  
 per iocum, cum ignoraret qui ferretur, roga-  
 uit num mortuum ferrent. vbi id audiuit; lecti-  
 cam iussit deponi; stuppis, quibus lectica de-  
 ligata erat, vsque adeo verberari iussit, dum ani-*

mum efflavit. *Hæc quidem oratio super tam violento  
 atque crudeli facinore nihil profecto abest à cotidianis ser-  
 monibus. at, cum in simili causa, apud M. Tullium ci-  
 ues Romani innocentes viri, contra ius contraque le-  
 ges, virgis caduntur aut supplicio extremo necantur,  
 quæ ibi tunc miseratio? quæ comploratio? quæ totius  
 rei sub oculos subiectio? quod & quale inuidia at-  
 que acerbitalis fretum efferuescit? animum Herle me-  
 um, cum illa M. Ciceronis lego, imago quadam & so-  
 nus verborum & vocum & emulationum circumple-  
 ctitur. velut sunt ista, quæ de C. Verre dicit, quæ  
 nos, ut in præsens potuimus, quantum memoria suppe-  
 ditabat, adscriptissimus. Ipse inflammatum scelere  
 & furore in forum venit, ardebant oculi. to-  
 to ex ore crudelitas eminebat. expectabant om-  
 nes quo tandem progressurus aut quidnam actu-  
 rus esset; cum repente hominem propripit atque  
 in foro medio nudari ac deligari & virgas ex-  
 pediri iubet. iam hæc medijsfidius sola verba, nu-  
 dari ac deligari & virgas expediri iubet, tan-  
 ti motus horrorisque sunt, ut non narrari, quæ gesta  
 sunt, sed rem geri prorsus videas. Gracchus autem non  
 querentis neque implorantis sed nuntiantis vicem; Pa-  
 lus, inquit, in foro destitutus est. vestimenta  
 detracta sunt, virgis cæsus est. sed enim M. Ci-  
 cero præclare, cum diutina representatione, non cæsus  
 est sed cædebatur, inquit, virgis in medio foro  
 Messanæ civis Romanus; cum intereà nullus  
 gemitus nulla vox illius miseri inter dolorem  
 crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc;  
 Civis Romanus sum. hac commemoratione  
 civitatis omnia verbera depulsurum cruciatum-  
 que à corpore deiecturum arbitrabatur. com-*

ploracionem deinde tam acerba rei, & odium in Verrem detestationemque apud ciuis Romanos incense atque acriter atque inflammanter facit, cum hac dicit: ò nomen dulce libertatis! ò ius eximium nostræ ciuitatis! ò lex Porcia legesque Sempronix! ò graui-ter desiderata & aliquando reddita plebi Romanæ tribunicia potestas! hucine tandem hæc omnia reciderunt vt ciuis Romanus in prouincia populi Romani in oppido fœderatorum, ab eo, qui beneficio populi Romani fasces ac securis haberet, deligatus in foro virgi cæderetur? quid, cum ignes ardentésque laminæ ceterique cruciatus admouebantur? si te acerba illius imploratio & vox miserabilis non leniebat; ne ciuium quidem Romanorum, qui tum aderant, fletu gemitúque maximo commouebare? hæc M. Tullius atrociter graui-ter, copiose apréque miseratus est. sed si quis est tam agresti aure ac tam hispidâ, quem lux ista & amœnitas orationis verborumque modificatio parum delectat; amat autem priora idcirco quod incompta & breuia & non operosa sed natia quadam suauitate sunt, quodque in his umbra & color quasi opaca vetustatis est; is, si quid iudicij habet, consideret in causa pari M. Catonis, hominis antiquioris, orationem; ad cuius vim & copiam Gracchus nec adspirauit. intelliget, opinor, Catonem contentum eloquentia atatis sua non fuisse; & id iam tñ facere voluisse, quod Cicero postea perfecit. in eo namq. libro, qui de falsis pugnis inscriptus est, ita de Q. Termo cōquestus est. Dixit à decemuiris parum sibi bene cibaria curata esse. iussit vestimenta detrahi, atque flagro cædi. decemuiros Brutiani verberauer. vidêre multi mortales. quis hanc contumeliam, quis hoc imperiũ, quis

hanc seruitutem ferre potest? nemo hoc rex ausus est facere. ea ne fieri bonis bono genere natis boni consuleris? vbi societas? vbi fides maiorū? insignitas iniurias, plagas, verbera, vibices, eos dolores atque carnificinas, per dedecus atque maximam contumeliam, inspectantibus popularibus suis atque multis mortalibus, te facere ausum esse? sed quantum luctum, quantum gemitum, quid lacrimarum, quantum fletum factū audiui? serui iniurias nimis ægre ferunt. quid illos bono genere gnatos, magna virtute præditos opinamini animi habuisse atque habituros dum viuerent? *Quod Cato dixit, Bruttiani verberauerunt; ne qui fortasse de Bruttianis requirat; id significat. Cum Hannibal Pœnus cum exercitu in Italia esset, & aliquot pugnas populus Romanus aduersas pugnauisset; primi totius Italiae Bruttij ad Hannibalem descuerunt. id Romani ægre passi, postquam Hannibal Italia decessit superatique Pœni sunt, Bruttios ignominia causa non milites scribebant, nec pro sociis habebant, sed magistratibus in prouincias euntibus parere & præministrare, seruum vicem, iusserunt. itaque hi sequebantur magistratus, tamquam in scenicis fabulis qui dicebantur lorarii; & quos erant iussi, vinciebant aut verberabant. quod autem ex Bruttis erant, appellati sunt Bruttiani.*

## CAPVT IIII.

Quod P. Nigidius argutissime docuit nomina non positiua esse sed naturalia.

**N**omina verbaque non posita fortuito sed quadam vi & ratione nature facta esse P. Nigidius in grammaticis commentariis docet; rem sane in philosophia dis-

*fertationibus celebrem. quæri enim solitum apud philosophos ποσει τὰ ὀνόματα sint ἢ δέσει. in eam rem multa argumēta dicit cur videri possint verba esse naturalia magis quam arbitraria. ex quibus hoc visum est lepidum & festiuum. Vos, inquit, cum dicimus; motu quodam oris conueniente cum ipsius verbi demonstratione utimur & labias sensim primores emouemus; ac spiritum atque animam porro versum & ad eos quibus confirmocinamur intendimus: at contra cum dicimus, nos; neque profuso intentoque flatu vocis; neque proiectis labris pronunciamus; sed & spiritum & labias quasi intra nosmetipsos coercemus. hoc fit idem & in eo quod dicimus, tu & ego, & tibi & mihi. nam sicuti, cum adnuimus & abnuimus, motus quidam ille vel capitis vel oculorum à natura rei, quam significat, non abhorret; ita in his vocibus quasi gestus quidam oris & spiritus naturalis est. eadem ratio est in Græcis quoque vocibus, quam esse in nostris animaduertimus.*

## CAPVT V.

*Auarus simplexne vocabulum sit an compositum & duplex, sicut P. Nigidio videtur.*

**A**Varus non simplex vocabulum sed iunctum copulatumque esse Nigidius dicit in commentariorum undetricesimo. Auarus enim, inquit, appellatur qui auidus ætis est. sed in ea copula, e, inquit, littera detrita est. item locupletem dictum ait ex compositis vocibus, qui plerumque loca, hoc est, qui multas possessiones teneret, sed probabilius id firmitusque est, quod de locuplete dixit. nam de auaro ambigitur. cur enim non videri possit ab vno solum verbo inclinatum, quod est aueo; ademque fictura, qua est amarus? de quo ni-

*hil dici potest quin duplex non sit.*

## CAPVT VI.

Multam dictã esse ab Ædilibus plebei Appii Cæci filia mulieri nobili, quod locuta esset petulãtius.

**N**on in facta modo sed in voces etiã petulãtiores publice Romæ vindicatum est. ita enim debere esse visa est Romanæ disciplinæ dignitas inuolabilis. Appij namque illius Cæci filia à ludis, quos spectauerat, exiens turba undique confluentis fluctuantisque populi iactata est: atque inde egressa cum se male habitam diceret; Quid me nunc factum esset inquit, quantoque artius pressiusque cõflictata essem, si P. Claudius fratrem meum nauali prælio classem nauium cum ingenti ciuium numero non perdidisset? certè quidem maiore nunc copia populi oppressa intercidissem. sed utinam, inquit, reuiuifcat frater, aliãque classem in Siciliam ducat; atque istam multitudinem perditum eat quæ me male nunc miseram cõuexauit. *Ob hæc mulieris verba tam improba ac tam inciuilia, C. Fundanius & Tib. Sempronius Ædiles plebei multam dixerunt ei æris grãuis viginti quinque milia. id factum esse dicit Capito Atcius, in commentario de iudicijs publicis, bello Pœnico primo, Fabio Licino & Otacilio Crasso consulibus.*

## CAPVT VII.

Fluminum, quæ ultra imperium Romanum flunt, prima magnitudine esse Nilum, secundã Histrium proxima Rhodanum, sicuti Varro nem memini scribere.

**O**Mnium fluminum quæ in maria, quæ imperium Romanū est, fluunt, quam Græci τὸν εἶσω δαλασσαν appellant, maximum esse Nilum consentitur: proxima magnitudine esse Histrum scripsit Sallustius. Varro autē cum de parte orbis, quæ Europa dicitur, differeret, in tribus primis eius terræ fluminibus Rhodanum esse ponit. per quod videtur eum facere Histro amulū. Histrus enim quoque in Europa fluit.

## CAPVT VIII.

Inter ignominias militares, quibus milites coercerentur, fuisse sanguinis dimissionem; & quænam esse videatur causa huiuscemodi castigationis.

**F**uit hæc quoque antiquitus militaris animaduersio iubere ignominia causa militi venam solui & sanguinem dimitti. cuius rei ratio in litteris veteribus, quas equidē inuenire potui, non exstat. sed opinor factū hoc primitus in militibus stupentis animi atque à naturali habitu declinatis; ut non tam pœna quam medicina videretur. postea tamen ob pleraque alia delicta idem factitatum esse credo per consuetudinem; quasi minus sani viderentur omnes qui delinquerent.

## CAPVT IX.

Quibus modis quoque habitu acies Romana instrui solita sit, quæque earum instructionum sint vocabula.

**V**ocabula sunt militaria, quibus instructa certo modo acies appellari solet, frons, subsidia, cuneus, orbis, globus, forfices, serra, alæ, turres. hæc & quædam





inquit, est quod neque citius est neque serius ; sed  
 med ū quiddā & tēperatū est. bene atque proprie Ni-  
 gidius. nā & in frugibus & in pomis matura d. cuntur  
 quæ neque cruda & immitia sunt neque caduca & deco-  
 cta, sed tēpore suo adulta maturatæque. quoniā autem id,  
 quod non segniter fiebat, mature fieri dicebatur ; progres-  
 sa plurimum verbi significatio est ; & non iam quod non  
 segnus sed quod festinatus fit id fieri mature dicitur ;  
 quando ea , quæ præter sui temporis modum properata  
 sunt , immatura verius dicantur . Illud vero Nigidia-  
 num rei atque verbi temperamentum diuus Augustus  
 duobus Græcis verbis elegantissime exprimebat . namque  
 & dicere in sermonibus & scribere in epistolis solitum  
 esse aiunt ; *αὐτὸν δὲ βραδέως*. per quod monebat ut ad rem a-  
 gendum simul adhiberetur & industria celeritas & di-  
 ligentia tarditas . ex quibus duobus contrariis fit matu-  
 ritas. Virgilius quoque, si quis animum attendat, duo ista  
 verba properare & maturare tamquam plane cōtra-  
 ria scitissime sepe rauit in hisce versibus.

Frigidus agricolam ūquādo continet imber,  
 Multa, forent quæ mox cælo properanda  
 sereno,

Maturare datur.

elegantissime ista duo verba diuisit . namque in præpera-  
 tu rei rustica per tempestates pluuias , quoniā otium est,  
 maturari potest : per serenas quoniā tempus instat, pro-  
 perari necessum est. cum significandum autem est coactius  
 quid factum & festinatus ; tum rectius præmatu-  
 ritum id dicitur quam ma iure . sicut Afranius dixit in  
 togata, cui Titulus nomen est.

Appetis dominiatum demens præmatu-  
 ritatem.

in quo versu animaduertendum est, quod præcocem in-

quit non præcoquem. est enim casus eius rectus non præcoquis, sed præcox.

## CAPVT XII.

De portentis fabularum quæ Plinius Secundus indignissime in Democritum philosophū cōfert: ibidem de simulacro volucris columbæ.

**L**ibrum esse Democriti nobilissimi philosophorum de vi & natura chamaleontis, eumque se legisse Plinius Secundus in naturalis historia vicesimo octauo refert; multaque vana atque intoleranda auribus deinde quasi à Democrito scripta tradit. ex quibus pauca hæc inuitti meminimus, quia pertæsum est. Accipitrem auium rapidissimum à chamaleonte humi reptante, si eum forte superuolet, detrahi & cadere vi quadam in terram; ceterisque auibus laniandum sponte sua obijcere sese & dedere. item aliud ultra humanam fidem. caput & collum chamaleontis si vratur ligno, quod appellatur robur, imbres & tonitrus fieri derepente; idque ipsum vsu venire si iecur eiusdem animalis in summis tegulis vratur. item aliud; quod Herclè an ponerem dubitavi. ita est deridicula vanitatis. nisi idcirco plane posui, quod oportuit nos dicere quid de istiusmodi admirationum fallaci illecebra sentiremus, qua pleraque capiuntur & ad perniciem elabuntur ingenia maxime sollertia; eaque potissimum quæ discendi cupidiora sunt. sed redeo ad Plinium. sinistrum pedem ait chamaleontis ferro ex igni calefacto torreri cum herba, quæ appellatur eodem nomine chamaleontis, & utrumque macerari unguento; colligique in modum pastilli, atque in vas mitti ligneum, & eum, qui id vas ferat, etiam si is in medio palam versetur, à nullo videri posse. His portentis atque præstigijs à Plinio Secundo scriptis

non dignum esse cognomen Democriti puto. Vel illud quale est, quod idem Plinius in decimo libro Democritum scripsisse assuevit? aues quasdam esse certis vocabulis; & earum auium confuso sanguine gigni serpentem; eum si quis ederit, linguas auium & colloquia interpretaturum. Multa autem videntur ab hominibus istis male sollertibus huiusmodi commenta in Democriti nomen data nobilitatis auctoritatisque eius perfugio utentibus. Sed id quod Archytam Pythagoricum commentum esse atque fecisse traditur, neque minus admirabile neque tamen vanum æque videri debet. nam & plerique nobilium Græcorum & Favorinus philosophus memoriarum veterum exsequentissimus affirmatissime scripserunt, simulachrum columbæ à ligno ab Archyta ratione quadam disciplinæque mechanica factum volasse. ita erat scilicet libramētis suspensum & aura spiritus inclusa atque occulta concitum. Libet Herclè, super re tam abhorrenti à fide, ipsius Favorini verba ponere. Ἀρχύτας Ταραντίνος, φιλόσοφος ἄμα καὶ μηχανικὸς ὤν, ἐποίησε περιεργὸν ξυλίνῳ, πεποιημένῳ, ἢ πρὸς εἰπέτε καὶ δίσκειν, οὐκέτι ἀνίστατο. μέχρι γὰρ τούτου.

## CAPVT XIII.

Cum partim hominum, qua ratione veteres dixerint.

**P**artim hominum venterunt, plerumque dicitur. quod significat, pars hominum venit, id est quidam homines. nam partim hoc in loco aduerbium est; neque in casus inclinatur. sicuti, cum partim hominum, dici potest; id est, cum quibusdam hominibus, & quasi cum quadam parte hominum. M. Cato in oratione de re Floria ita scripsit. Ibi pro scorto fuit in cubiculum. surrectit autem à conuiuio, cum partim illo-

rum iam sæpe ad eundem modū erat. *imperitiores autem cum parti legunt tamquam declinatum sit quasi vocabulum, non dictum quasi aduerbium. sed Q. Claudius in vicesimo primo annali insolentius paulo hac figura est ita vsus.* Enim cum partim cop'is hominū adolescentē placētē sibi, itēmq, *Claudii in vicesimo tertio annali verba hac sūt.* Sed idcirco me fecisse quod utrū negligētia partim magistratuū, an avaritia, an calamitate populi Romani euenisse dicam nescio.

## CAPVT XIII.

*Iniuria mihi factum dicitur, quali verborum ordine Cato dixerit,*

**A**udio illi iniuriam factum iri, audio cōtumeliam dictum iri, vulgo quoque ita dici, vulgo & istam esse verborum figuram iam in medio loquendi vsus; idcircoque exemplis supersedeo. sed contumelia illi, vel iniuria factum itur, paula est remotius. exemplū igitur ponemus. *M. Cato pro se cōtra C. Cassium.* Atque euenit ita, Quirites, vti in hac contumelia, quæ mihi per huiusce petulantiam factum itur, rei quoque publicæ mediū si huius misceretur, Quirites. *sicut autem contumeliam factum iri. significat iri ad contumeliā faciendam, id est, operam dari quo fiat; ita cōtumelia mihi factum itur, casu tantum immutato idem dicit.*

## CAPVT XV.

De fl. minis Diali deque flaminicæ cærimoniis, verbæque ex edictoprætoris apposita, quibus dicit non coacturam se ad iurandum neque virgines Vestæ neque Dialem.

**C**ærimonia imposita flamini Diali multa; item castus & multiplices, quos in libris, qui de sacerdotibus publi-

*cis compositi sunt, item in Fabii Pictoris librorum primo scriptos legimus. unde hæc ferme sunt quæ cōmeminimus.*  
 Equo Dialem flaminem vehi religio est: classem procinctam extra pomœrium *id est*, exercitum armatum videre. idcirco rarerent flamen Dialis creatus consul est, cum bella consulibus mandabatur. item iurare Dialem fas numquam est. item annulo uti nisi peruiro cassoque fas nō est. ignem è flaminia, *id est*, flaminis Dialis domo, nisi sacrum efferri ius non est. vincitum, si ædes eius introierit, solui necessum est; & vincula per impluuium in tegulas subduci, atque inde foras in viam dimitti. nodum in apice neque in cinctu neque alia in parte vllum habet. si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eodie verberari piaculum est. capillum Dialis, nisi qui liber homo est, non detonsit. capram & carnem incoctam & ederam & fabam neque tangere Diali mos est neque nominare. propagines è vitibus altius pratetos non succidet. pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet & de eo lecto trinoctium cōtinuum nō decubat: neque in eo lecto cubare aliū fas est, neque apud eius lecti fulcrum capsulam esse cum strue atque ferto oportet. vnguuium Dialis & capilli segmina subter arborē felicē terra operiuntur. Dialis cotidie fertatus est. sine apice sub diuo esse licitū non est; sub tecto vtiliter, & nō pridē à pōtificibus cōstitutū *Massurius Sabinus scripsit & alia talia quadam remissa: gratiāq. aliquot ceremoniarum factā dicit.* farinā fermento imbutā attingere ei fas nō est, tunicam intimam, nisi in locis tectis non exuit, ne sub cælo: tamquā sub oculis Iouis, nudus sit. super flaminē

Dialé in cōuiuio, nisi rex sacrificulus, haud quisquā alius accumbit. vxorem si amisit, flaminio dedit. matrimonium flaminis nisi morte dirimi nō est iu. locū, in quō bustū est, numquā ingreditur, mortuū numquam attingit. funus tamen exsequi nō est religio. Eadē ferme ceremoniæ sunt, quas flaminicas dialis seorsū aiūt obseruire. veluti est; quod venenato operitur, & quod in rica surculū de arbore felici habet: & quod scalas, nisi quæ Græce κλίμακες appellantur, escendere ei plus tribus gradibus religiosum est: atque etiā cum it ad Argeos quod neque comit caput neque capillū depectit. *Verba pratoris ex edicto perpetuo de flamine Diali & de sacerdote Vesta adscripti.* SACERDOTE M. VESTALEM. ET. FLAMINEM. DIALEM. IN. OMNI. MEA. IURISDICTIONE. IURARE, NON. COGAM. *verba M. Varronis ex secundo rerū diuinarū super flamine Diali hæc sunt.* Is solus albū habet gæicū; vel quod maximus, vel quod Ioui immolata hostia alba fieri oporteat.

## CAPVT XVI.

Quos errores Iulius Higinus in sexto Virgiliti ani maduerterit in historia Romana erratos.

**R**eprehendit Higinus Virgilium, correcturūque eum fuisse existimat, quod in libro sexto scriptum est. Palinurus est apud inferos petens ab Aenea ut suum corpus requirendum & sepeliendum curet. is hoc dicit:

Eripe me his inuicte mali: aut tu mihi terram  
Iniice, namque potest, portusque require  
Velinos.

quo, inquit modo aut Palinurus nouisse & nominare potuit portus Velinos, aut Aeneas ex eo nomine locum inuenire, cum Felia oppidum, à quo portum, qui in eo loco est,

*Velinum dixit, Servio Tullio Roma regnante, post annum amplius fescentesimum, quam Aeneas in Italiam venit, conditum in agro Lucano & eo nomine appellatum est? nam qui ab Harpalo, inquit, regis Cyri praefecto ex terra Phocide fugati sunt alij Veliam, partim Massiliam condiderunt. inscitissime igitur petit ut Aeneas portum Velinum requirat, cum id nomen eo tempore fuit nusquam gentium. neque simile, inquit, illud videri debet, quod est in primo carmine;*

Italiam fato profugus Lauinaque venit  
Litora.

*& aequae in sexto libro:*

Chalcidicaque leuis tandē superadstitit arce.  
quoniam poeta ipsi quadam κατὰ πρόληψιν historia dicere ex sua persona concedi solet, quae facta ipse postea scire potuit: sicut Virgilius sciuit de Lavinio oppido & de colonia Chalcidinenſi. sed Paliburus quī potuit, inquit, scire ea quae post annos fescentos facta sunt? nisi quis eum diuinasse apud inferos putat, proinde ut animae defunctorum solent. sed & si ita accipias, quamquam non ita dicitur, Aeneas tamen, qui non diuinabat, quo pacto potuit requirere portum Velinum cui nomen tunc, sicuti diximus, nullum usquam fuit? item hoc quoque in eodem libro reprehendit, & correcturum esse Virgilium putat nisi mors occupasset. nam cum Thesea, inquit, inter eos nominasset, qui ad inferos adissent ac redissent; dixissetque,

--Quid Thesea, magnum

Quid memorem Alciden? & mi genus ab Ioue summo est.

postea tamen infert;

--sedet aeternumque fedebit

Infelix Theseus.

quī autem, inquit, fieri potest ut aeternum apud inferos se-



deat quem supra cum ijs nominat qui descendierint illuc atque inde rursus euaserint; præsertim cum ita sit fabula de Theseo atque si Hercules eum euellerit è petra & in lucem ad superos eduxerit? Item in his versibus errasse Virgilium dixit,

Eruet ille Argos Agamemnoniafq. Mycenas,  
Ipsumq. Æaciden genus armipotetis Achilli;  
Vltus auos Troiæ, tépla & temerata Mineruæ.

cõfudit, inquit, & personas diuersas & tēpora. nã neq; eodē tēpore neq; per eosdē homines cū Achæis & cū Pyrrho bellatum est. Pyrrhus enim, quem dicit Æaciden, de Epiro in Italiam transgressus cum Romanis depugnauit aduersus M. Curium in eo bello ducem. Argiuum autē bellū id est, Achæicum, multis post annis à L. Mummio imperatore gestum est. potest, inquit, igitur medius eximi versus, qui de Pyrrho importune immissus est. quem Virgilius proculdubio exemturus, inquit, fuit.

## CAPVT XVII.

Quam ob causam & quali modo Democritus philosophus luminibus oculorum sese priuauerit: & super ea re versus Laberii purè admodum & uenustè facti.

**D**emocritum philosophum in monumentis historiæ Græcæ scriptum est virum præter alios venerandum, auctoritatēque antiqua præditum, luminibus oculorum sua sponte se priuasse; quia existimaret cogitationes commentationesque animi sui in contemplandis naturæ rationibus vegetiores & exactiores fore, si eas videndi illecebris & oculorum impedimentis liberasset: id factum eius modumque ipsum, quo cacitatem facile sollertia subtilissima conscruuit, Laberius poeta in miua 2

quem scripsit Restionem, versibus quidem satis munde atque graphice factus descripsit; sed causam voluntaria cæcitatæ finxit aliam: vertitque in eam rem quam tum agebat non inconcinniter. est enim persona, quæ hoc apud Laberium dicit, diuitis auari & parci sumtum plurimùm afortiãque adolescentis viri deplorantis. Versus Laberiani sunt.

Democritus Abderites physicus philosophus  
 Clypeũ cõstituit contra exorũ Hyperionis,  
 Oculos effodere vt posset splendore æreo,  
 Ita radijs solis aciem effodit luminis,  
 Malis bene esse ne videret ciuibus.  
 Sic ego fulgentis splendorem pecuniæ  
 Volo elucidicare exitum ætati meæ;  
 Ne in re bona esse videam nequam filium.

## CAPVT XVIII.

Historia de Arthemisia, deq. eo certamine quod apud Mausoli sepulchrum à scriptoribus inclutis decertatum est.

**A**rthemisia Mausolum virum amasse fertur supra omnis amorum fabulas vtrãque affectionis humana fidem. Mausolus autem fuit, vt M. Tullius ait, rex terræ Carie; vt quidam Græcarum historiarum scriptores, prouincie Græciæ præfectus. satrapen Græci vocant. is Mausolus vbi fato perfunctus inter lamenta & manus vxoris funere magnifico sepultus est; Arthemisia luctu atque desiderio mariti flagrans vxor ossa cineremque eius mixta odoribus contusaque in faciem pulueris aquæ indidit; ebibitque: multaque alia violenti amoris indicia fecisse dicitur. molita quoque est ingenti impetu operis, conseruandæ mariti memoria, sepulchrum illud memoratissi-

num, dignatumque numerari inter septem omnium terrarum spectacula. id monumentum Arthemisia cum D. M. S. Mausoli dicaret, ἀγῶνα, laudibus eius dicundis, facit; ponitque premia pecunia aliarumque rerum bonarum amplissima. ad eas laudes decertandas venisse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua præstabili Theopompus, Theodectes, Naucrtes. sunt etiam qui Isocratem ipsum cum ijs certavisse memoria mādauerint. sed eo certamine vicisse Theopompum iudicatum est. is fuit Isocratis discipulus. exstat nunc quoque Theodecti tragœdia, quæ inscribitur, Mausolus. in qua eum magis quam in prosa placuisse Higinus in exemplis refert.

## CAPVT XIX.

Non purgari neque lauari peccatum, dum prætenditur peccatorum, quæ alij quoque peccauerunt, similitudo.

**I**Ncessebat quempiam Taurus philosophus seuera atque vehementi obiurgatione adolescentem à rhetoricis & à facundie studio ad disciplinas philosophiæ transgressum. quod factum quidem esse ab eo diceret inhoneste & improbe. at ille non ibat inficias fecisse, sed id solitum esse fieri defendebat; turpitudinẽque delicti exemplorum usu & consuetudinis venia deprecabatur. atque ibi Taurus isto ipso defensionis genere irritatior, Homo, inquit, stulte & nihili, si te à malis exemplis auctoritates & rationes philosophiæ non abducunt; ne illius quidem Demosthenis vestri sententia tibi in mentem venit? quæ, quia lepidis & venustis vocum modis vineta est, quasi quaedam cantilena rhetorica, facilius adherere memoriæ tuæ potuit. nam si me, inquit, non fallit,

quod quidem in primore pueritia legerim. verba hæc sunt Demosthenis, aduersus eum, qui, ut tu nunc facis, peccatum suum peccatis alienis exemptum purgatumque ibat. σὺ δὲ μὴ λέγε ὡς γέρονες οὐ τὸ πολιάμεις, ἀλλ' οὐχ ὡς προσήκει γίνεσθαι. οὐ γὰρ εἶπεν ἄποτε μὴ κατὰ τοὺς νόμους ἐπράχθη, σὺ δὲ τοῦ τοῖ ἐμμησω, διὰ τοῦτο ἀποφύγοις ἐν δικαίῳ· ἀλλὰ πολλῶν μᾶλλον ἀλίσκοιο. ὡς περ γὰρ εἶπεν ἐκείνων προηλω, σὺ τὰ δ' οὐκ ἐν ἐργασίᾳ, οὐτως, ἐν σὺ νῦν ἀλῶς, ἄλλος οὐ χράσσει. Sic Taurus omni suasionum admonitionumque genere utens sectatores suos ad rationes bona inculpatæque indolis ducebat.

## CAPVT XX.

1 Quid sit rogatio quid lex, quid plebiscitum quid priuilegium & quantum ista omnia differant.

**Q**uari audio quid lex sit, quid plebiscitum, quid rogatio quid priuilegium. Ateius Capito publici priuatique iuris peritissimus quid lex esset hisce verbis definiuit. Lex, inquit, est generale iussum populi aut plebis rogante magistratu. Ea definitio si probe facta est; neque de imperio Cn. Pompei, neque de reditu M. Ciceronis neque de cade P. Clodij questio, neque alia id genus populi plebisue iussa, leges vocari possunt. non sunt enim generalia iussa; neque de vniuersis ciuibus sed de singulis concepta: quocirca priuilegia potius vocari debent. quia veteres priua dixerunt, qua nos singula dicimus. quo verbo Lucilius in primo satyrarum libro usus est.

----abdomina thynni

Aduentibus priua dabo cephalæaque carne,  
Plebem autem Capito in eadem definitione seorsum à populo diuisit: quoniam in populo omnis pars ciuitatis

omnesque eius ordines contineantur. plebes verò ea dicitur, in qua gentes ciuium patricia non insunt. plebis scitum igitur est, secundum eum Capitonem, lex quam plebes non populus accipit. sed totius huius rei iurisque siue cum populus, siue cum plebes rogatur, siue quod ad vniuersos pertinet, caput ipsum & origo & quasi fons rogatio est. ista enim omnia vocabula censentur rogationis principale genere & nomine continenturque. nam, nisi populus aut plebes rogetur, nullum plebis aut populi iussum fieri potest. sed quamquam hæc ita sunt: in veteribus tamen scriptis non magnam vocabulorum istorum differentiam esse animaduertimus. nam & plebs scita & prouilegia translato nomine leges appellauerunt; eademque omnia confuso & indistincto vocabulo rogationes dixerunt. Sallustius quoque proprietatem in verbis retentissimam consuetudini concessit; & priuilegium, quod de Cn. Pompeij reditu ferebatur, legem appellauit. verba ex secunda eius historia hæc sunt. Nam Sullam consulem de reditu eius legem ferentem ex composito T R. P L. C. Herennius prohibuerat.

## CAPVT XXI.

Quam ob causam M. Cicero his omnino verbis; nouissime, &, nouissimus, uti obseruantissime vitarit.

**N**on paucis verbis, quorum frequens usus est nunc & fuit, M. Ciceronem noluisse uti manifestum est, quod ea non probaret. velut est & nouissimus & nouissimè. nam cum & M. Cato & Sallustius & alij quoque ætatis eiusdem verbo isto promiscè usitati sunt; multi etiam non indocti viri in libris id suis scrip-

serint: abstinuisse eo tamen tamquam non Latino videtur. quoniam qui doctissimus eorum temporum fuerat L. Aelius Stilo ut nouo & improbo verbo uti vitauerat. propterea quid M. quoque Varro de ista voce existimauerit verbis ipsis ex libro de lingua Latina ad Ciceronem sexto demonstrandum putauit. Quod extremum, inquit, dicebatur dici nouissimum cœptum vulgo. quod mea memoria ut Aelius, sic ferres alii, quod nimium nouum verbum esset, vitabant. cuius origo ut à vetere vetustius ac veterrimum; sic à nouo declinatū nouius & nouissimum.

## CAPVT XXII.

Locus exemptus ex Platonis libro, qui inscribitur *Gorgias*, de falsæ philosophiæ probris; quibus philosophos temere incessit, qui emolumenta veræ philosophiæ ignorant.

**P**lato veritatis homo amicissimus, eiusque omnibus exhibendæ promtissimus, quæ omnino dici possunt in desides istos ignauosque, qui obtento philosophiæ nomine inutile otium & lingua vitæque tenebras sequuntur, ex persona quidem non graui neque idonea verè tamen ingenuèque dixit. nam & si Callicles, quem dicere hac facit, veræ philosophiæ ignarus, inhonesta indignaque in philosophos confert: proinde tamen accipiendæ sunt quæ dicuntur ut nos non sensim moueri intelligamus, ne ipsi quoque culpationes huiuscemodi mereamur; neve inertis inanique desidia cultum & studium philosophiæ mentiamur. verba ipsa super hac re Platonis ex libro, qui appellatur *Gorgias*, scripsi: quoniam vertere ea consilium non fuit; cum ad proprietates eorum nequa-

φιαται ποσβιτ Latina oratio adspirare, ac multo minus etiam mea. φιλοσοφία γάρ τοι ὄζειν, ὡς Σώκρατες, χάρειν, ἀντις αὐτῷ μετεῖως ἀφῆται ἐν τῇ ἡλικίᾳ. ἐὰν δὲ περαιτέρω τῷ δέοντος ἐνδιαπέψῃ, διαφορὰ τῶν ἀνθρώπων. ἐὰν γὰρ καὶ πάντο δόφους ἦ, καὶ πόρρω τῆς ἡλικίας φιλοσοφῇ, ἀνάγκη πάντων ἀπειρον γερονέναι ὄζειν, ὧν καὶ ἔμπειρον ἔσῃ τὸν μέλλοντα καλὸν καλὰ δὸν καὶ ἀδόκιμον ἐστᾶται ἀνδρα. καὶ γὰρ τῶν νόμων ἀπειροὶ γίνονται τῶν κατὰ τὸ πᾶν, καὶ τῶν λόγων, οἷς δεῖ χρωόμενον ὁμιλεῖν ἐν τοῖς συμβολαίοις τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ, καὶ τῶν ἡθῶν τε καὶ ἐπιθυμιῶν τῶν ἀνθρωπείων, καὶ συλλήθευ, τῶν ἡθῶν παντάπασιν ἀπειροὶ γίνονται. ἐπειδὴ οὐκ ἔλθωσιν εἰς πνεῦμα ἰδίᾳ ἢ πολιτικῶν παρᾶξιν, καταγέλαστοὶ γίνονται. ὡς ἐργε, οἱ μοι, οἱ πολιτικοί, ἐπειδὴν αὐτοὶ εἰς τὰς ὑμετέρας διαπειθεὶς ἔλθωσι καὶ τοὺς λόγους, καταγέλαστοί εἰσι. συμβαίνει γὰρ τὸ τῷ Εὐριπίδῃ,

Λαμψύς τε ὄζειν ἔχστος ἐν τῷ κατὰ τὸν ἐπίγειον

Νέμων τὸ πλεῖστον ἡμέρας τούτω μέρος

Ἴν' αὐτὸς αὐτῷ τυγχάνῃ βέλπυς ὢν.

ἔπου δὲ αὐτὸς ἦ, ἐν τεύθειν φάσει, καὶ λοιδορεῖ τούτω τὸ δ' ἕτερον ἐπαινεῖ, ἀνοία τῇ ἐαυτῷ ἡρῶντος οὕτως αὐτὸς ἐαυτὸν ἐπαινεῖν. ἀλλ' οἱ μοι, τὸ ὀρθότατον ὄζειν, ἀμφοτέρων μεταχεῖν. φιλοσοφίας μὲν ὅσον παιδείας χάριν, καλὸν μετέχειν, καὶ οὐκ αἰσχρὸν μερακίῳ ἢ φιλοσοφείν. ἐπειδὴ δὲ ἡδη περὶ βύπερος ὢν ἀνθρώπος, ἐπὶ φιλοσοφεί, καταγέλαστον, ὡς Σώκρατες, τὸ χεῖμα γίγνεται. καὶ ἐγὼ γε ὁμοίωτατον πάσῃ πρὸς τοὺς φιλοσοφούτας, ὡς περὶ πρὸς τοὺς φελλιζόμενους καὶ παίζοντας. ὅταν μὲν γὰρ παιδῶν ἴδω ὡς ἐπὶ προσήκει διαλεγέσθαι, οὕτω φελλιζόμενον καὶ παίζον, χαίρω τε, καὶ χάρειν μοι φαίνεται καὶ ἐλάδῃριον καὶ πρέπον τῇ τῷ παιδείῳ ἡλικίᾳ. ὅταν δὲ σαφῶς διαλεγεμένου παιδαρῆς ἀκούσω, πικρὸν μοι δοκεῖ χεῖμα εἶναι. καὶ ἀντιῶ μου τὰ ὦτα καὶ μοι δοκεῖ δουλοπρεπέες εἶναι. ὅταν

δὲ ἀνδρὸς ἀκούσῃ πρὸς Φελλιζομάχου, ἢ παίζοντα ὄρα, καὶ  
 παράλασον φαίνεται, καὶ ἀνάνδρον, καὶ πληγῶν ἀξίον. ταυ-  
 τὸν οὐκ ἔγωγε τοῦτο πάχω καὶ πρὸς τοὺς φιλοσοφούτας.  
 ὡρᾷ νέω μὲν γὰρ μεираκίω ὄρων φιλοσοφίαν, ἀγαμαι, καὶ  
 πρὲς πειν μοὶ δοκεῖ, καὶ ἠγούμαι ἐλεύθερόν τινα εἶναι τοῦ-  
 τον τὸν ἀνθρώπον τὸν δὲ μὴ φιλοσοφούτα, ἀνελεύθερον,  
 καὶ οὐδέποτε οὐδενὸς ἀξιόσποντα ἑαυτὸν, οὔτε καλῶ, ἔτε  
 γενναίῳ παράγματος. ὅταν ὅ δὴ πρεσβύτερον ἴδω ἔπι φιλο-  
 σοφούτα, καὶ μὴ ἀπ᾽ ἀλλαπήρεθρον, πληγῶν μοὶ δοκεῖ ἢ δὴ  
 δεῖσθαι ὡς Σώκρατες, ἔπος δ' ἀνήρ. ὃ γὰρ νῦν δὴ ἔλεγον, ὑπάρχει  
 τοῦτο τῷ ἀνθρώπῳ, καὶ ἄν πάντῃ δούρῃς ἢ, ἀνάνδρῳ γνέσθαι  
 φάροντι τὰ μέσα τῆς πόλεως, καὶ τὰς ἀρχαίς, ἐν αἷς ἔφη ὁ  
 ποιητὴς τοὺς ἀνδρας ἀριπρεπεῖς γίγνεσθαι. καταδεδεικό-  
 πθες τὸν λοιπὸν βίον βιώναι μὲν μεираκίων, ἐν γωνία τειῶν  
 ἢ τειῶν ψιθυρίζοντα, ἐλεύθερον δὲ καὶ μέγα καὶ ἰκανὸν  
 μηδέποτε οὐδέ γ' ἔσθαι. ἐγὼ δὲ, ὡς Σώκρατες, πρὸς σε ὀπιθκῶς  
 ἔχω καὶ φιλικῶς. κινδυνώω οὐκ πεπονθέναι νῦν ὅπερ ὁ  
 Ζῆτος πρὸς τὸν Ἀμφίωνα ὁ Εὐριπίδου, οὐκ ἐμνείδω. καὶ  
 γὰρ ἐμοὶ τοιαῦτ' ἀπ᾽ ἀπέρχεται πρὸς σε λέγειν, οἷά περ  
 ἐκείνος πρὸς τὸν ἀδελφόν ὅτι ἀμελεῖς ὡς Σώκρατες ὧν δεῖ σε  
 ὀπιμελεῖσθαι, καὶ φύσιν ψυχῆς ὡς γενναίαν μεираκίω δει-  
 πνὴ διαπρέπεις μορφώματι. καὶ οὐτ' ἀν' δίκης βουλαῖσι  
 προθεῖο ἀν' ὄρθῳς λόγον, ἔτ' εἰκὸς καὶ πιθανὸν ἀν' λάβοις.  
 οὐθ' ὑπὲρ ἄλλων νεανικὸν βούλημα βουλεύσαιο. καί τοι,  
 ὡς φίλε Σώκρατες (καὶ μοὶ μηδὲν ἀχθεθῆς. δυνόια γὰρ ἐρῶ τῆ  
 σῆ) οὐκ ἀχρὸν δοκεῖ σοὶ εἶναι οὕτως ἔχειν ὡς ἐγὼ σὲ οἶμαι  
 ἔχειν, καὶ πρὸς ἄλλους τοὺς πόρρω ἀεὶ φιλοσοφίας ἐλαύνον-  
 τας; νῦν γὰρ εἴ τις σοῦ λαβόμεν Θ, ἢ ἄλλου ὁ τοῦ ἔν εἰς τὸ  
 δεσποτήριον ἀπάροι, φάσκων ἀδικεῖν, μηδὲν ἀδικούντα,  
 οἷδ' ὅτι οὐκ ἀν' ἔχοις ὅ, πρὸς αἰὸς σαυτῶ, ἀλλ' ἰλιγγιῶ-  
 ης ἀν' καὶ χασμῶ, οὐκ ἔχων ὅ, πρὸς εἰποις. καὶ εἰς τὸ δικαστή-  
 ριον ἀναβάς, κατηγόρη τυχὼν πάντῃ φάλθου καὶ μοχθηρῶ, ἀ-  
 ποθανοῖς ἀν' εἰ βούλοιο σοὶ θανάτου πρᾶξι. καί τοι πᾶς



σφόν τοῦτο βῆν, ὃ Σώκρατες, εἶπε δ' ἄρα λαβοῦσα τέχνη  
 φῶτα, ἔθηκε χείρονα, μήτε αὐτὸν αὐτῷ διωάμενον βοη-  
 θεῖν, μηδ' ἐπισῶσαι ἐκ ἡβ' μεγίστων κινδύων μήτε ἑα-  
 τὸν, μήτε ἄλλον μηδένα, ἕωδ' δὲ ἡβ' ἐχθρῶν πεισυλαῖσαι  
 πᾶσαν τὴν οὐσίαν, ἀτεχνῶς δὲ ἄπιμον ζῆν ἐν τῇ πόλει. τὸν  
 ὃ τοιοῦτον (εἶπ καὶ ἀχειρότερον εἰρηῆσαι ἕξοισιν) ἐπὶ κόρ-  
 φῆς τύπνοντα, μὴ διδόναι δίκην. ἀλλ' ὃ γὰρ δὲ ἐμοὶ πείθου-  
 παῦσαι δ' ἐλέγχων, παραγμάτων δὲ δι' ἡμουσίαν ἀσκει· καὶ ἀ-  
 σκει ὁπόθεν δόξεις φρονεῖν, ἄλλοις τὰ κομψὰ ταῦτ' ἀφείσ,  
 εἴτε ληρήματα χεῖρ φάναι εἶναι, εἴτε φλυαρίας,

Εξ ὧν κενόισιν ἐγκατακὴ σφς δόμοις.

ζηλῶν οὐκ ἐλέγχοντας ἀνδρας τὰ μικρὰ ταῦτα, ἀλλ' οἷς  
 βεῖ καὶ βίβ, καὶ δόξα, καὶ ἄλλα πολλὰ ἀγαθὰ. *Hac Plato sub  
 persona quidem, sicuti dixi, non proba, sed cum sensu ta-  
 men, intelligentiaque communis fide, & cum quadam  
 indissimulabili veritate disseruit; non de illa scilicet phi-  
 losophia; quae virtutum omnium disciplina est, quaeque  
 in publicis simul & privatis officijs excellit, civitatesque  
 & rempublicam, si nihil prohibeat, constanter & for-  
 titer & peritè administrat; sed de ista futili atque  
 puerili meditatione argutiarum, nihil ad vitam neque  
 tuendā neque ordinandā promouente: in qua id genus ho-  
 mines consensescunt malè feriati; quos philosophos esse &  
 vulgus putat, & is putabat ex cuius persona haec dicta sūt.*

## CAPVT XXIII.

Verba ex oratione M. Catonis de mulierum  
 veterum victu & moribus; atque inibi, quòd  
 fuerit ius marito in adulterio vxorem depre-  
 hensam necare.

**Q**ui de victu atque cultu populi Romani scripse-  
 runt, mulieres Roma atque in Latia atatem ab-

stemias egisse, hoc est, vino semper, quod temetum prisca lingua appellatur, abstinuisse dicunt; institutumque ut cognatis osculum ferrent reprehendendi causa, ut odor indicium faceret si bibissent. bibere autem solitas ferunt loream, passam, murinam, & qua id genus sapiant, potu dulcia. atque hac quidem, in his, quibus dixi, libris peruulgata sunt. sed M. Cato non solum existimatas sed multatas quoque à iudice mulieres refert non minus si vinum in se quam si probrum & adulterium admisissent. verba M. Catonis adscripsi, ex oratione qua inscribitur DE DOTE. in qua id quoque scriptum est, in adulterio uxores deprehensas ius fuisse maritis necare. Vir, inquit, cum diuortium fecit, mulieri iudex pro cenfore est. imperium, quod videtur, habet. si quid puerisè tatrèque factum est à muliere, multatur; si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur. De iure autem occidendi ita scriptum. In adulterio uxorem tuam si deprehedisses, sine iudicio impune necares. illa te, si adulterares, digito non auderet contingere: neque ius est.

## CAPVT XXIII.

Die pristini, die crastini, & die quarti & die quinti, qui elegantius locuti sunt, dixisse, non ut ea vulgo dicuntur nunc.

**D**ie quarto & die quinto, quod Græci οἱ τετέραντες & οἱ πέμπτου dicunt, ab eruditis nunc quoque dici audio & qui aliter dicit, pro rudi atque indocto despicitur. sed M. Tullij atas ac supra eam non, opinor, ita dixerunt. die quinte enim & die quinti pro

aduerbio copulate dictum est, & secunda in eo syllaba correpta. Diuus etiam Augustus lingua Latina non nescius, munditiarum patris sui in sermonibus sectator, in epistolis plurifariam significatione ista dierum non aliter usus est. is autem erit, perpetuae veterum consuetudinis demonstranda gratia, verba sollempnia pratoris ponere; quibus more maiorum ferias concipere solet, quæ appellantur compitalia. ea verba hæc sunt. DIE. NONI. POPOLO. ROMANO. QVIRITIBVS. COMPITALIA. ERVNT. QUANDO. CONCEPTA. FVERINT. NEFAS, die noni prator dicit, non die nono. neque prator solum, sed pleraque omnis vetustas sic locuta est. venit ecce illius versus Pomponiani in mentem, qui est ex Atellana, qua Maenia scribitur:

Dies hic sextus, cum nihil egi: die quarte moriar fame.

suppetit etiam Calianum illud ex libro historiarum secundo. Si vis mihi equitatum dare, & ipse cum cetero exercitu me sequi; die quinti Romæ in Capitolium curabo tibi cæna sit cocta. & historiam autem & verbum hoc sumpsit Calius ex Origine M. Caionis: in quo ita scriptum est. Igitur dictatorem Karthaginensium magister equitum monuit: Mitte mecum Romam equitatum. die quinti in Capitolium tibi cæna cocta erit. Extremam istius vocis syllabam tum per e, tum per i, scriptam legi. nam sane quum consuetum iis veteribus fuerit litteris his plerumque uti indifferenter; sicuti præfiscine & præfiscini, procliue & procliui, atque alia item multa hoc genus variè dixerint: die pristini quoque eodem modo dicebatur; quod significabat die pristino, id est priore: quod vulgo pridie

dicitur, conuerso compositionis ordine, quasi pristino die. atque item simili figura die crastini dicebatur. id erat, crastino die. sacerdotes quoque populi Romani cum condicunt in diem tertium, diem perendini dicunt. sed ut plerique die pristini, ita M. Cato in oratione contra Furium, die proximi, dixit. quarto autem Cn. Matius, homo impense doctus, in mimiambis pro eo dicit, quod nudiusquartus nos dicimus; in his versibus:

Nuper die quarto ut recordor, & certè

Aquarium viceum vnicum de mi fregit.

Hoc igitur intererit ut die quarto quidem de praterito dicamus; die autem quarte de futuro.

C A P V T XXV.

Telorum & iaculorum gladiatorumque atque iniubi nauium quoque vocabula, quæ scripta in veterum libris reperiuntur.

**T**elorum, iaculorum, gladiatorumque vocabula, quæ in historijs veteribus scripta sunt, item nauiorum genera & nomina, libitum fortè nobis est sedentibus in rheda conquirere; ijsque vicem aliarum ineptiarum vacantem stupentemque animum occupare. quæ tum igitur suppetierant, hæc sunt. hasta, pilum, phalarica, semiphalarica, soliferrea, gesæa, lancea, spari, rumices, trifaces, tragula, framea, mesancula, cateia, rumpia, scorpij, sibones, siciles, veruta, enses, sica, machera spatæ lingula, pugiones, clunacula. de lingula quoniam est minus frequens admonendum existimo lingulam veteres dixisse gladiolum oblongum in speciem linguæ factum, cuius me-

*minit Navius in tragædia Hefiona . verſum Naviij ap-  
poſui.*

Sine mihi gerere morem videar, haud lingua,  
verum lingua.

*item rumpia genus teli eſt Thraca nationis ; poſitum-  
que hoc vocabulum in Q. Ennij annalium quartode-  
cimo . Naviium autem , quas reminuſci tunc potuimus,  
appellationes hæ ſunt. gauli , coruitæ, caudicæ, lon-  
gæ, hippagines , cercuri, celoces, vel ut Græci  
dicunt, celetes, lembi, oriæ, lenunculi , actuariæ,  
quas Græci *ἰσόποδος* vocāt vel epicaridas, proſumiæ,  
vel geſeoretæ, vel orcæ, ſtlatæ, ſcaphæ, pontones,  
vætitæ, mædiæ, phafeli, parones, myoparones,  
lintres, caupuli, camaræ, placidæ, cydarum, rata-  
riæ , cataſcopium.*

## CAPVT XXVI.

Inſcite ab Aſinio Pollione reprehenuſum Sallu-  
ſtium quod *transfretationẽ tranſgreſſum* dixerit &  
*tranſgreſſos* qui *transfretaffent*.

**A**ſinio Pollioni in quadam epiſtola, quam ad Plan-  
cum ſcripſit, & quibusdam alijs C. Salluſtij ini-  
quis dignum nota viſum eſt, quod in primo hiftoriarum  
maris tranſitum tranſmiſſumque nauibus factum, tranſ-  
greſſum appellauit; eoque, qui fretum tranſmiſerant,  
quos tranſfretaffe dici ſolitum eſt, tranſgreſſos  
dixit. verba ipſa Salluſtij poſuit. Itaque Sertorius  
leui præſidio relicto in Mauritania naçtus ob-  
ſcuram noctem, æſtu ſecundo furtim aut ce-  
leritate vitare prælium in tranſgreſſu conatus

est. ac deinde infra ita scripsit. Transgressos omnis recipit mons præceptus à Lusitanis. hoc igitur & minus proprie & nullo gravi auctore dictum aiunt. nam transgressus, inquit, à transgrediendo dicitur, idque ipsum ab ingressu & à pedum gradu appellatum. id circo verbum, transgredi, conuenire non putauit neque volantibus neque serpentibus neque nauigantibus; sed his solis qui gradiuntur & pedibus iter emittuntur. propterea negant apud scriptorem idoneum aut nauium transgressum reperiri posse, aut pro transfretatione transgressum. sed quaro ego cur non, sicuti cursus nauium rectè dici solent, ita transgressus etiam nauibus factus dici possit? præsertim cum breuitas tam angusti freti, qui terram Africanam Hispaniamque interfluit, elegantissime transgressionis vocabulo quasi paucorum graduum spatium definita sit. Qui auctoritatem autem requirunt, & negant dictum ingredi transgrediue in nauigantibus; volo uti respondeant, quantum existiment interesse, ingredi atque ambulare. Atqui Cato in libro de re rustica, Fundus inquit, eo in loco habendus est, ut & oppidum propè amplum sit, & mare aut amnis, qua naues ambulant. Appetitas porro huiusmodi translationes habitasque esse pro, honestamentis orationis, Lucretius quoque testimonium in hac eadem voce dicit. in quarto enim libro clamorem per arterias & per fauces gradientem dicit. quod est nimio confidentius, quam illud de nauibus Sallustianum. versus Lucretij hi sunt.

Præterea radit vox fauces sæpe; facitque  
Asperiora foras gradientis arteria clamor.

propterea, Sallustius in eodem libro non eos solum, qui nauibus ueherentur, sed & scaphas quoque nantes progressus dicit. Verba ipsa de scaphis posui. Earum aliæ paululum progressæ nimio simul & incerto onere, cùm pauor corpora agitauerat, deprimebantur.

## CAPVT XXVII.

Historia de populo Romano deque populo Pœnico, quod pari propemodum vigore fuerint æmuli.

**I**N litteris veteribus memoria exstat, quod par fuit quondam vigor & acritudo amplitudoque populi Romani atque Pœni. neque immerito aestimatum. nam cum alijs quidem populis de uniuscuiusque reipublica, cum Pœnis autem de omnium terrarum imperio decertatum. eius rei specimen est in illo utriusque populi verbo factum; quod Q. Fabius imperator Romanus dedit ad Karthaginenses epistolam. ubi scriptum fuit populum Romanum misisse ad eos hastam & caduceum signa duo belli aut pacis: ex quibz utrum uellent eligere; quod elegissent, id unum ut esse missum existimarent. Karthaginenses responderunt neutrum sese eligere: sed posse qui attulissent utrum mallent relinquere; quod reliquissent, id sibi pro lecto futurum. Marcus autem Varro non hastam ipsam neque ipsum caduceum missa dicit, sed duas tesserulas: in quarum altera caduceum, in altera hasta simulachra fuerunt incisa.

## CAPUT XXVIII.

De ætatum finibus *pueritia, iuuentæ, senectæ*, ex Tuberonis historia iunctum.

**C**. Tubero historiarum primo scripsit Seruium Tullium, regem populi Romani, cum illas quinque classes iuniorum, census faciendi gratia, institueret, pueros esse existimasse, qui minores essent annis septemdecim; atque inde ab anno septimodecimo, quod idoneos iam esse reipublicæ arbitraretur, milites scripsisse; eosque ad annum quadragesimum sextum iuniores, supraque eum annum seniores appellasse. Eam rem propterea notauit: ut discrimina qua fuerint iudicio moribusque maiorum *pueritia, iuuentæ, senectæ*, ex ista censione Seruii Tullij prudentissimi regis noscerentur.

## CAPUT XXIX.

Quod particula, atque, non cõplexiua tantum sit, sed vim habeat plusculam variamque.

**A**Tque, particula, à grāmaticis quidem coniunctio esse dicitur connexina: & plerumque sane coniungit verba & connectit: sed interdum alias quasdam potestates habet non satis notas, nisi in veterum litterarum tractatione atque cura exercitis. nam & pro aduerbio valet, cum dicimus; aliter ego feci atque tu: significat enim; aliter quam tu; & gemina si fiet, auget intenditque rem, de qua agitur: ut animaduertimus in Q. Ennij annalibus, nisi memoria in hoc versu labor.

Atque atque accedit muros Romana iuuentus.



*Cui significationi contrarium est, quod itidem à veteribus dictum est; deque. & præterea pro alio quoque adverbio dicitur, id est; statim. quod in his Virgilij versibus existimatur obscure & insequenter particula ista posita esse.*

—sic omnia fatis

In peius ruere, ac retro sublapsa referri.

Non aliter quam qui aduerso vix flumine  
lembum

Remigiis subigit, si brachia forte remisit,

Atque illum in præceps prono rapit aluceus  
amni.

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
VNDECIMVS.

CAPVT I.

De origine vocabuli terræ Italiæ, déque ea multa quæ *suprema* appellatur, déque eius nominis ratione; ac de lege Ateria, & quibus verbis antiquitus multa minima dici solita sit.

**M**IMÆVS in historijs, quas oratione Græca de rebus populi Romani cōposuit, & M. Varro in antiquitatibus rerum humanarum terram Italiam de Græco vocabulo appellatam scripserunt; quoniam boues Græca vetere lingua italoë vocitati sunt, quorum in Italia magna copia fuerit; bucetæque in ea terra gigni pascique solita sint complurima. coniectare autem possumus ob eandem causam, quod Italia tunc esset armentosissima, multam, quæ appellatur *suprema*, institutam in singulos duarum ouium, bouum triginta; pro copia scilicet bouum, proque ouium penuria. Sed cum eiusmodi multa pecoris armentique à magistratibus dicta erat; adigebantur boues ouesque aliàs precij parui aliàs maioris. eaque res faciebat inaequalem multa pœnitionem. idcirco postea lege Ateria constituti sunt in oues singulas aris deni, in boues aris centeni. Minima autem multa est ouis unius. *Suprema* multa est eius numeri, cuius diximus: ultra quem multam dicere in singulos ius non est; & propterea *suprema* appellatur, id est *summa* & *maxima*. quando igitur nunc quoque à magistratibus populi

Romani more maiorum multa dicitur vel minima vel summa; obseruari solet ut oues genere virili appellantur: atque ita M. Varro verba hæc legitima; quibus minima multa diceretur, concepit. M. Terentius quando citatus neque respondit neque excusatus est, ego ei vnum ouem multam dico. ac nisi eo genere diceretur negauerunt iustam videri multam. Vocabulum autem ipsum multæ idem M. Varro in vno & vicesimo rerum humanarum non Latinum, sed Sabinum esse dicit; idque ad suam memoriam mansisse ait in lingua Samnitium, qui sunt à Sabinis orti. sed turba grammaticorum nouitia κατ' ἀντιρροσιν, ut quadam alia, hoc quoque dici tradiderunt. Cum autem vsus & mos sermonum is sit ut ita & nunc loquamur, ut plerique veterum locuti sunt, multam dixit, & multa dicta est: non esse ab re putavi notare, quod M. Cato aliter dixit. nam in quarto Originum, verba hæc sunt: Imperator noster, si quis extra ord. nem depugnatum iuit, ei multam facit. potest autem videri consulta elegantia mutasse verbum, cum in castris & in exercitu multa fieret; non in comitio nec ad populum diceretur.

## CAPVT II.

Quod elegantia apud antiquiores non de amœniore ingenio sed de nitidiore cultu atque vultu dicebatur, eaque in vitio ponebatur.

**E**Ligans homo non dicebatur cum laude: sed id frè verbum, ad ætatem M. Catonis, vitij non laudis fuit. est namque hoc animaduertere, cum in quibusdam alijs, tum in libro Catonis, qui inscriptus est, Carmen de moribus. Ex quo libro verba hæc sunt. Auaritiam omnia

vitia habere putabant: sumtuosus, cupidus, eligans, vitiosus, irritus qui habebatur, is laudabatur. *ex quibus verbis apparet elegantem dictum antiquitus non ob ingenij elegantiam, sed qui nimis lecto amœnôque cultu victuque esset. postea eligans reprehendi quidem desijt; sed laude nulla dignabatur, nisi cuius eligantia erat moderatissima. Sic M. Tullius L. Craſſo & Q. Scauola non meram elegantiam, sed multam parsimonia mistam laudi dedit. Craſſus, inquit, erat parcissimus eligantium; Scauola parcorum elegantissimus. præterea ex eodem libro Catonis hæc etiam sparsim & intercisè commemoramus. Vestiri, inquit, in foro honestè mos erat: domi quodlatis erat. equos carius quam coquos emebant. poeticæ artis honos nõ erat. si qui in ea re studebat, aut sese ad conuiuia applicabat; grassator vocabatur. illa quoque ex eodem libro præclaræ veritatis sententia est: Nam vita, inquit, humana propè vt ferrum est. si exerceas; conteritur: si non exerceas; tamen rubigo interficit. itidem homines exercendo videmus conteri. si nihil exerceas; inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitio.*

## CAPVT III.

Qualis quantaque sit, pro, particulæ varietas; deque exemplis eius varietatis.

**Q**uando ab arbitris negotijsque otium est, & motûdi corporis gratia aut spatiamur aut vectamur: quaerere non nunquam apud memetipsum soleo res eiusmodi, paruas quidem minutasque & hominibus non bene eruditis aspernabiles. sed ad veterum scripta penitus noscen-

da & ad scientiam lingua Latina cum primis necessarias: velut est, quod forte nuper in Prænestino recessu ves-  
 pertina ambulatione solus ambulans considerabam; <sup>lib. i. scrip. dy</sup> qualis quantaque esset particularium quarundam in oratione Latina varietas. quod genus est prepositio, pro aliter enim dici videbam, pontifices pro collegio decreuisse; aliter, quempiam testem introductum pro testimonio dixisse; aliter M. Catonem in Originum quarto, pro lium factum depugnatumque pro castris, scripsisse; & item in quinto, vrbis, in salaque omni pro agro Illyrio esse; aliter etiã dici, pro aede Castoris; aliter, pro rostris; aliter, pro tribunali; aliter, pro concione; atque aliter, tribunum plebis pro potestate intercessisse. sed has omnis dictiones, qui aut omnino similes & pares, aut vsquequaque diuersas existimaret, errare arbitraber. nam varietatem istam eiusdem quidem fontis & capitis, non eiusdem tamen esse finis putabam. Quod profectò facillè intelliget, si quis ahibeat ad meditationem suam intentionem, & habeat veteris orationis usum atque notitiam celebriorem.

## CAPVT IIII.

Quem in modum Q. Ennius versus Euripidi æmulatus sit.

**E**uripidi versus sunt in Hecuba verbis, sententia, breuitate insignes illustrésque. Hecuba est ad Plyxem dicens:

Τὸ δὲ ἀξιωμακᾶν κακῶς λέγει τὸ σὸν;

Πείσει. λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰών,  
Κἀκ τῶν δοκούντων, αὐτὸς οὐ ταυτὸν δέξει.

*Hos versus Q. Ennius, cum eam tragiædram verteret, non sanè incommode emulatus est. versus totidem Enniani hi sunt.*

Hæc tu etfi peruersè dices, facile Achivos flexeris:

Nam cum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles;

Eadem dicta, eadèmq; oratio æqua non æque valet.

*bene, sicuti dixi, Ennius: sed ignobiles tamen & opulenti, ἀντὶ ἀδοξούντων & δοκούντων satisfacere sententiæ non videntur. nam neque omnes ignobiles ἀδοξῶσι; neque omnes opulenti, εὐδοξῶσι.*

C A P V T V.

De Pyrrhoniis philosophis quædam, deq; academicis strictim notata, deq; inter eos differètia.

**Q**uos Pyrrhonios philosophos vocamus, ij Græco cognomento σκεπηταὶ appellantur. id ferme significat quasi quæsitores & consideratores. nihil enim decernunt, nihil constituunt; sed in quærendo semper considerandoque sunt, quidnam sit omnium rerum de quo decerni constituique possit. ac ne videre quoque plane quicquam neq; audire sese putant; sed ita pati afficique quasi videant vel audiant. eaque ipsa, quæ affectiones istas in sese efficiant, qualia & cuiusmodi sint cunctantur atque insistant; omniumque rerum fidem veritatèmq; mixtis confusisque signis veri atque falsi ita incompressibilem videri aiunt; ut quisquis homo est non

præceptis neque indicij sui prodigijs, his uti verbis debeat, quibus auctorem Philosophia istius Pyrrhonem esse vsurpant: οὐ μᾶλλον οὐτως ἔχει τόδε ἢ ἐκείνως ἢ οὐδέτερος. iudicia enim rei cuiusque & sinceræ proprietates negant posse nosci & percipi; idque ipsum docere atque ostendere multis modis conantur. super qua re Favorinus quoque subtilissimæque argutissimæque decem libros composuit, quos πύρρωνείων τριόπων inscribit. Vetus autem questio & à multis scriptoribus Græcis tractata est, in quid & quantum Pyrrhonis & academicos philosophos intersit. utrique enim ἀκρονικοὶ, ἐφεκτικοὶ, ἀπορητικοὶ dicuntur; quoniam utrique nihil affirmant, nihilque cõprehendi putant. sed ex omnibus rebus proinde visa fieri dicunt, quas φαυτασίας appellant: non ut rerum ipsarum natura est, sed affectio animi corporisve est eorum, ad quos ea visa perueniunt. Itaque omnes omnino res, quæ sensus omnium mouent, τῷ ἑσῶς τί esse dicunt. id verbum significat, nihil esse quicquam quod ex sese constet, nec quod habeat vim propriam & naturam; sed omnia prorsum ad aliquid i. ferri; taliæque videri esse, qualis fit eorum species dum videntur, qualiæque apud sensus nostros, quo peruenerunt, creantur; non apud sese, unde profecta sunt. Cum hæc autem consimiliter tam Pyrrhonii dicant quam academici: differre tamen inter sese & propter alia quadam, & vel maxime propterea existimati sunt, quod academici quidem ipsum illud nihil posse decerni, quasi decernunt: Pyrrhonij ne id quidem ullo pacto, videri verum dicunt, quod nihil esse verum videtur.

## CAPVT VI.

Quod mulieres Romæ per Herculem non iurauerunt; neque viri per Castorem.

**I**N veteribus scriptis neque mulieres Romana per Herculem deiurant; neque viri per Castorem. sed cur illa non iurauerint Herculem non obscurum est. nam Herculeo sacrificio abstinent. cur autem viri Castorem iurantes non appellauerint, non facile dictum est. Nusquam igitur scriptum inuenire est apud idoneos quidem scriptores, aut mehercle feminam dicere, aut mecastor virum. Aedepol autem, quod iusiurandum per Pollucem est, & viro & femina commune est. Sed M. Varro asseuerat antiquissimos viros neque per Castorem neque per Pollucem deiurare solitos; sed id iusiurandum fuisse tantum feminarium ex inijs Eleusinijs acceptum: paulatim tamen, inscitia antiquitatis, viros dicere aedepol cepisse; factumque esse ita dicendi morem: sed mecastor à viro dici, in nullo vetere scripto inueniri,

## CAPVT VII.

Verbis antiquissimis reliquisque iam & desitis minime vtendum.

**V**erbis uti aut nimis obsoletis exculcatisque, aut insolentibus nouitatibusque dura & illepidæ, par esse delictum videtur: sed molestius equidem culpatisque esse arbitror, verba noua, incognita, inaudita dicere, quam inuulgata & sordentia. Noua autem videri dico etiam ea, quæ sunt inusitata & desita, tametsi sunt vetusta. Est adeo id vitium plerumque seræ eruditionis, quam Græci ὀψιμαδία appellat; ut, quod numquam didiceris, diu ignoraueris, cum id scire aliquando cæperis, magnificias quo in loco cumque & quacumque in re dicere. veluti Romæ, nobis presentibus, vetus celebratisque homo in causis, sed repentina & quasi tumultuaria doctrina



*Arina præditus, cum apud præfectum urbi verba faceret, & dicere vellet inopia quemdam miseroque victu viuere & fursureum panem esitare, vinumque eructum & fætidum potare, Hic, inquit, eques Romanus apludam edat, & flocces bibit. Adspexerunt omnes qui aderant alius alium, primo tristiores turbato & requirente voltu quidnam illud vtriusque verbi foret; post inde, quasi nescio quid Tuscè aut Gallicè dixisset, uniuersi riserunt. Legerat autem ille apludam veteres rusticos frumenti fursurem dixisse; idque à Plauto in comœdia, si ea Plauti est, quæ Astraba inscripta est, positum esse. Item flocces audierat prisca voce significare vini facem è vinaceis expressam, sicuti fraces ex oleis: idque apud Cæcilium in Polymenis legerat, eaque sibi duo verba ad orationum ornamenta seruauerat. Alter quoque à lectionibus id genus paucis apirocalus, cum aduersarius causam differri postularet. Rogo prætor, inquit, subueni, succurre: quoniam usque nos bouinator hic demoratur? Atque id voce magna ter quaterq; inelamauit; bouinator est. Commurmuratio fieri cœpta est à plerisque, qui aderant, quasi monstrum verbi admirantibus. At ille iactans & gestuens, Non enim Lucilium, inquit, legistis, qui tergiminatorem bouinatorem dicit. Est autem in Lucilij vndecimo versus hic:*

Est tricosus, bouinatorque ore improbus  
duro.

## CAPVT VIII.

Quid senserit dixeritque M. Cato de Albino: qui homo Romanus Græca oratione res Romanas, venia sibi ante eius imperitiæ petita; composuit:

**I**uste venustæque admodum reprehendisse dicitur *A. Albinum M. Cato*. *Albinus*, qui cum *L. Lucullo* consul fuit; res Romanas oratione Græca scriptitavit. In eius historia principio scriptum est ad hanc sententiam: *Neminem succensere sibi convenire, si quid in his libris parum compositè aut minus eleganter scriptum foret. nam sum, inquit, homo Romanus, natus in Latio. Græca oratio à nobis alienissîma est ideoque veniam gratiamque mala existimationis, si quid esset erratum, postulavit. Eam cum legisset M. Cato; Nè tu, inquit, Aule nimium nugator es, cum maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. nam peterè veniam solemus, aut cum imprudentes erravimus, aut cum compulsî peccavimus. Tibi, inquit, oro te quis perpulit ut id committeres quod, priusquam faceres, peteres ut ignosceretur? Scriptum est hoc in libro Cornelij Nepotî de illustribus viris:*

## CAPVT IX.

Historia de legatis Mileti & Demosthene rethore in libris Critolai reperta.

**C**ritolai scripsit legatos Mileto publica rei causa venisse Athenas, fortassean auxiliij petendi gratia; tum qui pro sese verba facerent, quos visum erat, advocavisse; advocatos; uti erat mandatum, verba pro Mileti ad populum fecisse: Demosthenem Milesiorum postulatis acriter respondisse, neque Milesios auxilio dignos, neque ex republica id esse contendisse; rem in posterum diem prolata; legatos ad Demosthenem venisse; magnòque opere orasse uti contra nè diceret; cum pecuniam petivisse; & quantam petiverat abstulisse; postpridie, cum res agi denuò cœpta esset, Demosthenem lana multa collum cervicisque circumvolutum ad populum prodisse, & di-

xiffe se *synanchen* pati; eò contra *Milesios* loqui non quide-  
re; tum è populo vnum exclamasse, non *synanchen*, quod  
*Demosthenes* pateretur sed *argyranchen* esse. Ipse etiã *De-*  
*mosthenes*, vt idem *Critolaus* refert, non id postea conce-  
lauit: quin gloria quoque hoc sibi assignauit. nam cum  
interrogasset *Aristodemum* actorem fabularum quan-  
tum mercedis, vti ageret, accepisset; & *Aristodemus*  
talentam respondisset: At ego plus, inquit, accepi vt  
tacerem.

## CAPVT X:

Quòd C. Gracchus in oratione sua historiam  
supra scriptam *Demadi* rhetori non *Demost-*  
*heni* attribuit: verbaque ipsius C. Gracchi  
relata.

Quod in capite superiore à *Critolao* scriptum esse di-  
ximus super *Demosthene*; id C. Gracchus in ora-  
tione, qua legem *Auferam* dissuasit, in *Demadem*  
contulit verbis hisce: Nam vos, *Quirites*, si velitis  
sapientia atque virtute vti; & si quaritis; nemi-  
nem nostrum inuenietis sine pretio huc prodire:  
omnes nos qui verba facimus, aliquid petimus:  
neque vllius rei causa quisquam ad vos prodit;  
nisi vt aliquid auferat. ego ipse, qui apud vos  
verba facio vt *vectigalia* vestra augeatis, quo fa-  
cilis vestra cõmoda & rem administrare possi-  
tis, non gratis prodeo: verum peto à vobis non  
pecuniam, sed bonam existimationem atque  
honorem. qui prodeunt dissuasuri ne hanc legem  
accipiatis, petunt non honorem à vobis; ve-  
rum à *Nicomede* pecuniam. qui suadent vt acci-  
piatis, hi quoque petunt non à vobis bonam

existimationem, verum à Mithridate rei familiaris suæ precium & præmium. qui autem ex eodem loco atque ordine placent hi vel acerrimi sunt. nam ab omnibus precium accipiunt, & omnis fallunt. Vos, cum putatis eos ab his rebus remotos esse impertitis bonam existimationem. Legationes autem à regibus, cum putant eos sua causa reticere, sumtus atque pecunias maximas præbent: uti in terra Græcia; quo in tempore tragædus gloria sibi ducebat, talentum magnum ob unam fabulam datum esse; homo eloquentissimus civitatis suæ Demades ei respondisse dicitur: Mirum tibi videtur, si tu loquendo talentum acquisivisti? Ego, ut tacerem, decem talenta à Rege accepi. Idem nunc isti præcia maxima ob tacendum accipiunt.

## CAPVT XI.

Verba P. Nigidij, quibus differre dicit *mentiri*, & *mendacium dicere*.

**V**ERBA sunt hæc ipsa P. Nigidij, hominis in studiis bonarum artium præcellentis: quem M. Cicero ingenij doctrinarumque nomine summè reueritus est. Inter mendacium dicere & mentiri distat. qui mentitur ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur: qui mendacium dicit, ipse fallitur. Item hoc addidit: Qui mentitur, inquit, fallit, quantum in se est: item hoc quoque super eadem re dicit: Vir bonus, inquit, præstare debet ne mentiatur: prudens ne mendacium dicat. alterum incidit in hominem, alterum non. Variè meherclè & lepidè Nigidius tot sententias in eandem rem, quasi aliud atque aliud diceret, desperavit.

## CAPVT XII.

Quod Chrysippus philosophus omne verbum ambiguum dubiumque esse dicit; Diodorus contra nullum verbum ambiguum esse putat.

**C**hrysippus ait omne verbum ambiguum natura esse, quoniam ex eodem duo vel plura accipi possunt. Diodorus autem, cui Crono cognomentum fuit, Nullum, inquit, verbum est ambiguum: nec quisquam ambiguum dicit, aut sentit; nec aliud dici videre debet quam quod se dicere sentit is qui dicit. at cum ego, inquit, aliter sensi, tu aliud accepisti: obscure magis dictum quam ambiguè videri potest. ambigui enim verbi natura illa esse debuit, vt qui id diceret, duo vel diceret. nemo autem duo vel plura dicit, qui se sentit vnum dicere.

## CAPVT XIII.

Quid T. Castricius de verbis deque sententia quadam C. Gracchi existimauerit, quodque esse eam sine vilo sensus emolumento docuerit.

**A** pud T. Castricium disciplina rhetorica doctorem, graui atque firmo iudicio virum, legebatur oratio C. Gracchi in P. Popilium. in eius orationis principio collocata verba sunt accuratius modulatiúsque, quam veterum oratorum consuetudo fert. ea verba sicuti dixi composita hæc sunt: Quæ vos cupide per

hocce annos appetistis atque voluistis : ea si temere repudiaritis ; abesse non potest , quin aut olim cupide appetisse , aut nunc temere repudiasse dicamini . *Cursus igitur hic & sonus rotunda volubilisque sententiæ eximie nos & unice delectabat ; tanto id magis , quod iam tunc C. Graccho viro illustri & senero eiusmodi compositionem fuisse cordi videbamus . sed enim cum eadem ipsa verba sapientibus petentibus nobis lectitarentur : admoniti à Castricio sumus ut consideraremus , quæ vis quodve emolumentum eius sententiæ foret ; neque pateremur ut aures nostræ cadentis apte orationis modis eblanditæ animum quoque nobis voluptate inani perfunderent . cumque nos admonitione ista attentiores fecisset , Inspecite , inquit , penitus quid efficiant verba hæc ; dicatque mihi quæso aliqui vestrum , an sit vlla huiusce sententiæ aut gravitas aut gratia . Quæ vos cupide per hocce annos appetistis atque voluistis ; ea temere si repudiaritis , abesse non potest , quin aut olim cupide appetisse , aut nunc temere repudiasse dicamini . Cui enim omnium hominum in mentem non venit id profecto usu venire , ut quod cupide appetieris , cupide appetisse , & quod temere repudiaueris , temere repudiasse dicaris ? at si opinor , inquit , ita scriptum esset : Quæ vos per hocce annos appetistis atque voluistis : ea nunc si repudiaritis , abesse non potest quin aut olim cupide appetisse , aut nunc temere repudiasse dicamini . si , inquit , ita diceretur gravior scilicet solidiorque fieret sententiæ ; & acciperet aliquid iustæ in audiendo expectationis . nunc autem verba hæc cupide & temere , in quibus verbis omne momentum rei est , non*

in concludenda sententia tantum dicuntur; sed supra quoque nondum desiderata ponuntur: & quæ nasci oriturque ex ipsa rei conceptione debebant, ante omnino, quam res postulat, dicuntur. nam qui ita dicit: si hoc feceris, cupidè fecisse diceris; rem dicit sensus alicuius ratione collectam & confectam. qui vero ita dicit; si cupidè feceris, fecisse diceris; non longe secus dicit, atque si diceret si cupidè feceris, cupidè feceris. Hæc ego, inquit, admonui, non ut C. Graccho vitio darem (dij enim mentem meliorem mihi. nam, si quicquam in tam fortis facundia viro vitii vel erroris esse dici potest, id omne & auctoritas eius exhaustit, & vetustas consumsit) sed uti caueretis, ne vos facile perstringeret modulatus aliquis currentis facundia sonitus; atque ut vim ipsam rerum virtutemque verborum prius pensitaretis: & si quidem grauis atque integra & sincera sententia diceretur, tum, si ita videretur, gressibus quoque ipsis orationis gestibus plauderetis; si vero frigidi & leues & futiles sensus in verba aptè numerosèque posita includerentur; non esse id secus crederetis, quam cum hominibus insigni deformitate ad facienda ridicula imitantur histriones & gestunt.

## CAPVT XIII.

Sobria & pulcherrima Romuli regis responsio  
circa vini vsus.

**S**Implicissima suauitate & rei & orationis L. Piso  
Frugi vsus est in primo annali cum de Romuli regis  
vita atque victu scriberet. ea verba, quæ scripsit, hæc  
sunt. Eundem Romulum dicunt ad cœnam voca-  
tum ibi nō multum bibisse: quia postridie nego-  
tium haberet. ei dicunt: Romule, si istuc omnes  
homines faciāt, vinum vilius sit. is respondit; imo  
veid carū, si quantum quisque volet, bibat: nam  
ego bibi quantum volui.

## CAPVT XV.

De ludibundo & errabundo, atque id genus verborū  
productionibus: & quod Laberius sic *amora-  
bundam* dixit, vt dicitur *ludibunda* & *errabunda*:  
atque inibi quod Sisenna per huiuscemodi  
verbum noua figura vsus est.

**L**aberius in lacu Auerno mulierem amante ver-  
bo inusitatus facto, *amorabundā*, dixit. id ver-  
bum Casellius Vindex in commentario lectionum anti-  
quarum ex figura scriptum dixit. qua *ludibunda*, *ri-  
dibunda*, & *errabunda* dicitur, ludens & ridens  
& errans. Terentius autem Scaurus, diui Hadriani tē-  
poribus grammaticus vel nobilissimus, inter alia qua de  
Casellij erroribus composuit, in hoc quoque verbo erras-  
se eum scripsit; quod idem esse putauerit, ludens & lu-  
dibunda, errans & errabunda, ridens & ridibū-  
da. nam *ludibunda*, inquit, & *ridibunda*, & *erra-*



bunda ea dicitur, quæ ludentem vel ridentem vel errantem agit aut simulat. Sed qua ratione Scaurus adductus sit, ut Casellium in eo reprehenderet, non Hercle reperiebamus. non est enim dubium, quin hæc genere ipso duntaxat idem significant, quod ea demonstrant, à quibus producuntur. quid esset autem ludentem agere vel imitari, non intelligere videri maluimus, quam in simulare eum tamquam ipsum minus intelligentem. Quin magis Scaurum oportuit commentaria Casellii criminantem & hoc ab eo præteritum requirere, quod non dixerit, an quid & quantum differret à iudibundo ludēs, & ridibundo ridēs & errabundo errans, ceteraque eorū similia; an à principalibus verbis paulum aliquid distarent, & quā omnino vim haberet particula hæc extrema eiusmodi vocabulis addita. hoc enim fuit potius requirendum in istiusmodi figura tractatu, sicuti requiri solet in vinolento, & lutulento & turbulento vacuane & inanis sit ista hæc productio cuiusmodi sunt, quæ ἄφρονες Græci dicunt; an extrema illa particula habeat aliquid suæ propriæ significationis. Cum reprehensionem autem illam Scauri notaremus: in memoriam nobis rediit, quod Sisenna in quarto historiarum eiusdem figura verbo ita usus est. Populabundus, inquit, agros ad oppidum peruenit. quod scilicet significat, cum agros popularetur; non, ut Scaurus in consimilibus verbis ait, cum populantem ageret vel cum imitaretur. sed inquirentibus nobis quanam ratio & origo esset huiusmodi figura, populabundus, & errabundus, & lætabundus, & ludibundus, multorumque aliorum id genus verborum ἐπεισόλιος hercle Appollinaris noster sibi videri ait, particulam istā postremam, in quam verba talia exeunt, vim & copiam & quasi abundantiam rei, cuius id verbum esset, demonstrare; ut lætabundus is dicatur qui abundè lætus sit,

Errabundus qui logo atque abundantanti errore sit; ceteraque omnia ex ea figura ita dici ostendit; ut productio hæc & extremitas largam & fluentem vim & copiam declararet.

## CAPVT XVI.

Quod Græcorum quorundam verborum difficilissima est in Latinam linguam mutatio, velut quod Græce dicitur πολυπραγμοσύνη.

**A**dicimus sæpe animum ad vocabula rerum non paucissima, quæ neque singulis verbis, ut à Græcis, neque si maxime pluribus eas res verbis dicamus, tam dilucide tamque aptè demonstrari Latina oratione possunt, quam Græci ea dicunt prius vocibus. Nuper etiam cum allatus esset ad nos Plutarchi liber; & eius libri indicem legissemus, qui erat περὶ πολυπραγμοσύνης: percunctatè cuiuspiam, qui & litterarum & vocum Græcarum expertus fuit, cuiusnam liber, & qua de re scriptus esset: nomen quidem scriptoris statim diximus; rem, de qua scriptum fuit, dicturi hæsimus. ac tum quidem primò, quia non satis commodè opinabar interpretaturum esse si dicerem librum scriptum esse de negotiositate, aliud institui apud me exquirere, quod, ut dicitur, verbum de verbo expressum esset. nihil erat prorsus, quod aut meminissem legere me; aut, si etiam vellem fingere quod non insigniter asperum absurdumque esset, si ex multitudine & negotio verbum unum compingerem; sicuti multiuga dicimus & multicolori & multiformia. sed non minus illepide ita diceretur; quam si interpretari voce una velis πολυοιλίαν, aut πολυπροπίαν, aut πολυσασκίαν. quæ

obrem cum diutulè tacitus in cogitando fuisset; respondi tandem, non videri mihi significari eam rem posse vno nomine: & idcirco iuncta oratione, quid vellet Græcum id verbum, pararam dicere, ad multas igitur res aggressio, earumque omnium rerum actio, πολυπραγμοσύνη, inquam, Græcè dicitur; de qua hunc librum compositum esse inscriptio ista indicat. tum ille opicus verbis meis inchoatis. & inconditis adductus virtutem esse πολυπραγμοσύνην, Hortatur, inquit, vos perfectò nescio quis hic Plutarchus ad negotia capeßenda & ad res obeundas plurimas cum industria & celeritate; noménque ipsius virtutis, de qua locuturus esset, libro ipsi, scripti dicis, non incommodè præscripsit. minime, inquam, verò. neque enim ista omnino virtus est, cuius Græco nomine argumentum hoc libri demonstratur: neque id, quod tu opinare, aut ego me dicere sentio aut Plutarchus facit. deterret enim nos hoc quidem in libro, quam potest maxime, à varia promiscâque & non necessaria rerum cuiuscemodi plurimarum & cogitatione & petitione. sed huius, inquam, tui erroris culpam esse intelligo in mea scilicet infacundia, qui ne pluribus quidem verbis potuerim non obscurissime dicere, quod à Græcis perfectissime vno verbo & planissime dicitur.

## CAPVT XVII.

Quid significet in veteribus prætorum edictis quod flumina retanda publice redempta habent.

**E**dicta veterum prætorum, sedentibus forte nobis in bibliotheca templi Traiani & aliud quid re-

quirentibus, cum in manus incidissent, legere atque cognoscere libitum est. Tum in quodam edicto antiquiore ita scriptum insuenimus. QVI. FLVMINA. RETANDA. PVBLICE. REDEMPTA. HABENT. SI. QVIS. EORVM. AD. ME. EDVCTVS. FVERIT. QVI. DICATVR. QVOD. EVM. EX. LEGE. LOCATIONIS. FACERE. OPORTVERIT. NON. FECISSE. retanda igitur quid esset querebatur. dixit ibi quispiam nobiscum sedens amicus meus in libro se Gaiij de origine vocabulorum septimo legisse retas vocari arbores, quæ aut ex ripis fluminum eminent, aut in alueis eorum exstarèt, appellatasque esse à retibus, quod prætereuntes naues impedirent & quasi irretirent: idcircoque sese arbitrari retanda flumina locari solita esse, id est, purganda: ne quid aut moræ aut periculi nauibus in ea virgulta incidentibus fieret.

## CAPVT XVIII.

Qua pœna Draco Athenienses in legibus, quas populo Atheniensi scripsit, fures affecerit, & qua postea Solon, & qua item x. viri nostri, qui xii. tabulas scripserunt, atque inibi adscriptum, quod apud Ægyptios furta licita & permilla sunt, apud Lacedemonios autem cum studio quoque affectata & pro exercitio vtili celebrata; ac præterea M. Catonis de pœniendis furtis digna memoria sententia.

**D**RACO Atheniensis vir bonus multaque esse prudentia existimatus est; iurisque diuini & humani peritus fuit. is Draco leges, quibus Athenienses vterentur, primus omnium tulit. in illis legibus furem, cuius modi

cumque furti, supplicio capitis pœniendum esse, & alia  
 pleraque nimis seuerè censuit sanxitque. Eius igitur le-  
 ges, quoniam videbantur impendio acerbiores, non decreto  
 iussuque, sed tacito illiteratoque Atheniensium consensu  
 oblitterata sunt. Postea legibus alijs mitioribus à Solone  
 compositis vsi sunt. is Solo ex septem illis inclutis sapienti-  
 bus fuit. is sua lege in fures, non, ut Draco antea, mortis  
 sed dupli pœna vindicandum existimauit. Decemviri au-  
 tem nostri, qui post reges exactos leges quibus populus Ro-  
 manus uteretur in duodecim tabulis scripserunt, ne-  
 que pari seueritate in pœniendis omnium generum fu-  
 ribus neque remissa nimis lenitate vsi sunt. Nam furem,  
 qui manifesto furto pressus esset, tum demum occidi per-  
 miserunt, si aut, cum faceret furtum, nox esset, aut inter-  
 diu telo se, cum prenderetur, defenderet. Ex ceteris autem  
 manifestis furibus liberos verberari addicique iusserunt  
 ei, cui factum furtum esset, si modo id luci fecissent, neque  
 se telo defendissent; seruos item furti manifesti pressos ver-  
 beribus affici & è saxo præcipitari, sed pueros impuberes  
 prætoris arbitrato verberari voluerunt, noxiamque ab his  
 factam sarciri. ea quoque furta, quæ per lancem liciumque  
 concepta essent, proinde ac si manifesta forent, vindicau-  
 runt. Sed nunc à lege illa decemuirali discessum est. nam si  
 qui super manifesto furto iure & ordine experiri velit;  
 actio in quadruplum datur. Manifestum autem fur-  
 tum est, ut ait Masurius, quod deprehenditur dū  
 fit. faciendi finis est cum perlatum est, quo ferri  
 cœperat. furti concepti, item oblati, tripli pœna est. sed  
 quod sit oblatum, quod conceptum & pleraque aliã  
 ad eam rem, ex egregiis veterum moribus accepta, neque  
 inutilia cognitu neque iniucunda qui legere volet, inue-  
 niet Sabini librum, cui titulus est, de furtis. in quo id  
 quoque scriptum est, quod vulgo inopinatum est, non ho-

minum tantum neque rerum mouentium, quæ efferrî oc-  
 cultè & surripi possunt, sed fundi quoque & adium fieri  
 furtum: condemnatum quoque furti colonum, qui fundo,  
 quem conduxerat, vendito possessione eius dominum inter-  
 uertisset, atque id etiam, quod magis inopinabile est, Sabi-  
 nus dicit furem esse hominis indicatum; qui, cum fugiti-  
 uus præter oculos forte domini iret, obtentu togæ, tamquam  
 se amiciens, ne videretur à domino obstitisset. Alijs dein-  
 de furtis omnibus, quæ nec manifesta appellantur, pœnam  
 imposuerunt dupli. id etiam meminî legere me in libro  
 Aristonis iureconsulti, hæud quaquam indocti viri, apud  
 veteres Egyptios, quod genus hominum constat & in ar-  
 tibus reperiendis sollertes existisse, & in cognitione rei-  
 rum indaganda sagaces, furta omnia fuisse licita & im-  
 pœnita. Apud Lacedæmonios quoque, sobrios illos & a-  
 cres viros, cuius rei non adeò vt Egyptijs fides longinquæ  
 est, non pauci neque ignobiles scriptores, qui de moribus le-  
 gibusque eorum memorias condiderunt; iis atque vsum  
 fuisse furandi dicunt, idque à iuuetute eorum, non ob tur-  
 pia lucra neque ad sumtum libidini præbendum compa-  
 randamve opulentiam, sed pro exercitio disciplinaque rei  
 bellicæ factitatum: quod & furandi sollertia & asue-  
 tudo acueret firmaretque animos adolescentium & ad in-  
 fidiarum astus & ad vigilandi tolerantiam & obrep-  
 di celeritatem. Sed enim M. Catò in oratione, quam de  
 præda militibus diuidenda scripsit, vehementius & il-  
 lustribus verbis de impunitate peculatus atque licentiæ  
 conqueritur. ea verba, quoniam nobis impensè placuerunt,  
 adscripsimus. Fures, inquit; priuatorum furtorum  
 in neruo atque in compedibus ætatem agunt;  
 fures publici in auro atque in purpura. Quam castè  
 autem ac religiosè à prudentissimis viris quid esset fur-  
 tum definitum sit, prætereundum non puto; ne quis eunt

solum furem esse putet, qui occultè tollit, aut clam surripit. Verba sunt Sabini ex libro iuris ciuilis secundo. Qui alienam rem attrectauit, cum id se inuito domino facere iudicare deberet, furti tenetur. *Item alio capite.* Qui alienum iacens lucri faciend. causa sustulit, furti obstringitur, siue scit cuius sit siue nescit. *Hæc quidem sic in eo, quò nunc dixi, Sabinus scripsit de rebus furti faciendi causa attrectatis. Sed meminisse debemus, secundum ea quæ supra scripsi, furtum sine ulla quoque attrectatione fieri posse, sola mente atque animo ut furtum fiat annitente. quocirca ne id quidem Sabinus dubitare se ait, quin dominus furti sit condemnandus, qui seruo suo, uti furtum faceret, imperauit.*

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
DVODECIMVS.

CAPVT I.

Differtatio Fauorini philosophi, qua suavit nobili feminae, vt liberos, quos peperisset, non nuticum adhibitarum, sed tuo tibi lacte aleret.



*N*UNCIATVM quondam est Fauorino philosopho nobis presentibus, uxorem auditoris, sectatorisque sui paululum ante enixam: auctumque eum esse nato filio. Eamus; inquit, & puerperam visum & patri gratulatum. Is erat loci senatorij ex familia nobiliore. Imus una qui tum aderamus: persecuti que eum sumus ad domum quo pergebat; & cum eo simul introgressi sumus. tum in primis adibus complexus hominem congratulatusque affedit: atque ibi percunctus est, quam diutinum puerperium & quam laboriosi nixus fuissent: puellamque defessam labore ac vigilia somnum capere cognouit. fibulari instituit prolixius. Et nihil, inquit, d' ito quin filium lacte suo nutritura sit. Sed cum mater puella parcendum esse ei diceret, adhibendasque puero nutrices, ne ad dolores, quos in enitendo tulisset, munus quoque nutritionis graue ac difficile accederet: Oro te, inquit, mulier, sine eam totam integram esse matrem filij sui. quod est enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperisse, ac statim ab sese abiicisse? alij se in utero sanguine suo nescio quid, quod non videret; non alere nunc  
suo la-



suo lacte quod videat, iam viuentem, iam hominem, iam  
 matris officia implorantem? an tu quoque, inquit, putas  
 naturam feminis mamarum ubera quasi quosdam nauu-  
 los-venustiores, non liberum alendorum, sed ornandi pe-  
 ttoris causa dedisse? sic enim, quod à vobis scilicet abest,  
 pleraque ista prodigiosa mulieres fontem illum sanctissi-  
 mum corporis, generis humani educatorem, arefacere <sup>et apud apulsum</sup>  
<sup>et amulium</sup>  
 extinguere cum periculo quoque auersi corruptique lactis  
 laborant; tamquam pulchritudinis sibi insignia deueni-  
 stet. quod quidem faciunt eadem vecordia, qua quibus-  
 dam commenticijs fraudibus nituntur ut fetus quoque  
 ipsi in corpore suo concepti abortiantur: ne equor illud ven-  
 tris irrugetur, ac de grauitate oneris & labore partus fa-  
 tiscat. quod cum sit publica detestatione communique odio  
 dignum, in ipsis hominem primordijs, dum fingitur, dum  
 animatur, inter ipsas artificis natura manus interfectum  
 ire: quantulum hinc abest, iam perfectum, iam geni-  
 tum, iam filium. proprij atque consueti atque cogniti san-  
 guinis alimonia priuare? Sed nihil interest, hoc enim di-  
 citur, dum alatur & viuat, cuius id lacte fiat. cur igitur  
 iste, qui hoc dicit. si in capeendis natura sensibus tam  
 obsurdum, non id quoque nihil interesse putat, cuius in  
 corpore cuiusque ex sanguine concretus homo & coalitus  
 sit? an quia spiritu multo & calore exaluit, non idem  
 sanguis est nunc in vberibus, qui in utero fuit? nonne hac  
 quoque in re sollertia natura euidentis est, quod postquam  
 sanguis ille opifex in penetralibus suis omne corpus homi-  
 nis finxit, aduentante iam partus tempore, in supernas  
 se partis profert, ad fouenda vita atque lucis rudimenta  
 praesto est, & recens natis notum & familiarem victum  
 offert? Quamobrem non frustra creditum est, sicuti va-  
 leat ad fingendas corporis atque animi similitudines vis  
 & natura seminis, non secus ad eandem rem lactis quo-

que ingenia & proprietates valere. neque in hominibus id solum, sed in pecudibus quoque animaduersum. nam si ouium lacte hœdi aut caprarum agni alantur; constat ferme in his lanam duriolem, in illis capillum gigni teneriolem. in arboribus etiam & frugibus maior plerumque vis & potestas est, ad earum indolem vel detrectandam vel augendam, aquarum atque terrarum qua alunt; quam ipsius quod iacitur seminis. ac sæpè videas arborem latam & nitentem in locum alium transpositam, deterioris terræ succo, deperisse. Quæ, malum, igitur ratio est, nobilitatem istam nati modo hominis; corpusque & animum bene ingeniatis primordijs inchoatum insituo de-generique alimento lactis alieni corrumpere? præsertim si ista, quam ad præbendum lactem adhibebitis, aut serua aut seruilis est; ut plerumque solet, externa at-que barbaræ nationis, si improba, si informis, si impudica, si temulenta est. nam plerumque sine discrimine; quacumque id temporis lactens est, adhiberi solet. Patiemurne igitur infantem hunc nostrum pernicioso contagio infici; & spiritum ducere in animum atque in corpus suum ex corpore & animo deterrimo? id Hercle ipsum est, quod sæpenumero miramur quosdam pudicarum mulierum liberos parentum suorum neque corporibus neque animis similes existere scite igitur & peritè noster Ma-ro, quod, cum versus illos Homeri cõsectaretur

--εὐκάρῃ σοὶ γέ πατὴρ ἦν ἰσπότη Πηλεὺς

Οὐδὲ θεὸς μήτηρ. γλαυκὴ δὲ σ' ἔπικτε δάλασας

Πέτρα τ' ἠλίβατος ὅπ' τοι νόθ' ἔστιν ἀπνής,

non partionem solam, tamquam ille quem sequebatur; sed alituram quoque feram & seuam criminatus est ad-didit enim hoc de suo:

Hircanæque admorunt vbera tigres:

quoniam videlicet in moribus inoleſcendis magnam fere partem ingenium altricis & natura lactis tenet: quæ iam à principio imbuta paterni ſeminiſ concretionẽ, ex matris etiam corpore & animo recentem indolem configurat. & præter hæc autem quis illud etiam negligere aſpernarique poſſit, quod quæ partus ſuos deſerunt ablegantque à ſeſe & alijs nutriendos dedunt, vinculum illud coagulũque animi atque amoris, quo parentes cum filijs natura conſociat, interſcindunt, aut certè quidem diluunt deteruntque. nam ubi infantis aliorſum datifacta ex oculis amolitiõ eſt; vigor ille maternæ fragrantia ſenſim atque paulatim reſtinguitur; omniſque impatientiſſimã ſollicitudinis ſtrepitus conſileſcit. neque multo minor amendati ad nutricem aliam filij quam morte amiſſi obliuiõ eſt. ipſius quoque infantis affectiõ animi, amoris, conſuetudinis, in ea ſola, vnde alitur, occupatur; & proinde, vt in expoſitis uſu venit, matris quæ genuit neque ſenſum ullum neque deſiderium capit. ac propterea obliſſeratis & aboliſſis natiuæ pietatis elementis, quicquid ita educati liberi amare patrem atque matrem videntur, magnam fere partem non naturalis ille amor eſt, ſed ciuilis & opinabilis. Hæc Favorinum dicentem audiui Græca oratione. cuius ſententias, communis utilitatis gratia, quantum meminiffe potui, retuli. amœnitates verò & copias ubertateſque verborum Latina omniſ facundia vix quidem indipiſci potuerit; mea tenuitas nequaquam.

Quod Annæus Seneca iudicans de Q. Ennio deque M. Tullio leui futilique iudicio fuit:

**D**E *Annao Seneca partim existimant ut de scriptore minimè utili ; cuius libros attingere nolum precium operæ sit : quod oratio eius vulgaris videatur & prostrata ; res atque sententiæ aut inepto inanique impetu sint , aut ut leui & quasi dicaci argutia ; eruditio autem vernacula & plebeia nihilque ex veterum scriptis habens neque gratia neque dignitatis. alij vero elegantie quidem in verbis parum esse non inficias eunt ; sed & rerum, quas dicat , scientiam doctrinamque ei non deesse dicunt ; & in vitijs morum obiurgandis severitatem gravitatemque non inuenustam. mihi de omni eius ingenio deque omni scripto iudicium censuramque facere non necessum est. sed quod de M. Cicerone & Q. Ennio & P. Virgilio iudicavit , ea res cuiusmodi sit ad considerandum ponemus. in libro enim vicesimo secundo Epistolarum moralium , quas ad Lucilium composuit , deridiculos versus Q. Ennium de Cethego antiquo viro fecisse hos dicit :*

--- dictus ollis popularibus olim

Quitum viuebant homines , atque ævum  
agitabant,

Flos delibatus populi , & suada medulla.

*ac deinde scribit de isdem versibus verba hæc. Admiror eloquentissimos viros & deditos Ennio pro optimis ridicula laudasse. Cicero certè inter bonos eius versus & hos refert. atque id etiam de Cicerone dicit : Non mitior , inquit , fuisse qui hos versus scriberet ; cum fuerit qui laudaret : nisi forte Cicero summus orator agebat causam suam , & volebat hos versus videri bonos. postea hoc etiam addidit insulsißimè. Apud ipsum quoque , inquit , Ciceronem inuenies etiam in prosa oratione quædam ; ex quibus intelligas il-*

lum non perdidisse operam, quod Ennium legit, ponit deinde quæ apud Ciceronem reprehendat, quasi Enniana: quod ita scripserit in libris de republica. Vt Menelao Laconi quædam fuit suauiloquentis iucunditas. & quod alio in loco dixerit, breuiloquentiam in dicendo colat. atque ibi homo nugator Ciceronis errores deprecatur. & Non fuit, inquit, Ciceronis hoc vitium, sed temporis. necesse erat hæc dici, cum illa legerentur. deinde adscribit Ciceronem hæc ipsa interposuisse ad effugiendam infamiam nimis lasciuæ orationis & nitidæ. De Virgilio quoque eodem in loco verba hæc ponit. Virgilius quoque noster non ex alia causa duos quosdam versus & enormes & aliquid supra mensuram trahentis interposuit, quàm vt Ennianus populus agnosceret in nouo carmine aliquid antiquitatis. Sed iam verborum Seneca piget. hæc tamen & inepti & insubidi hominis ioca non præteribo. Quidam sunt, inquit, t m magni sensus Q. Ennii, vt, licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter vn̄uentatos placere. & cum reprehendisset versus quos supra de Cethego posuimus, Qui huiuscemodi, inquit, versus amant, liqucat tibi eosdem admirari & Sote ici lectos. Dignus sane Seneca videatur lectione ac studio adolescentium, qui honorem coloremque veteris orationis Soterici lectis compararit, quasi minima scilicet gratiæ, & relictis iam contentisque. audias tamen commemorari ac referri pauca quædam, quæ idem ipse Seneca bene dixerit. quale est illud, quod in hominem auarum & auidum & pecuniæ sitientem dixit. Quid enim refert quantum habeas? multo illud plus est quod non

habes. bene hoc sanè. bene. sed adolescentium indolentia non tam inuuant quæ bene dicta sunt, quam inficiunt quæ pessime; multoque magis, si & plura tanto quæ deteriora sunt, & quædam in his non pro enthymemate aliquo rei parua ac simplicis sed in re ancipite pro consilio dicuntur.

Lictoris vocabulum qua ratione conceptum ortumque sit, & super eo diuersæ sententiæ Valgii Rufi & Tullii Ciceronis,

## CAPVT III.

**V**algius Rufus in secundo librorum, quos inscripsit de rebus per epistolam quaesitis, lictorem dicit à ligando appellatum esse. quod, cum magistratus P. R. virgis quempiam verberari iussissent, cura eius & manus ligari vincirique à viatore solita sint; isque, qui ex collegio viatorum officium ligandi haberet, lictor sit appellatus: utiturque ad eam rem testimonio M. Tullij, verbaque eius refert ex oratione, quæ dicta est pro C. Rabirio. Lictor, inquit, colliga manus. Hac ita Valgius, & nos sane cum illo sentimus. sed Tiro Tullius M. Ciceronis libertus lictorem vel à limo vel à licio dictum scripsit. licio enim transuerso, quod limum appellatur, qui magistratibus, inquit, præministrabant cincti erant. Si quis autem est qui propterea putat probabilius esse, quod Tiro dixit, quoniam prima syllaba in lictore, sicuti in licio producta est, & in eo verbo, quod est ligo correpta est: nihil ad rem istuc pertinet. nam sicut à ligando lictor, & à legendo lector, & à viuendo victor, & tuendo tutor, & struendo structor, productis quæ corripiebantur vocalibus dicta sunt.

## CAPVT IIII.

Versus accepti ex Ennij septimo annalium,  
quibus depingitur finiturque ingenium,  
comitâsque hominis minoris erga ami-  
cum superiorem.

**D**Escriptum definitumque est à Q. Ennio, in anna-  
li septimo, graphicè admodum scitèque, sub histo-  
ria Gemini Seruili, viri nobilis, quo ingenio, qua co-  
mitate, qua modestia, qua fide, qua lingua parsimo-  
nia, qua loquendi oportunitate, quanta rerum antiqua-  
rum morumque veterum ac nouorum scientia, quantâ-  
que seruandi tuendique secreti religione, qualibus deni-  
que ad mœniendas vitas molestias fomentis, leuamen-  
tis, solatiis, amicum esse conueniat hominis genere &  
fortuna superisri. Eos ego versus non minus frequenti  
assiduòque memoratu dignos puto, quam philosopho-  
rum de officiis decreta. ad hoc color quidam vetustatis  
in his versibus tam reuerendus est, suauitas tam impro-  
misca tamque à fuce omni remota est, ut, mea quidem  
sententia, pro antiquis sacratisque amicitia legibus ob-  
seruandi, tenendi, colendique sint. quapropter adscriben-  
dos eos existimaui, si quis iam statim desideraret.

Hæc locutus vocat, quo cum bene sæpè li-  
benter

Mensam sermonesque suos rerumque sua-  
rum

Comiter impertit: magnam cum lassus  
diei

Partem fuisset, de summis rebus geun-  
dis,

Consilio, indu foro lato sanctoque senatu,

Cui res audacter magnas paruasque iocun-  
que

Eloqueretur ; cuncta malusque & quæ bo-  
na dictu

Euomeret si qui vellet, tutoque locaret.

Quocum multa volupac gaudia claque  
palamque.

Ingenium ; cui nulla malum sententia sua-  
det

Vt faceret facinus leuis, haud malus, doctus,  
fidelis,

Suaui homo, facundus, suo contentus,  
beatus,

Scitus, secunda loquens in tempore, com-  
modus, verbum

Paucum, multa tenens antiqua sepulta, ve-  
tustas

Quæ facit, & mores veteresque novosque  
tenentem,

Multorum veterum leges Diuumque ho-  
minumque

Prudentem ; qui dicta loquive tacereve  
posset.

Hunc inter pugnas compellat Seruilius sic.

*L. Alium Stilonem dicere solitum ferunt Q. Ennium de  
semetipso hæc scripssisse; picturamque istam morum Cin-  
genij ipsius Ennij factam esse.*

C A P V T V.

Sermo Tauri philosophi de modo atque ratione  
tolerandi doloris secundum Stoicorum de-  
creta.



**C**um Delphos ad Pythia conuentumque totius ferme  
 Græcia visendum philosophus Taurus iret; nosque  
 ei comites essemus; inque eo itinere Lebadiam venisse-  
 mus, quod est oppidum antiquum in terra Bœotia: affer-  
 tur ibi ad Taurum, amicum eius quempiam nobilem in  
 Stoica disciplina philosophum agra valetudine oppressum  
 decumbere. tunc omisso itinere, quod alioquin maturan-  
 dum erat, & relictis vehiculis, pergit eum properè vi-  
 dere; nosque de more quem in locum cumque iret secuti  
 sumus. & ubi ad ædes, in quibus ille agrotus erat, perueni-  
 mus: videmus hominem doloribus cruciatibusque alui,  
 quod Græci colon dicunt, & febris simul rapida affli-  
 ctari; gemitusque ex eo compressos erumpere; spiritusque  
 & anhelitus è pectore eius euadere non dolorem magis in-  
 dicantes quam pugnam aduersum dolorem. post deinde  
 cum Taurus & medicos accersisset, collocutusque de fa-  
 cienda medela esset; & eum ipsum ad retinendam pa-  
 tientiam testimonio tolerantia, quam videbat, perhibi-  
 to stabilisset; egressique deinde ad vehicula & ad comites  
 rediremus: Vidistis, inquit Taurus, non sanè iucun-  
 dum spectaculum, sed cognitu tamen utile, congregantes  
 compugnantisque philosophum & dolorem. faciebat vis  
 illa & natura morbi, quod erat suum, distractionem  
 cruciatumque membrorum; faciebat contra ratio & na-  
 tura animi, quod erat æque suum: perpetiebatur & co-  
 hibebat coercebátque intra sese violentias effrenati dolo-  
 ris. nullos eiulatus, nullas complorationes, ne vllas qui-  
 dem voces indecoras edebat: signa tamen quedam, sicut  
 vidistis, existebant virtutis & corporis de possessione  
 hominis pugnantium. Tum è sectatoribus Tauri iuuenis  
 in disciplinis philosophia non ignauus Si tanta, inquit,  
 doloris acerbitas est, ut contra voluntatem contraque iu-  
 dicium animi nitatur, inuitumque hominem cogat

ad gemendum confitendumque de malo morbi sciuentis; cur dolor apud stoicos indifferens esse dicitur, non malum? cur deinde aut stoicus homo cogi aliquid potest, aut dolor cogere, cum & dolorem stoici nihil cogere & sapientem nihil cogi posse dicant? Ad ea Taurus, vultu iam propemodum latiare (delectatus enim videbatur illecebra questionis) Si iam amicus, inquit, hic noster melius valeret, gemitus eiusmodi necessarios à calumnia defendisset, & hanc, opinor, tibi questionem dissoluisset. me autem scis cum stoicis non bene conuenire vel cum stoica potius disciplina. est enim pleraque & sibi & nobis incongruens: sicut libro, quem super ea re composuimus, declaratur. sed, ut tibi à me mos geratur, dicam ego indoctus, ut aiunt, & apertius; quæ fuisse dicturum puto sinuosius atque sollertius si quis nunc adesset stoicorum. nosti enim, credo, verbum illud vetus & per-  
 vulgatum: ἀμαδῆσέρον πῶς εἰπέ, καὶ σαφέστερον λέγε. atque hinc exorsus de dolore atque de gemitu stoici agrotantis ita disseruit. Natura, inquit, omnium rerum, quæ nos genuit, induit nobis inolemitque in ipsis statim principis, quibus nati sumus, amorem nostri & caritatem: ita prorsus, ut nihil quicquam esset carius pensiusque nobis, quàm nosmetipsi. atque hoc esse fundamentum rata est conseruanda hominum perpetuitatis, si vnusquisque nostrum, simul atque editus in lucem foret, harum prius rerum sensum affectionemque caperet, quæ à veteribus philosophis τὰ ἀρώτα καὶ ψῶσις appellata sunt; ut omnibus scilicet corporis sui commodis gauderet, ab incommodis omnibus abhorreret. postea per incrementa ætatis exorta è seminibus suis ratio est & utendi consilij reputatio, & honestatis utilitatique veræ contemplatio subtiliorque exploratio commodorumque dele-

Etus : atque ita præ ceteris omnibus enituit & præfulsit  
 decori & honesti dignitas ; ac , si ei retinendæ obstru-  
 endæ incommodum extrinsecus aliquod obstaret , contem-  
 tum est. neque aliud esse vere & simpliciter bonum nisi  
 honestum , aliud quicquam malum nisi quod turpe esset ,  
 existimatum est. reliqua omnia , quæ in medio forent ac  
 neque honesta essent neque turpia , neque bona esse neque  
 mala decretum est. productiones tamen & relationes  
 suis quaque momentis distinctæ diuisæque sunt quæ ὀνομα-  
 ζούμενα καὶ ἀπονομαζόμενα ipsi vocant. propterea vo-  
 luptas quoque & dolor , quod ad finem ipsum bene bea-  
 teque viuendi pertinet , & in mediis relictæ & neque  
 in bonis neque in malis iudicata sunt. Sed enim quo-  
 niam his primis sensibus doloris voluptatisque , ante con-  
 silij & rationis exortum , recens natus homo imbutus est ;  
 & voluptati quidem natura conciliatus , à dolore au-  
 tem quasi ab graui quodam inimico abiunctus aliena-  
 tusque est : iccirco affectiones istas primitus penitusque  
 inditas ratio post addita conuellerè ab stirpe atque extin-  
 guere vix potest. pugnat autem cum his semper : exultan-  
 tis eas opprimis obteritque , & parere sibi atque obedi-  
 re cogit. itaque vidistis philosophum ratione decreti sui  
 nixum cum petulantia morbi dolorisque exsultantia col-  
 luctantem , nihil cedentem , nihil confitentem , neque,  
 ut plerique dolentes solent , heulantem atque lamen-  
 tantem , ac miserum sese & infelicem appellantem , sed  
 acres tantum anhelitus & robustos gemitus edentem ,  
 signa atque indicia non victi neque oppressi à dolore sed  
 vincere eum atque opprimere enitentis. sed haud scio , inquit ,  
 an dicat aliquis ipsum illud quod pugnat , quod gemit , si  
 malum dolor non est , cur necesse est gemere & pugnare ? quia  
 enim omnia , quæ non sunt mala , molestia quoque omni non

carent; sed sunt pleraque noxa quidem magna & pernicie primata, quia non sunt turpia; contra natura tamen mansuetudinem lenitatemque opposita sunt, & infesta. per obscuram quandam & necessariam ipsius natura consequentiam. hæc ergo vir sapiens tolerare & cunctari potest; non admittere omnino in sensum sui non potest. *ἐναλγυνοῖα* enim atque *ἀπᾶθια* non meo tantum, inquit, sed quorundam etiam ex eadem porticu prudentiorum hominum, sicuti Panatij grauis atque docti viri, iudicio improbata abiecta que est. Sed cur contra voluntatem suam gemitus facere cogitur philosophus Stoicus, quem nihil cogi posse dicunt? nihil sane potest cogi vir sapiens cum est rationi obtinenda locus. cum vero natura cogit, ratio quoque à natura data cogitur. quare etiam, si videtur, cur alicuius manu ob oculos suos repente agitata inuitus conuiueat; cur fulgente celo à luminis iactu non sua sponte & caput & oculos declinet; cur tonitru vehementius factò sensim pauescat; cur sternumentis quatitur; cur aut in ardoribus solis æstuet, aut in pruinis immanibus obrigescat. Hæc etenim & pleraque alia non voluntas nec cõsiliium nec ratio moderatur: sed natura necessitatìsque decreta sunt. fortitudo autem non ea est, que contra naturam, monstri vicem, nititur, ultraque modum eius egreditur, aut stupore aximi aut immanitate aut quadam misera & necessaria in perpetiendis doloribus exercitatione. qualem fuisse accepimus ferum quendam in ludo Cesaris gladiatorem: qui, cum vulnera eius à medicis exsiccabantur, ridere solitus fuit. sed ea vera & proba fortitudo est, quam maiores nostri scientiam esse dixerunt rerum tolerandarum & non tolerandarum per quod apparet esse quadam intolerabilia, quibus fortes viri aut obeundis abhorreant aut sustincendis.

Cum hæc Taurus dixisset, videreturque in eandem rem plura etiam dicturus: peruentum est ad vehicula & conscendimus.

## CAPVT VI.

## De ænigmate.

**Q**Uæ Græci dicunt ænigmata, hoc genus quiddam è nostris veteribus scirpos appellauerunt. quale est quod nuper inuenimus perhercle antiquum, perquam lepidum, tribus versibus senarijs compositum ænigma: quod reliquimus inenarratum, vt legentium coniecturas inquirendo acueremus. versus tres hi sunt.

Semel minusne, an bis minus sit non sat scio,  
An vtrumque eorum, vt quondam audiui  
dicere,

Ioui ipse regi noluit concedere.

Hoc qui nolet distinctus apud sese querere, inueniet quid sit in M. Varronis de sermone Latino ad Marcellum libro secundo.

## CAPVT VII.

Quam ob causam Cn. Dolabella proconsul ream mulierem veneficii confitentemque ad Areopagitas reiecerit.

**A**D Cn. Dolabellam proconsulari imperio provinciam Asiam obtinentem deducta mulier Smyrnæa est. eadem mulier virum & filium eodem tempore venenis clam datis vita interfecerat: atque id fecisse se confitebatur; dicebatque habuisse se faciendi causam. quoniam idem illi maritus & filius alterum filium mulieris ex viro priore genitum adolescentem optimum & innocentissi-

imum exceptum insidiis occidissent. idque ita esse factum controuersia non erat. Dolabella retulit ad consilium. nemo quisquam ex consilio sententiam ferre in causa tam ancipiti audebat. quod & confessum veneficium, quod maritus & filius necati forent, non admittendum impunitum videbatur; & digna tamen pœna in homines sceleratos vindicatum fuisset Dolabella eam rem Athenas ad Areopagitas, ut ad iudices grauiiores exercitioresque, reiecit. Areopagita cognita causa accusatorem mulieris & ipsam quæ accusabatur centesimo anno adesse iusserunt. sic neque absolutum mulieris veneficium est, quod per leges non licuit; neque nocens damnata pœnitæque, quæ digna venia fuit. Scripta hæc historia est in libro Valerii Maximi factorum & dictorum memorabilium octauo.

## CAPVT VIII.

Reditiones in gratiam nobilium virorum memoratu dignæ.

**P**. Africanus superior & Tib. Gracchus Tib. & C. Gracchorum pater, rerum gestarum magnitudine & honorum atque vitæ dignitate illustres viri disenserunt sæpenumero de republica: & ea siue qua alia re non amici fuerunt, ea simul ac cum diu mansisset, & sollemni die Ioui libaretur, atque ob id sacrificium senatus in Capitolio epularetur: fors fuit ut apud eandem mensam duo illi iunctim locarentur. tum, quasi dis immortalibus arbitris in conuiuio Iouis optimi maximi dexteris eorum conducentibus, repente amicissimi facti: neque solum amicitia incepta, sed affinitas simul instituta. nam P. Scipio filiam virginem habens iam vtro maturam ibi tunc eodem in loco despondit eam Tib. Graccho; quem

probauerat elegerátque exploratissimo iudicij tempore, dum inimicus est. *Aemilius* quoque *Lepidus* & *Fulvius Flaccus*, nobili genere amplissimisque honoribus & summo loco in ciuitate präditi, odio inter sese graui & simultate diutina conflictati sunt. postea *populus* eos simul censores facit. atque illi, ubi voce praconis renuntiati sunt, ibidem in campo statim, nondum dimissa cōcione, vltro uterque & pari voluntate coniuncti complexique sunt: exque eo die & in ipsa censura & postea in gi concordia fidsimè amicissimèque vixerunt.

## CAPVT IX.

Quæ dicantur vocabula ancipitia, & quod honoris quoque vocabulum ancipiti sententia fuerit.

**E**st plurifariam videre atque animaduvertere in veteribus scriptis pleraque vocabula, quæ nunc in sermonibus vulgi vnã certãque rem demonstrant, ita fuisse media & communia, vt significare & capere possent duas inter se res contrarias. ex quibus quedam satis nota sunt, vt tempestas, valetudo, facinus, dolus, grãtia, industria. hæc enim fere iam volgatum est ancipitia esse & utroqueuersus dici posse. periculum etiam & venenum & contagium non, vti nunc dicuntur pro malis tandem dicta esse, multum exemplorum huiusmodi reperias: sed honorem quoque mediam vocem fuisse, & ita appellatum vt etiam malus honos diceretur & significaret iniuriam, id profecto rarissimum est. *Quintus autem Metellus Numidicus* in oratione, quam de triumpho suo dixit, his verbis vsus est. Quain re quanto vniuersi me vnum antilitatis; tanto vobis quam mihi maiorem iniuriam atque contumeliam facit *Quirites*: & quanto probi

*Alius quidam veterum poetarum, cuius nomen mihi nunc memoria non est, veritatem Temporis filiam esse dixit.*

## CAPUT XII.

Faceta responsio. M. Ciceronis amolientis à se crimen manifesti mendacii.

**H**Æc quoque disciplina rhetorica est, callide & cum astu res criminosas citra periculum confiteri; ut si obiectum sit turpe aliquid, quod negari non queat, responsione ioculari eludas; & rem facias risu magis dignam quam crimine. sicut fecisse Ciceronem scriptum est, cum id, quod inficiari non poterat, urbano facetoque dicto diluit. nam cum emere vellet in palatio domum, & pecuniam in præsens non haberet; à P. Sulla, qui tum reus erat, mutua sestertia vicicens tacita accepit. ea res tamen, priusquam emeret, prodita est & in vulgus exiit: obiectumque ei est quod pecuniam, domus emenda causa, à reo accepisset. tum Cicero inopinata opprobriatione permotus accepisse se negavit: atque adeo, inquit, verum sit accepisse me pecuniam, si domum emero. sed cum postea emisset; & hoc mendacium in senatu ei ab inimicis obijceretur: risit satis; atque inter ridendum ἀνομιοντοί, inquit, homines estis, cum ignoratis prudentis & cauti patris-familias esse, quod emere velit, emturum sese negare, propter competitores emtionis.



versus est.

Qui postquam tibi appareo atque æditumor  
in templo tuo.

*Titus autem Lucretius in carmine suo, pro ædituis, ædi-  
tuentes appellat.*

## CAPVT XI.

Errare istos, qui spe & fiducia latendi peccent;  
cum latebra peccati perpetua nulla sit: & su-  
per ea re Peregrini philosophi sermo ex So-  
phocli poetæ sententia.

**P**hilosophum nomine Peregrinum, cui postea cogno-  
mentum Proteus factum est, virum grauem atque cō-  
stantem vidimus, cum Athenis essemus, deuersantem  
in quodam tugurio extra urbem, cumque ad eum frequen-  
ter vēitarem: multa hercle dicere eum utiliter & ho-  
nestè audiuiimus, in quibus id fuit, quod præcipuū auditū  
meminimus. Virum quidē sapientem non peccaturum es-  
se dicebat, etiam si peccasse eum dij atque homines ignora-  
turi forent, non enim pœna aut infamia metu non esse pec-  
candū, sed iusti honestique studio & officio, si qui tamen  
non essent tali ingenio vel disciplina præditi, uti se vi sua  
ac sponte facile à peccando tenerent; eos omnis tunc peccare  
procliuus existimabat, cum latere posse id peccatum puta-  
rent; impunitatēque ex ea latebra sperarent. at si sciāt,  
inquit, homines nihil omnium rerum diutius posse celari:  
suppressius pudentiūque peccabitur, propterea versus istos  
Sophocli prudentissimi poetarum in ore esse habendos di-  
cebat:

Πρὸς ταῦτα κρύπτει μηδὲν ὡς ἀπανθ' ὄρεον  
καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀνακλύσσει χέρονος.

est ut iudex intra Kalendas pronuntiet; occupavit iam hæc omnis opinio non esse dubium quin ante Kalendas iure pronuntietur. & id tantum ambigi video quod tu quaris, an Kalendis quoque iure pronuntietur. ipsum autem verbum sic proculdubio natum est, atque ita sese habet; ut, cum dicitur, intra Kalendas, non aliis accipi dies debeat quam solæ Kalendæ. nam tres istæ voces, intra, citra, ultra, quibus certi locorum fines demonstrantur, singularibus apud veteres syllabis appellabantur, in, cis, vls. hæc deinde particula quoniam paruo exiguoque sonitu obscuris promebantur; addita est tribus omnibus eadem syllaba: & quod dicebatur, cis Tiberim, & vls Tiberim, dici cœptum est, citra Tiberim & ultra Tiberim. item quod erat, in, accedente eadem syllaba, intra, factum est. sunt ergo hæc omnia quasi contermina iunctis inter se finibus coherentia, intra oppidum, ultra oppidum, citra oppidum. ex quibus, intra, sicuti dixi, in, significat. nam qui dicit, intra oppidum, intra cubiculum, intra ferias, non dicit aliud quam, in oppido, in cubiculo, in feriis. intra kalendas igitur non ante kalendas est, sed in kalendis: id est, eo ipso die quo Kalendæ sunt. itaque, secundum verbi ipsius rationem, qui iussus est intra kalendas pronuntiare nisi Kalendis pronuntiet, contra iussum vocis facit. nam, si ante id fiat, non intra pronuntiat sed citra. nescio quo autem pacto recepta volgò interpretatio est absurdissima, ut intra Kalendas significare videatur etiam citra kalendas vel ante kalendas. nihil enim fermè interest. atque insuper dubitatur an ante kalendas quoque pronuntari possit; quando neque ultra neque citra, sed, quod inter hæc medium est, intra kalen-

## CAPVT XIII.

*Intra Kalendas cum dicitur quid significet, vtrum ante Kalendas an Kalendis an vtrumque: atque inibi quid sit in oratione M. Tullii intra Oceanum & intra montem Taurum & in quadam epistola intra modum.*

**C**um Romæ à Consulibus iudex extra ordinem datus pronuntiare intra Kalendas iussus essem; Apollinarem Sulpicium doctum hominem percunctatus sum an his verbis, intra Kalendas, ipse quoque Kalendæ tenerentur: dixique ei me videlicet datum, Kalendâsque mihi predictas vt intra eum diem pronuntiaerem. Cur, inquit, hoc me potius rogas, quam ex istis aliquem peritis studiosisque iuris, quos adhibere in consilium iudicaturi soletis? tum illi ego ita respondi. Si aut de vetere, inquam, iure, aut recepto, aut controverso & ambiguo, aut nouo & constituto discendum esset; issem planè sciscitatum ad istos quos dicis. sed cum verborum Latinorum sententia, vsus, ratio exploranda sit; scauus profecto & cacus animi forem si, cum haberem tui copiam, issem magis ad alium quam ad te. Audi igitur, inquit, de ratione verbi quid existimem. sed eo tamen pacto, vt id facias, non quod ego de proprietate vocis disseruero, sed quod in ea re omnium plurimumve consensu obseruari cognoueris. non enim verborum tantum communium vera atque propria significationes longiore vsu mutantur; sed legum quoque ipsarum iussa consensu tacito oblitterantur. tum deinde disseruit me & plerisque alijs audientibus in hunc ferme modum. Cum dies, inquit, ita praefinita

postea in libro M. Tullij epistolarum ad Ser. Sulpicium sic dictum esse inuenimus, intra modum, ut intra kalendas dicunt qui dicere, citra kalendas, volunt. verba hæc Ciceronis sunt, quæ apposui. Sed tamen quoniam effugi eius occasionem, qui fortasse arbitraretur me hanc rem imperitè non putare, si perpetuo tacerem: modicè hoc faciam aut etiam intra modum, ut & illius voluntati & meis studiis seruiam, modice, dixerat, id est, cum modo equo & pari. deinde, quasi hoc displiceret & corrigere id vellet, addit; aut etiam intra modum. per quod ostendit minus sese id facturum esse, quam quod fieri modice videretur: id est, non ad ipsius modum, sed retro paululum & citra modum. In oratione etiam, quam pro P. Sestio scripsit, intra montem Taurum, sic dicit, ut non significet in monte Tauro, sed vsque ad montem Taurum cum ipso monte. verba sunt hæc ipsius M. Tullij, ex ea, quam dixi, oratione. Antiochum magnum illum maiores nostri magna belli contentione terra marique superatum intra montem Taurum regnare iusserunt: Asiam, qua illum multarunt, Attalo, ut is in ea regnaret, condonarunt. intra montem, inquit, Taurum regnare iusserunt. quod non proinde est, ut, intra cubiculum, dicimus: nisi videri potest id esse, intra montem, quod est, intra regiones quæ Tauri montis obiecta seperantur. nam sicuti qui intra cubiculum est, is non in cubiculi parietibus sed intra parietes est quibus cubiculum includitur, qui tamen ipsi quoque parietes in cubiculo sunt: ita, qui regnat intra montem Taurum, non solum in monte Tauro regnat, sed in his etiam regionibus quæ Tauro monte clauduntur. Num igitur secundam istam verborum M. Tullij similitudinem, qui iubetur in-

das, id est, kalendis pronuntiandum sit. sed nimirum consuetudo vicit: quæ cum omnium domina rerum, tum maxime verborum est. Ea omnia cum Apollinaris scitè perquam atque enucleatè disputauisset: tum ego hæc dixi; Cordi, inquam, mihi fuit, priusquam ad te irem, querere explorareque quonam modo veteres nostri particula ista, qua de agitur, vsi sint. atque ita inuenimus Tullium in tertia in Verrem scripsisse. Est autem modò locus intra Oceanum iam nullus neque tam longinquus neque tam reconditus, quo non per hæc tempora nostrorum hominum libido iniquitasque peruaserit. intra oceanum, dicit contra rationem tuam. non enim vult, opinor, dicere in oceano. terras enim demonstrat omnis, quæ oceano ambiuntur, ad quas à nostris hominibus adiri potest, quæ sunt citra oceanum, non, in oceano. neque enim videri potest insulas significare nescio quas, quæ penitus esse intra æquora ipsa oceani dicuntur. tunc Sulpicius Apollinaris renidens Non mehercle inargutè, inquit, nec incallidè opposuisti hoc Tullianum. sed Cicero intra oceanum, non, ut tu interpretare, citra oceanum dixit. Quid enim potest dici citra oceanum esse, cum undique oceanus circumscribat omnis terras & ambiat? nam citra quod est, id extra est. què autem potest intra esse dici quod extra est? sed si ex una tantum parte orbis oceanus foret; citra oceanum esse dici posset vel ante oceanum. cum vero omnis terras omnifariam & undiqueuersum circumfluat: nihil citra eum est; sed undarum illius ambitu terris omnibus conuallatis, in medio eius sunt omnia, quæ intra oras eius inclusa sunt. sicuti hercle sol non citra calum vertitur, sed in calo & intra calum. Hæc tunc Apollinaris scitè acutèque dicere visus est. sed

Quod Siſenna in libris hiftoriarum aduerbiis huiuscemodi ſæpe numero uſus eſt, *calatim, vellicatim, ſaltuatim.*

## CAPVT XV.

**C**um lectitaremus hiftoriam Siſenna aſidue; huiuscemodi figura aduerbia in oratione eius animaduertimus; cuiusmodi ſunt hæc, *cuſtim, proprietatim, celatim, vellicatim, ſaltuatim.* ex quibus duo prima, quia ſunt notiora, exemplis non indigebant. reliqua in hiftoriarum ſexto ſic ſcripta ſunt. Quam maxime celatim poterat in inſidiis ſuos diſponit. item alio in loco: Nos vna ætate in Aſia & Græcia litteris geſta idcirco continentia mandauimus, ne vellicatim aut ſaltuatim ſcribendo lectorum animos impediremus.

tra Kalendas pronuntiare, is & ante Kalendas, & ipsis Kale. dis iure pronuntiare potest: neque id fit quasi privilegio quodam insita consuetudinis, sed certa rationis obseruatione: quoniam omne tempus, quod Kalendarum die includitur, intra Kalendas esse rectè dicitur.

Saltem particula quam vim habeat & quam originem.

## CAPVT XIII.

**S**altem particula quam haberet principem significationem, quaque vocis istius origo esset, quarebamus. ita enim primitus factam esse apparet, ut non videatur, sicuti quaedam supplementa orationis, temere & incondite assumpta. atque erat qui diceret legisse se in grammaticis commentarijs P. Nigidij, saltem ex eo dictum, quod esset, si aliter: idque ipsum dici solitum per defectiorem: nam plenam esse sententiam, si aliter non potest. sed id nos in istem commentarijs Nigidij, cum eos non, opinor, incuriosè legissemus, nusquam inuenimus. videntur autem verba ista, si aliter non potest, à significatione quidem voculae huius, de qua quaerimus, non aberrare. sed tot verba tamen in paucissimas litteras cludere improba cuiusdam subtilitatis est. Fuit etiam qui diceret homo in libris atque litteris assiduus, saltem, sibi dictum videri u littera media extrita. salutem enim ante dictū, quod nos saltem diceremus. nam cū alia quaedam petita & non impetrata sunt; tum solemus inquit, quasi extremum aliquid petituri, quod negari minime debeat, dicere; hoc saltem fieri aut dari oportere; tamquam salutem postremo petentes, quam impetrari certè & obtineri sit aequissimum. sed hoc itidem non illepide quidem fictum, nimis tamen esse videtur commenticium.

Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον αἰδέσθαι εἰσαφίκηαι.

*Nihil autem dubium est quin violentam & inopinatam mortem significauerit: quæ quidem potest recte videri accidere præter naturam sed cur id quoque genus mortis extra fatum posuerit neque operis huius est explorare neque temporis. illud tamen non prætermittendum est, quod Virgilius quoque id ipsum quod Cicero de fato opinatus est, cum hoc in quarto libro dixit de Elysa, quæ mortem per vim potita est;*

Nam quia nec fato, merita nec morte pe-  
r. bat.

*tamquam in faciendo sine vita quæ violenta sunt non videantur è fato venire. Demosthenis autem, viri prudentia pari atque facundia præditi, verba idem ferè significantia de natura atque fato M. Cicero secutus videtur. ita enim scriptum est in oratione illa egregia, cui titulus est, ὑπὲρ σεφάνης: Ο μὲν ταῖς γονεῦσι μόνον γεγεννηθεῖσιν νομίζων, τὸν τῆς εἰμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει. ὃ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὡς τὸ μὴ ταύτην ὀπίσθιν δολεύσταν ἀποθνήσκεν ἐδέχθησιν. Quod Cicero fatum atque naturam videtur dixisse, id multo ante Demosthenes πῶς πεπωμένην καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον appellauit. Αὐτόματος enim θάνατος, quasi naturalis & fatalis, nulla extrinsecus vi coactus venit.*

Super poetarum Pacuuii & Accij colloquio familiarium in oppido Tarentino.

C A P V T I I.

**Q**uibus otium & studiū fuit vitas atque atates doctorū hominum querere ac memoria tradere, de M. Pacuio & L. Accio tragicis poetis historiam scripserunt huiusmodi. Cum Pacuuius, inquit, grandi iam atate



A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
TERTIVSDECIMVS.

Inquisitio verborum istorum M. Tullii curio-  
sior, quæ fuit in primo Antonianarum libro;  
*Multa autem impendere videntur præter naturam  
etiam præterque fatum: tractatumque an idem  
duo ista significant, fatum, atque, natura, an di-  
uersum.*

CAPVT I.

**M**. CICE RO in primo Antonianarū ita scri-  
ptū reliquit. Hūc igitur vt sequerer pro-  
peravi, quem præsentos non sunt secuti:  
non vt proficerem aliquid. neque e-  
nim sperabam id, nec præstare poteram. sed vt si  
quid mihi humanitus accidisset ( multa autem  
impendere videntur præter naturam etiam præ-  
terque fatum ) huius diei vocem testem reipubli-  
cæ relinquerem meæ perpetuæ erga se volunta-  
tis. præter naturam, *inquit*, præterque fatum. *an  
vtrumque idem valere voluerit, fatum atque naturam  
& duas res ἕξ' ἐνός ἁποκειμένης posuerit, an vero diui-  
serit seperaritque, vt alios casus natura ferre videatur a-  
lios fatum, considerandum equidem puto: atque id ma-  
xime requirendum, qua ratione dixerit accidere multa  
humanitus posse præter fatum: quando sic ratio & ordo  
& insuperabilis quadam necessitas fati constituitur; vt  
omnia intra fatum claudenda sint, nisi illud sane Home-  
ri secutus est;*

eo quod necessum est. sed necessitas sanè pro iure officioque obseruantia affinitatisque infrequens est: quamquam, qui ob hoc ipsum ius affinitatis familiaritatisve coniuncti sunt, necessarij dicuntur. repperi tamen in oratione C. Casaris, qua Plautiam rogationem suavit, necessitatem dictam pro necessitudine, id est, iure affinitatis. verba hæc sunt. Equidem mihi videor pro nostra necessitate non labore, non opera, non induitria defuisse. Hoc ego scripsi de utriusque vocabuli indifferentia, admonitus fortè verbi istius, cum legerem Sempronij Asellionis veteris scriptoris quartum ex historia librum. in quo de P. Africano Pauli filio ita scriptum est. Nam te patrem suum audisse dicere L. Aemilium Paulum, nimis bonum imperatorem signis collatis non decertare, nisi summa necessitudo aut summa ei occasio data esset.

## CAPUT IIII.

Olympiadis Alexandri matris comis ac prudens ad filium Alexandrum rescriptio.

**I**N plerisque monumentis rerum ab Alexãdro gestarum, paulo antè in libro M. Varronis, qui inscriptus est Oreltes vel de infania, Olympiadem Philippi uxorem festiuissimè rescripsisse legimus Alexandro filio. nam cum is ad matrem ita scripsisset. REX. ALEXANDER. IOVIS. HAMMONIS. FILIVS. OLYMPIADI. MATRI. SALVTEM. DICIT. Olympias ei rescripsit ad hanc sententiam. Amabo, inquit, mi fili quiescas. neque deferas me neque criminere aduersum Iunonem. malum mihi prorsum illa magnum dabit, cum tu me literis tuis pelicem illi esse confiteris. Ea mulieris scita atque prudentis erga ferocem filium comitas sensim

& morbo corporis diutino affectus, Tarentum ex urbe  
 Roma concessisset: Accius tunc haud paruo iunior pro-  
 ficiscens in Asia, cum in oppidum venisset, deuertit ad  
 Pacuum: comiterque inuitatus, plusculisque ab eo die-  
 bus retentus, tragœdiam suam, cui Atreus nomen est, de-  
 sideranti legit. tum Pacuum dixisse aiunt sonora qui-  
 dem esse, quæ scripsisset, & grandia; sed uideri ea tamen  
 sibi duriora paulum & acerbiora. Ita est, inquit Ac-  
 cius, uti dicis. neque id sane me pœnitet. meliora enim  
 fore spero quæ deinceps scribam. nam quod in pomis est;  
 itidem, inquit, esse aiunt in ingenijs: quæ dura & acer-  
 ba nascuntur, post fiunt mitia & iucunda. sed quæ gi-  
 gnuntur statim uicta & mollia, atque in principio sunt  
 uuida; non matura mox fiunt, sed putria. relinquen-  
 dam igitur uisum est in ingenio quod dies atque atas  
 mitificet.

An uocabula hæc necessitudo & necessitas differenti  
 significatione sint.

## CAPVT III.

**R**isu prorsus atque ludo res digna est, cum plerique  
 grammaticorum asseuerant necessitudinem &  
 necessitatem mutare longe, longèque differre: ideo quod  
 necessitas sit uis quæpiam premens & cogens; necessi-  
 tudo autem dicatur ius quoddam & uinculum religio-  
 se coniunctionis; idque unum solitarium significet. si-  
 cut autem nihil quicquam interest suauitudo dicas  
 an suauitas, sanctitudo an sanctitas, acerbitudo an  
 acerbitas, acritudo, an, quod Accius in Neoptole-  
 mo scripsit, acritas: ita nihil rationis dici potest, quæ  
 necessitudo & necessitas seperentur. itaque in li-  
 bris ueterum uulgo reperias necessitudinem dici, pro

334 *A. GELLII NOCT. ATT.*  
*delegisset. is erat è Lesbo Theophrastus, suauitate homo  
 insigni linguæ pariter atque vitæ. itaque non diu post,  
 Aristotele vitæ defuncto, ad Theophrastum omnes con-  
 cesserunt.*

CAPVT VI.

Quid veteres Latini dixerūt quas Græci *προσωδίας*  
 appellant; & idem quod vocabulum *barba-  
 rismi* non vsurpauerint neque Romani anti-  
 quiores neque Attici.

**Q**uas Græci *προσωδίας* dicunt, eas veteres docti tum  
*notas vocum tum moderamenta tum accentuincul-  
 las tum voculationes appellabant. quod nunc autem bar-  
 bare quem loqui dicimus, id vitium sermonis non barba-  
 rum esse sed rusticum, & cum eo vitio loquentes rustice  
 loqui dicitabant. P. Nigidius, in commētariis grammati-  
 cis, rusticus sit sermo, inquit, si adspices perperam.  
 itaque id vocabulum, quod dicitur vulgo barbarismus qui  
 ante diuini Augusti atatem purè atque integrè locuti sunt  
 an dixerint, nondum equidem inueni.*

CAPVT VII.

Diuersum de natura leonum dixisse Homerum  
 in carminibus & Herodotum in historiis.

**L**eanas inter omnem vitam semel parere, eoque uno  
 partu numquam edere plures quam unum, Herodo-  
 tus in tertia historia scriptum reliquit. verba ex eo libro  
 hæc sunt. *ἡ δὲ δὴ λέαινα, εὖδὲν ἰχυρότατον καὶ θρασύτατον,  
 ἀπαξ ἐν τῷ βίῳ πικτεῖ ἓν. πικτουσα γὰρ συνεκβάλλει τῷ  
 πέτρῳ τὰς μήτρας.* Homerus autem leones (sic enim femi-  
 nas quoque virili genere appellat quod grāmatici *ἄνθρωποι*)

Et comiter admonuisse eum visa est; deponendam esse opinionem vanam, quam ille ingentibus victoriis & adulantium blandimentis & rebus supra fidem prosperis imbiberat, genitum esse sese de Ioue.

## CAPVT V.

De Aristotele, Theophrasto, & Menedemo philosophis, deque eleganti verecundia Aristotelis successorem diatribæ suæ eligentis.

**A**ristoteles philosophus annos iam ferè natus duo & sexaginta, corpore agro affectoque, ac spe vita tenui fuit. tunc omnis eius sectatorum cohors ad eum accedit, orantes obsecrantesque ut ipse deligeret loci sui & magistrij successorem; quo, post summum eius diem, proinde ut ipso uterentur ad studia doctrinarum complenda excolendaque, quibus ab eo imbuti fuissent. Erant tunc in eius ludo boni multi, sed præcipui duo Theophrastus & Menedemus. ingenio hi atque doctrinis ceteros præstabant. alter ex insula Lesbo fuit, Menedemus autem Rhodo. Aristoteles respondit facturum esse quod vellent, cum id sibi foret tempestiuum. postea breui tempore cum idem illi, qui de magistro destinando petierant, præsentessent: vinum ait, quod tum biberet, non esse id ex valetudine sua sed insalubre esse atque asperum; ac propterea quari debere exoticum vel Rhodium aliquod vel Lesbium. id sibi vtrumque ut curarent, petiuit; & sursumque eo dixit, quod sese magis iuuisset. eunt. curant. inueniunt. adferunt. tum Aristoteles Rhodium petit. degustat. Firmum, inquit, hercle vinum & iucundum. petit mox Lesbium. quo item degustato. Vtrumque, inquit, oppido bonum, sed ἡδύων ἔλεος. id ubi dixit: nemini fuit dubium, quin, lepide simul & verecunde, successorem illa voce sibi non vinum

## CAPVT VIII.

Quod Afranius poeta prudenter & lepide sapientiam filiam esse Vfus & Memoriae dixit.

**E**Ximie hoc atque verissime Afranius poeta de gignenda comparandaque sapientia opinatus est; quod eam filiam esse Vfus & Memoriae dixit. eo namque argumento demonstrat, qui sapiens esse rerum humanarum velit; non libris solis neque disciplinis rhetoricis dialecticisque opus esse; sed oportere eum versari quoque exerceri in rebus cominus noscendis periclitandisque; eaque omnia acta & euenta firmiter meminisse; & proinde sapere ac consulere ex his quae pericula ipsa rerum docuerint, non quae libri tantum ac magistri per quasdam inanitates verborum & imaginum, tanquam in mimo aut in somnio, dictitauerint. Versus Afranij sunt in togata, cui sella nomen est.

Vfus me genuit. mater peperit Memoria.

—Sophiam vocant me Graei, vos Sapientiam. item versus est in eandem ferme sententiam Pacuij: quem Macedo philosophus vir bonus, familiaris meus, scribi debere censebat pro foribus omnium templorum.

Ego odi homines ignaua opera & philosopha sententia.

nihil enim fieri posse indignius neque intolerantius dicebat, quam quod homines ignaui ac desides, operti barba & pallio, mores & emolumenta philosophiae in linguae verborumque artes conuerterent; & vitia facundissimè ascusarent intercutibus ipsi vitii madentes.

## CAPVT IX.

Quid Tullius Tiro in commentariis scripserit de  
Suculis & Hyadibus quæ sunt stellarum  
vocabula.

**T**ullius Tiro M. Ciceronis alumnus & libertus adiutorque in litteris studiorum eius fuit, is libros compluris de usu atque ratione linguæ Latinæ item de variis atque promiscis questionibus composuit. in his esse præcipui videntur, quos Græco titulo *πυλῆς* inscripsit, tamquam omne rerum atque doctrinarum genus continentis. ibi de his stellis, quæ appellantur sucule, hoc scriptum est. Adeo, inquit, veteres Romani litteras Græcas nesciuerunt & rudes Græcæ linguæ fuerunt, ut stellas, quæ in capite Tauri sunt, propterea suculas appellarint, quod eas Græci *υἷδες* vocant; tamquam id verbum Latinum Græci verbi interpretamentum sit. quia Græce *υἷς*, sues Latine dicantur. sed *υἷδες*, inquit, *οὐκ ἀπὸ τῆς υἷος*, ita ut nostri opici putauerunt, sed ab eo, quod est *υἷον*, appellantur. nam & cum oriuntur & cum occidunt, tempestates pluuias largosque imbres cient. pluere autem & Græca lingua *υἷον* dicitur. *Hæc quidem Tiro in pandectis. sed enim veteres nostri non usque eo rupices & agrestes fuerunt, ut stellas hyadas idcirco suculas nominarent, quod υἷς Latine sues dicantur: sed ut quod Græci *υἷον* nos super dicimus, quod illi *υἷον*, nos supinus; quod *υἷον* nos subulcus; quod item illi *υἷον*, nos primo sypmus deinde per y Græca Latinaque littera cognationem sumpnus: sic quod ab illis *υἷδες*, à nobis primo syades deinde sucule appellata. stellæ autem iste non capite Tauri sunt, ut Tiro*

dicit (nullum enim videtur præter eas stellas Tauri caput) sed hæc ita circulo, qui Zodiacus dicitur, sita locataque sunt; ut ex earum positu species quadam & simulachrum esse videatur Tauri capitis: sicuti ceteræ partes & reliqua Tauri conformata & quasi depicta est locis regionibusque earum stellarum, quas Græci *πλειάδας*, nos *vergilia* vocamus.

## C A P V T X.

Quod sororis etymon esse dixerit Labeo Antistius  
& quod fratris Nigidius.

**L**abeo Antistius iuris quidem ciuilibis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de iure publicè responsitauit; ceterarum quoque bonarum artium non expertus fuit: & in grammaticam sese atque dialecticam litterasque antiquiores altioresque penetrauerat; Latinarumque vocū origines rationesque percalluerat; eaque præcipuè scientia ad enodandos plerosque iuris laqueos utebatur. Sunt adeo libri post mortem editi qui posteriores inscribuntur, quorum librorum tres continui tricesimus octauus & tricesimus nonus & quadragesimus pleni sunt id genus rerum ad enarrandam & illustrandam linguam Latinam conducentium. Præterea in libris, quos ad prætoris edictū scripsit, multa posuit partim lepide atque argute reperta. sicuti hoc est, quod in quarto ad edictum libro scriptum legimus. Soror, inquit, appellata est, quod quasi seorsum nascitur, seperitur ab ea domo in qua nata est & in aliam familiam transgreditur. Fratris autem vocabulum P. Nigidius homo impensè doctus non minus arguto subtilique *εἰρημῶ* interpretatur. Frater, inquit, est dictus quasi ferè alter.



## CAPVT XI.

Quem M. Varro aptum iustumque esse numerum conuiuarum existimavit: ac de mensis secundis & bellariis.

**L**epidissimus liber est M. Varronis ex satyris Menippæis, qui inscribitur. NESCIS. QUID. VESPER. SERVS. VEHAT. in quo differit de apto conuiuarum numero, deque ipsius conuiuij habitu cultuque. dicit autem conuiuarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Musarum; id est, proficisci à tribus & consistere in nouem: ut, cum paucissimi conuiuæ sunt, non pauciores sint quam tres; cum plurimi, non plures quam nouem. nam multos, inquit, esse non cōuenit quod turba plerūque est turbulenta. \*\* & Romæ, inquit, constat nusquā aut cubat \*\*. Ipsam deinde conuiuiū constat, inquit, ex rebus quatuor, & tum denique omnibus suis numeris absolutum est; si belli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus. nec loquaces autem, inquit, conuiuas nec mutos legere oportet. quia eloquentia in foro & apud subsellia, silentium vero non in conuiuiō sed in cubiculo esse debet. Sermones igitur id temporis habendos censet non super rebus anxiiis aut tortuosis, sed iucundos atque inuitabiles & cum quadam illecebra & voluptate utiles; ex quibus ingenium nostrum venustius fiat & amœnius. Quod profecto, inquit, eueniet, si de id genus rebus ad communem vitæ vsum pertinentibus cōfabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non est otium. dominum autem, inquit, conuiuij esse oportet non tam

lautum, quam sine sordibus: & in conuiuio legi non omnia debent, sed ea potissimum quæ simul sint βιωφελῆ & delectent. neque non de secundis quoque mēsis cuiusmodi esse eas oporteat præcipit. his enim verbis utitur. Bellaria, inquit, ea maximè sunt mellita, quæ mellita non sunt. πέμμασιν enim cū πῆξαι societas infida Quod Varro hoc in loco dixit, bellaria; ne quis fortè in ista voce hæreat; significat id vocabulum omne mensæ secundæ genus. nam quæ πέμματα Græci aut βανήματα dixerunt, ea veteres nostri bellaria appella- uerunt. uina quoque dulciora est inuenire in comædiis anti- quioribus hoc nomine appellata; dictaque esse ea Liberi.

## CAPVT XII.

Tribunos plebis *prensionem* habere, *vocationem* non habere.

**I**N quadam epistola Atei Capitonis scriptum legimus Labeonem Antistium legum atque morum populi Romani iurisque ciuilibis doctum apprimè fuisse. Sed agita- bat, inquit, hominem libertas quædam nimia at- que vecors; vsque eo ut, D. Augusto iam prin- cipe & rempublicam obtinente, ratum tamen per sumque nihil haberet, nisi quod iustum san- ctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset. ac deinde narrat quid idem Labco per viatorem à tribunis plebi vocatus responderit. Cum à muliere, inquit, qua- dam tribuni plebis aduersum eum aditi Gellia- num ad eum misissent ut veniret & mulieri res- ponderet: iussit eum, qui missus erat, redire: & tribunis dicere ius eos non habere neque se ne- que alium quemquam vocandi. quoniã moribus maiorum tribunum plebis *prensionem* haberent,

vocationem non haberét. posse igitur eos venire & prendi se iubere; sed vocáti a sentem ius non habere. *Cum hoc in ea Capitonis epistola leg. semus; id ipsum postea in M. Varronis rerum humanarum uno & vicefimo libro enarratius scriptum inuenimus: verbaque ipsa super ea re Varronis adscripsimus.* In magistratu, inquit, habent alij vocationé, alij prensionem, alij neutrum. vocationé; vt consules & ceteri qui habent imperium. prensionem; vt tribuni plebis & alij qui habent viatorem. neque vocationem neque prensionem; vt quaestores & ceteri qui neque lictorem habent neque viatorem. qui vocationem habent, idem prendere, tenere, abducere, possunt. & hæc omnia siue adsunt quos vocant, siue acciri iusserunt. tribuniplebis vocationem habent nullá. neque minus multi imperiti proinde atque haberent ea sunt vsi. nam quidam non modo priuatum sed etiam consulem in rostra vocari iusserunt. ego triumvir vocatus à P. Porcio tribunoplebi. non iui auctoribus principibus; & vetus ius teui. item tribunus cum essem vocari neminem iussi; neque vocatum à collega parère inuitum. *Huius ego iuris, quod M. Varro tradit, Labeonem arbitror vana tunc fiducia, cum priuatus esset, vocatum à tribunis non esse. quæ, malûm, autem ratio fuit vocantibus nolle obsequi; quos confiteare ius habere prendendi? nam iure prendi qui potest, etiam in vincula duci potest. Sed querentibus nobis quam ob causam tribuni, qui haberent summam coercendi potestatem, ius vocandi non habuerint: quòd tribuniplebis antiquitus creati videntur non iuri dicundo, nec causis querelisque de absentibus noscèdis, sed intercessionibus faciendis quibus presentes fuissent; vt iniuria, quæ coram fieret, arceretur: ac pro-*

pterea ius abnoctādi ademtum; quoniam, ut vim fieri viderent, assiduitate eorū & presentium oculis opus erat.

## CAPVT XIII.

Quod in libris Humanarum M. Varronis scriptum est, ædiles & questores populi Romani ius à priuato ad prætorem vocari posse.

**C**um ex angulis secretisque librorum ac magistrorum in medium iam hominū & in lucem fore prodissim; quaesitum esse memini in plerisque Romæ stationibus ius publicè docentium aut respondentium, an quaestor populi Romani ad prætorem in ius vocari posset. id autem non ex otiosa quaestione agitabatur: sed vsus fortè natæ rei ita erat, ut vocandus esset in ius quaestor. non pauci igitur existimabant ius vocationis in eum prætori non esse: quoniā magistratus populi Romani proculdubio esset; & neque vocari, neque, si venire nollet, capi aut prendi, salua ipsius magistratus maiestate posset. sed ego, qui tum assiduus in libris M. Varronis fui, cū hoc quaeri dubitarique animaduertissem; protuli unum & vicesimum rerum humanarum. in quo ita scriptum fuit. Qui potestatem neque vocationis populi viritum habent neque prentionis; eos magistratus à priuato in ius quoque vocari est potestas. M. Læuinus ædilis curulis à priuato ad prætorem in ius est eductus. nunc stipati feruis publicis non modo prendi non possunt; sed etiam vltro summouent populum. Hoc Varro in ea libri parte de ædilibus. supra autem in eodem libro quaestores neque vocationem habere neque prentionem dicit. utraque igitur libri parte recitata in Varronis omnes sententiam concesserunt; quaestorque in ius ad prætorem vocatus est.

## CAPVT XIII.

Verba ex libro Messalæ auguris ; quibus docet qui sint *minores magistratus*, & *consulem prætoremque collegas esse*; & quædam alia de *auspicijs*. item verba eiusdem Messalæ differentis, aliud esse *ad populum loqui*, aliud *cum populo agere*; & qui magistratus à quibus auocent comitiatum.

**P**omœriū quid esset, augures P. R. qui libros de *auspicijs* scripserunt, istiusmodi sententia desinierunt. Pomœrium est locus intra agrum effatū per totius urbis circuitum ponè muros regionibus carteis determinatus, qui facit finem urbane auspicii. *Antiquissimum autem pomœrium, quod à Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur. sed id pomœrium pro incrementis reipublicæ aliquotiens prolatum est, & multos editosque collis circumplexum est. habebat autem ius proferendi pomœrij, qui populum R. agro de hostibus capto auxerat. propterea quæsitum est, ac nunc etiam in quæstione est, quam ob causam ex septem urbis montibus, cum ceteri sex intra pomœrium sint, Auentinus solum, quæ pars non longinqua nec infrequens est, extra pomœrium sit: neque id Ser. Tullius rex neque Sulla, qui proferendi pomœrij titulum quæsiuit, neque postea D. Iulius, cum pomœrium proferret, intra effatos urbis fines incluserint. huius rei Messala aliquot causas videri scribit. sed præter eas omnes ipse unam probat, quod in eo monte Remus urbis condendæ gratia auspicauerit, auesque irritas habuerit, superatusque in auspicio à Romulo sit. idcirco, inquit, omnes, qui pomœrium protulerunt, montem istum excluserunt, quasi aurbus obscœnis ominosum. sed de Auenti-*

no monte pratermittendum non putavi, quod non pridem ego in Elydis grammatici veteris commentario offendi. in quo scriptum erat Auentinum antea sicuti diximus, extra pomerium exclusum, post auctore D. Claudio receptū, & intra pomerij fines obseruatum. In edicto consulum, quo edicunt qui dies comitijs centuriatis futurus sit, scribitur ex vetere forma perpetua. NE. QVIS. MAGISTRATVS. MINOR, DE. CAELO. SERVASSE. VELIT. quari igitur solet, qui sint magistratus minores. super hac re meis verbis nihil opus fuit; quoniam liber Messala auguris de auspicijs primus, cum hoc scriberemus, forte adfuit. propterea ex eo libro, verba ipsius Messala subscripsimus. Patriciorū auspicia in duas sunt diuisa potestates. maxima sunt, cōsulum, prætorum, censorum. neque tamen eorum omnium inter se eadem aut eiusdem potestatis: ideo quod collegæ non sunt censores consulum aut prætorum; prætores consulum sunt. ideoque neque consules aut prætores censoribus neque censores consulibus aut prætoribus turbant aut retinent auspicia. at censores inter se, rursus prætores consulesque inter se & vitiant & obtinent. prætor etsi collega consulis est neque prætorem neque consulem iure rogare potest, vt quidem nos à superioribus accepimus, aut ante hæc tempora seruatum est, & vt in commentario tertio-decimo C. Tuditani patet. quia imperium minus prætor, maius habet consul: & à minore imperio maius aut maiore collega rogati iure non potest. nos his temporibus prætores prætore creante veterum auctoritatem sumus secuti; neque iis comitiis in auspicio fuimus.

censores æque non eodem rogantur auspicio atque consules & prætores. reliquorum magistratum minora sunt auspicia. ideo illi minores, hi maiores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus sed iustius curiata datur lege. maiores centuriatis comitiis fiunt. *Ex his omnibus verbis Messala manifestum fit & qui sint magistratus minores & quamobrem minores appellentur. sed & collegam esse prætorem consuli docet, quod eodem auspicio creantur. Maiora autem dicuntur auspicia habere; quia eorum auspicia magis rata sunt quam aliorum. Idem Messala in eodem libro de minoribus magistratibus ita scribit.* Consul ab omnibus magistratibus & comitiatum & concionem auocare potest. prætor & comitiatum & concionem vsquequaque auocare potest nisi à consule. minores magistratus nusquam nec comitiatum nec concionem auocare possunt. ea re, qui eorum primus vocat ad comitiatum, is rectè agit: quia bifariam cum populo agi non potest. nec auocare alius alii posset, si concionem habere volunt, vti ne cum populo agant: quamuis multi magistratus simul concionem habere possunt. *Ex his verbis Messala manifestum est, aliud esse cum populo agere, aliud concionem habere. nam cum populo agere, est rogare quid populum quod suffragiis suis aut iubeat aut vetet; concionem autem habere, est verba facere ad populum sine ulla rogatione.*

## CAPVT XV.

*Humanitatem* non id significare quod vulgus putat; sed eo vocabulo, qui sinceriter locuti sunt, magis proprie esse vfos.

**Q**ui verba Latina fecerunt, quique his probè vfi sunt, humanitatem non id esse voluerunt quod vulgus existimat; quodque à Græcis εὐλαβία dicitur, & significat dexteritatem quandam beniuolentiámque erga omnes homines promiscam: sed humanitatem appellauerunt id propemodum quod Græci πᾶσι δέειν vocant; nos eruditionem institutionemque in bonas artis dicimus: quas qui sinceriter cupiunt appetuntque, hi sunt vel maximè humanissimi. huius enim scientiæ cura & disciplina ex vniuersis animantibus vni homini data est; idcircoque humanitas appellata est. sic igitur eo verbo veteres esse vfos & cum primis M. Varro nem Marcumque Tullium omnes ferme libri declarant. quamobrem satis habui vnũ interim exemplum proponere. itaque verba posui Varro nis è libro rerum humanarum primo. cuius principium hoc est. Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini est paulum modo humaniori ignotus. humaniori, inquit, non ita, vt volgò dicitur, facili & tractabili & beniuolo, tametsi rudis litterarum sit (hoc enim cum sententia nequaquam conuenit) sed eruditiori doctiorique, qui Praxitelem, quid fuerit, & ex libris, & ex historia cognouerit.

## CAPVT XVI.

Quid apud M. Catonem significant verba hæc; inter os & offam.



**O** Ratio est M. Catonis Censorij de adilibus vitio creatis. ex ea oratione verba hæc sunt. Nunc ita aiunt, in segetibus, in herbis, bona frumenta esse. nolite ibi nimiam spem habere. sæpe auidui inter os atque offam multa interuenire posse. verum uero inter offam atque herbam, ibi verò longum interuallum est. Erucius Clarus, qui præfectus urbi & bis consul fuit, vir morum & litterarum veterum studiosissimus, ad Sulpicium Apollinarem scripsit hominem memoria nostra doctissimū, querere sese & petere ut sibi rescriberet quanam esset eorum verborum sententia. tum Apollinaris nobis presentibus (nam id temporis ego adolescens Roma sectabar eum discendi gratia) rescripsit Claro ut viro erudito breuissimè; vetus esse prouerbiū inter os & offam, idem significans quod Græcus ille παροιμώδης versus,

Πολλὰ μετὰ ξὺ πέλει κύλικος καὶ χεῖλος ἄκρη.

## CAPVT XVII.

Platonem tribuere Euripidi, Sophocli versum; & inueniri versus verbis isdem aut paucis syllabis immutatis apud diuersos poetas temporibus variis natos.

**V**ersus est nota venustatis senarius:

Σοφοὶ τέχνηνοι τῶν σοφῶν ξυνεσίαι.

eum versum Plato in Theætheto Euripidi esse dicit, quod quidem nos admodum miramur. nam scriptum eum legimus in tragædia Sophocli, quæ inscripta est Αἴας ὁ Λοκρὸς. prior autem natus fuit Sophocles quam Euripides, sed etiam ille versus non minus notus,

Γέρων γέροντα παιδαγωγήσω σ' ἐγώ,

Et in tragœdia Sophocli scriptus est, cui titulus est φυλῆ-  
 τίδες Et in Bacchis Euripidi. id quoque animaduerti-  
 mus apud Æschylum ἐν τῷ πυρφόρῳ προμήθει, Et apud  
 Euripidem in tragœdia, quæ inscripta est εἰς τὸν εὐνῶν, eundem esse  
 versum absque paucis syllabis. Æschylus sic:

Σιγῶντε ὄψε δ'εἶ κ' ἢ λέγων τὰ καίρια.

Euripides autem sic:

Σιγᾶντε ὄψε θεῶν καὶ λέγειν ἀσφαλές.

Fuit autem Æschylus non breui antiquior.

C A P V T X V I I I .

De genere atque nominibus familiæ Porciæ.

**C**um in domus Tiberiana bibliotheca sederemus ego  
 Et Apollinaris Supicius Et quidam alij mihi aut  
 illi familiares: prolatus forte liber est ita inscriptus. M.  
 CATONIS NEPOTIS. tum quæri cœptum est,  
 quisnam is fuisset M. Cato Nepos. atque ibi adolescens  
 quispiam, quod ex eius sermonibus coniectare potui, non  
 abhorrens à litteris Hic, inquit, est M. Cato non cognomen-  
 to Nepos, sed M. Catonis Censorij ex filio nepos. qui pater  
 fuit M. Catonis pratorij viri, qui bello civili Utica necem  
 sibi gladio manu sua cōsciuit. de cuius vita liber est M. Ci-  
 ceronis, qui inscribitur, Laus Catonis. quæ in eodem libro  
 idem Cicero pronepotem fuisse dicit M. Catonis censorij. eius  
 igitur, quem Cicero laudauit. pater hic fuit M. Cato: cuius  
 orationes feruntur inscriptæ, M. Catonis Nepotis. tum A-  
 pollinaris, ut mos eius in reprehendendo fuit, placidè ad-  
 modum leniterque Laudo, inquit, te mi fili, quod in tan-  
 tula ætate, etiam si hunc M. Catonem, de quo nunc qua-  
 ritur, quis fuerit ignoras; aud: tiuncula tamen quadam  
 de Catonis familia aspersus es. nō vnus autem sed complu-  
 res M. illius Catonis Censorij nepotes fuerunt, geniti non

eodem patre. duos enim M. ille Cato, qui & orator & censor fuit, filios habuit & matribus diuersos & aetatibus longè diffares. nam iam adolefcēte altero, matre eius amiffa, ipfe quoque iam multum ſenex, Salonij clientis ſui filiam virginem duxit in matrimonium. Ex qua natus eſt ei M. a:to Salonianus. hoc enim illi cognomentum fuit à Salonio patre matris datum. ex maiore autem Catonis filio, qui prætor designatus patre viuo mortuus eſt, & egregios de iuris diſciplina libros reliquit, naſcitur hic de quo quaeritur M. Cato M. filius M. nepos. is ſatis vehemens orator fuit; multasque orationes ad exemplum auſcriptas reliquit, & conſul cum Q. Marcio Rege fuit: inque eo conſulatu, in Africa proſectus, in ea provincia mortem obiit. ſed is non ita, ut dixiſti, M. Catonis prætorij viri, qui ſe Vtica occidit & quem Cicero laudauit. pater fuit: nec, quia hic nepos Catonis Cenſorij, ille autem pronepos fuit; propterea neceſſum eſt patrem hunc fuiſſe. his enim nepos, cuius hæc modo prolata oratio eſt, filium quidem maiorem Catonem habuit; ſed non eum qui Vtica perijt; ſed qui, cum adilis curulis & prætor fuiſſet, in Galliam Narbonenſem proſectus ibi vita functus eſt. ex altero autem viro Cenſorij filio longe natu minore, quem Salonianum eſſe appellatum dixi, duo nati ſunt L. Cato & M. Cato. is M. Cato tribunus plebis fuit; & præturam petens mortem obiit: exque eo natus eſt M. Cato prætorius, qui ſe bello civili Vtica interemit. de cuius vita laudibusque cum M. Tullius ſcriberet, pronepotem eum Catonis Cenſorij dixit fuiſſe. videtis igitur hanc partem familia, quæ ex minore Catonis filio progenita eſt, non ſolum generis ipſius tramitibus ſed temporum quoque ſpatio differre. nam quia ille Salonianus in extrema patris ætate, ſicuti dixi, natus fuit; prognati quoque ab eo aliquanto poſteriores fuerunt, quam qui à maiore fratre eius geniti erant. hanc

*temporum differentiam facile animaduertetis ex hac ipsa oratione cū eā legetis. Hæc Sulpicius Apollinaris audientibus nobis dixit. quæ postea ita esse, uti dixerat, cognouimus cum & laudationes funebres & librum commentarium de familia Porcia legeremus.*

Quod à scriptoribus elegantissimis maior ratio habita sit sonitus uocum atque uerborum iucundioris, quæ à Græcis *εὐφωνία* dicitur, quam regulæ disciplinæque quæ à grammaticis reperia est.

## C A P V T X I X :

**I**nterrogatus est Probus Valerius (quod ex familiari eius quondam comperi) hæne urbis, an has urbes, & hanc turrem, an, hanc turrim, dici oporteret. Si aut uersum, inquit, pangis; aut orationem solutam struis; atque ea uerba tibi dicenda sunt: non finitiones illas prærancidas neque fæcutinas grammaticas spectaueris; sed aurem tuam interroga, quo quid loco conueniat dicere. quod illa suaferit, id profecto erit rectissimum. tum is, qui quaesierat, quonam modo, inquit, uis aurem meam interrogem? & Probum ait respondisse quò suam Virgilius percunctatus est, qui diuersis in locis urbes & urbis dixit arbitrio consilioque usus auris. nam in primo Georgicū, quem ego inquit, librum manu ipsius correctum legi, urbis per i litteram scripsit. uerba è uersibus eius hæc sunt.

--- urbisne inuisere, Cæsar,

Terrarumque uelis curam.

uerte enim, & muta ut, urbes, dicas; insubidius nescio quid facies & pinguis. contra in tertio Aeneidos urbes dixit per e litteram.

Centum vrbes habitant magnas.

*Hic item muta vt, vrbis, dicas; nimis exilis vox erit & ex sanguis. tanta quippe iunctura differentia est in consonantia vocum proximarum. præterea idem Vergilius, turrim, dicit non, turrem, & securim, non, securem.*

Turrim in præcipiti stantem.

Incertam excussit ceruice securim.

*quæ sunt, opinor, iucundioris gracilitatis, quam si suo vtrumque loco per litteram dicas. At ille, qui interrogauerat, rudis profecto & aure agresti homo Cur, inquit, aliud alio in loco potius rectiusque esse dicas non sane intelligo. tum Probus iam commotior Noli, inquit, igitur laborare vtrum istorum debeas dicere, vrbis an vrbes. nam cum id genus sis, quod video, vt sine iactura tui pecces, nihil perdes vtrum dixeris. His tum verbis Probus & hac fini hominem dimisit, vt mos eius fuit erga indociles, prope inclementer. Nos autem aliud quoque postea consimiliter à Vergilio duplici modo scriptum inuenimus. nam & tres & tris posuit, eodem in loco, ea iudicij subtilitate, vt si aliter dixeris mutauerisque & aliquid tamen auris habeas, sentias suauitatem sonitus claudere. versus ex decimo hi sunt:*

Tres quoque Threicios Boreæ de gente summa,

Et tris quos Idas pater & patria Ismaramittit.

*tres illic, tris hic. pensacula vtrumque & moderare: reperies suo quodque in loco sonare aptissimè. sed in illo quoque itidem Vergilij versu.*

*Hæc finis Prima fatorum, simul vt & hic finis, dicas durum atque absonum erit, respuentque aures, quod mutaueris. sicut illud cõtra eiusdem Vergilij insuauius facias si mutes:*

Quem das finem rex magne laborum?  
*nam si ita dicas, Quam das finem; iniucundum nescio  
 quo pacto & laxiorem vocis sonum feceris. Ennius item  
 rectos cupressos dixit contra receptum vocabuli genus,  
 hoc versu:*

Capitibus nutantis pinos rectosque cupres-  
 sos.

- *firmior ei, credo, & viridior sonus esse vocis visus est re-  
 ctos dicere cupressos quam rectas. contra vero idem  
 Ennius in annali duodevicesimo aere fulua dixit, non  
 fuluo; non ob id solum quod Homerus ἠέφα βαδείαν di-  
 cit; sed quod hic sonus, opinor, hoc habilior est visus & a-  
 mœnior. sicuti etiam M. Ciceroni mollius teretiusque vi-  
 sum, in quinta in Verrem, fretu, scribere, quam, freto.  
 perangusto, inquit, fretu diuisa. erat enim crassius  
 vastiusque, perangusto freto, dicere. itidem in secun-  
 da simili usus modulamine manifesto peccatu, inquit;  
 non, peccato. hoc enim scriptum in uno atque in altero  
 antiquissima fidei libro Tironiano reperi. verba sunt Cice-  
 ronis hæc. Nemo ita viuebat, vt nulla eius vitæ pars  
 summæ turpitudinis esset expers: nemo ita in ma-  
 nifesto peccatu tenebatur, vt cū impudens fuisset  
 in factu, tū impudentior videretur si negaret.  
 Huius autem vocis cum elegantior hoc in loco sonus est,  
 tum ratio certa & probata est. Hic enim, peccatus, qua-  
 si peccatio rectè Latineque dicitur: sicut, hic, incestus,  
 non qui admisit sed quod admissum est, & hic tributus,  
 quod tributum nos dicimus, à plerisque veterum dicta  
 sunt. hic quoque allegatus & hic arbitratus. pro alle-  
 gatione proque arbitratione dicuntur. qua ratione  
 seruata, arbitrato & allegatu meo dicimus. Sic igitur,  
 in manifesto peccatu, dixit; vt, in manifesto ince-  
 stu, veteres dixerunt. non quin Latinum esset, peccato,  
 diceret.*

dicere: sed quia in loco isto positum subtilius ad aurē molliusque est. Lucretius aequae auribus inseruiens funem feminino genere appellavit, in hisce versibus.

Haud, ut opinor, enim mortalia saecula supernè  
Aurea de caelo demissi funis in arua.

tum dicere usitatius manente numero posset;

Aureus è caelo demisit funis in arua.

sacerdotes quoque feminas M. Cicero antistitas dicit, non, secundum grammaticam legem, antistites. nam cum insolentias verborum à veteribus dictorum plerumque respiceret: huius tamen verbi in ea parte sonitu delectatus Sacerdotes, inquit, Cereris atque illius fanī antistitæ. usque adeo in quibusdam neque rationem verbi neque consuetudinem sed solam aurem secuti sunt suis verba modulis pensitantens. quod qui non sentiunt, inquit idem ipse M. Cicero cum de numerosa & apta oratione differeret, quas auris habeant aut quid in his hominis simile sit, nescio. Illud vero cum primis apud Homerum veteres grammatici annotauerunt; quod, cum dixisset quodam in loco κολοίους τὲ ψηῶς τε, alio in loco non ψηῶν τε sed ψαρῶν dixit,

Τῶν δ' ὡς τε ψαρῶν νέφος ἔρχεθ' ἢ κολοίῶν  
secutus non communem sed propriam in quoque vocis situ suavitatem. nam si alterum in alterius loco ponas; utrumque feceris sonitu insuave.

Verba T. Castricii rhetoris ad discipulos adolentes, de vestitu atque calciatu decoro.

## CAPVT XX.

**T.** Castricius rhetoricæ discipline doctor, qui habuit Romæ locum principem declamandi ac docendi, summa vir auctoritate gravitateque, & à diuo Hadriano in

mores atque litteras spectatus, cum me presente (usus sum enim eo magistro) discipulos quosdam suos senatores vidisset die feriato tunicis & lacernis indutos & Gallicis calceatos; Equidem, inquit, maluissem vos togatos esse. pigritum est. cinctos saltem esse & penulatos. sed si hic vester huiuscemodi vestitus de multo iam vsu ignoscibilis est; soleatos tamen vos populi Romani senatores per urbis vias ingredi nequaquam decorum est, non hercle vobis minus, quam illi tum fuit, cui hoc M. Tullius pro tuipi crimine obiecit. Hæc me audiente Castricius, & quadam alia ad eam rem conducentia Romanè & seuerè dixit. plerique autem ex ijs, qui audierant, requirebant cur solcatos dixisset qui Gallicas non soleas haberent. sed Castricius profecto scite atque incorrupte locutus est. omnia enim ferme id genus quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur; cetera propenuda & teretibus habenis vineta sunt; soleas dixerunt: non numquam voce Græca crepidulas. Gallicas autem verbum esse opinor nouum, non diu ante ætatem M. Ciceronis vsurpari cœptum. itaque ab eo ipso positum est in secunda Antonianarum. Cum Gallicis, inquit, & lacerna cucurilli. neque in ea significatione id apud quemquam alium scriptum lego grauioris dumtaxat auctoritatis scriptorem: sed, ut dixi, crepidas & crepidulas prima syllaba correpta id genus calceamentum appellauerunt, quod Græci κρηπίδας vocant, eiusque calceamenti sutores crepidarios dixerunt. Sempronius Asellio in libro rerum gesiarum quartodecimo, Crepidarum, inquit, cullellum rogauit à crepidario sutore.



Comprecationes, quæ ritu Romano fiunt diis, expositæ sunt in libris sacerdotum; inter quas Marti Nerienem tribuunt; & quid *Nerieni* seu *Nerio* nomen importet.

## CAPVT XXI.

**C**omprecationes deum immortalium, quæ ritu Romano fiunt expositæ sunt in libris sacerdotum populi Romani & in plerisque antiquis orationibus. in ijs scriptum est, Luam Saturni, Salaciam Neptuni, Horam Quirini, Iurites Quirini, Naiam Volcani, Heriem Iunonis, Molam Martis Nerienemque Martis. ex quibus id, quod postremum posui, sic plerisque dicere audio ut primam in eo syllabam producant, quo Græci modo dicunt νερίστας sed, qui probè locuti sunt, primam correptam dixerunt; tertiam produxerunt. est enim rectus casus vocabuli eius, sicut in libris veterum scriptum est, *Nerio*. quamquam *M. Varro* in satyra *Menippæa*, quæ inscribitur *οικεμαχία*, non *Nerio* sed *Nerienes* vocatiuè dicit in his versibus:

Ted Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales,  
Nerienes, Minerua, Fortuna, ac Ceres.

ex quo nominandi quoque casum eundem fieri necessarium est, sed *Nerio* à veteribus sic declinatur, quasi *Anio*. nam proinde ut *Anienem*, sic *Nerienem* dixerunt tertia syllaba producta. id autem siue *Nerio* siue *Nerienes* est, *Sabinum* verbum est; eoque significatur virtus & fortitudo. itaque ex *Claudij*s, quos à *Sabinis* oriundos accepimus, qui erat egregia atque præstanti fortitudine *Nerio* appellatus est. sed id *Sabini* accepisse à *Græcis* videntur, qui vincula & firmamenta membrorum *νευρα* dicunt. unde nos quoque Latine *neruos* appellamus. Ne-

rio igitur Martis vis & potentia & maiestas quadam esse Martis demonstratur. Plautus autem in Truculento coniugem esse Nerienem Martis dicit; atque id sub persona militis in hoc versu:

Mars peregre adueniens salutat Nerienem uxorem suam.

Super ea re audiui non incelebrum hominem dicere, nimis comice Plautum imperito & incondito militi falsam nonnamque opinionem tribuisse, ut Nerienem coniugem esse Martis putaret. Sed id perite magis quam comice dictum intelliget qui leget Cn. Gellij annalem tertium. in quo scriptum est, Herfiliam, cum apud T. Tatium verba faceret pacemque oraret, ita precatam esse. Neria Martis te obsecro pacem dare, uti liceat nuptiis propriis & prosperis uti, quod de tui coniugis consilio contigit, uti nos itidem integras raperent, unde liberos sibi, suis posteris, patriæ pararent. de tui, inquit, coniugis consilio, Martem scilicet significans. per quod apparet non esse id poetice à Plauto dictum; sed eam quoque traditionem fuisse, ut Nerio à quibusdam uxor esse Martis diceretur. Inibi autem animaduertendum est, quod Gellius Neria dicit per a litteram non Nerio neque Nerienens. præter Plautum etiam præterque Gellium Licinius Imbrex vetus comædiarum scriptor in fabula, quæ Næra inscripta est, ita scripsit:

Nolo ego Næram te vocent sed Nerienem;

Cum quidem Marti es in connubium data. ita se numerus huiusce versus habet, ut tertia in eo nomine syllaba, contra quam supra dictum est, corripienda sit. cuius sonitus quanta apud veteres indifferentia sit, notum est, quam ut plura in id verba sumenda sint. Ennius autem in primo annali in hoc versu;

Nerienem Mauortis & Herclem,

si, quod minime solet, numerum seruauit; primam syllabam intendit, tertiam corripuit. ac ne id quidem præmittendum puto cuiuscumodi est, quod in commentario quodam Seruij Claudij scriptum inuenimus, Neirio dictum quasi neirio, hoc est, sine ira & cum placiditate: ut eo nomine mitem tranquillumque fieri Martem precemur. ne enim particula, ut apud Græcos, ita plerumque in Latina quoque lingua priuatiua est.

M. Catonis consularis & censorii pulcherrima exprobratio contra philosophantes nomine & non re.

## CAPVT XXII.

**M**. Cato, consularis & censorius, publicis iam priuatisque opulētus rebus, villas suas inexcultas & rudēs ne tectorio quidē prælitas fuisse dicit ad annū vsque ætatis suæ septuagesimum. atque ibi postea his verbis utitur. Neque mihi, inquit, ædificatio, neque vasum, neque vestimentum vllum est manu preciosum, neque preciosus seruus neque ancilla est. si quid est, inquit, quod utar; utor. si non est; ego. suum cuique per me uti atque frui licet. tum deinde addit. Vitio vertunt, quia multa egeo. at ego illis quia nequeunt egere. Hæc mera veritas Tusculani hominis egere se multis rebus & nihil tamen cupere dicentis plus hercle promouet ad exhortandam parsimoniam sustinendamque inopiam, quam Græce istorum præstigiæ philosophari sese dicentium, umbrasque verborum inanes fingentium; qui se nihil habere & nihil tamen egere ac nihil cupere dicunt, cum & habendo & egendo & cupiendo ardeant.

Quæsitum tractatumque quid sint, *manubia* atque inibi dicta quædam de ratione vtendi verbis pluribus idem significantibus.

## CAPVT XXIII.

**I**N fastigijs fori Traiani simulachra sunt sita circum undique inaurata equorum atque signorum militariũ. subscriptumque est. EX. M. ANV BIEIS. Querebat Fauorinus, cum in area fori ambularet & amicum suum consulem operiretur causas pro tribunali cognoscẽtem, nosque tunc eum sectaremur; querebat, inquam, quid nobis videretur significare proprie manubiariũ illa inscriptio. tum quispiam, qui cum eo erat, homo in studijs doctrinæ multi atque celebrati nominis. Ex manubiis, inquit, significat ex præda. manubiæ enim dicuntur præda, quæ manu capta est. Etiam si, inquit Fauorinus, opera mihi princeps & prope omnis in litteris disciplinisque Græcis sumpta est; non vsque eo tamen infrequens sum vocum Latinarum, quas subsicivo aut tumultuario studio colo, vt hanc ignorem interpretationem vulgariam, quod esse dicantur manubiæ præda. sed quero an M. Tullius, verborum homo diligentissimus, in oratione quam dixit de lege agraria Kalendis Ianuarijs contra Rullum, inani & illepada geminatione iunxerit manubias & prædam, si duo hæc verba idem significant; neque vlla re aliqua dissident. atque, vt erat Fauorinus egregia vel diuina quædam memoria, verba ipsa M. Tullij statim dixit. ea nos adscribimus hic. Prædam, manubias, sectionẽ, castra de niq. Cn Pompeii sedẽte imperatore decẽviri vident. & infra itidẽ duo hæc simul iunctim posita dixit. Ex præda, ex manubiis, ex auro coronario, ac dein-

de ad eū conuertit, qui manubias esse prædam dixerat: & Videtur ne tibi, inquit, utroque in loco M. Cicero duobus verbis idem, sicuti tu putas significantibus ineptè & frigide esse vsus? ac tali ioco dignus, quali apud Aristophanem facetissimum comicorum Euripides Æschylum insectatus est? cum ait.

Δὶς ταυτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς αἰχὺλ. &

Ἡκω γὰρ εἰς γῆν φησὶ καὶ κατέρχομαι.

Ἡκω δὲ ταυτὸν ἐς τὴν κατέρχομαι.

Νὴ τὸν δὲ ὡσπερ εἶπε εἴποι γείτονι,

Χρῆσιν Ἰὼν Ἰὼ μάκτραν εἰ δὲ βούλει κέρδιον.

Nequaquam verò, inquit ille, talia videntur, quale est μάκτρα & κέρδιον; quæ à poetis vel oratoribus Græcis nostrisque celebrandæ & ornandæ rei gratia duobus eadem pluribusve nominibus frequentantur. Quid igitur, inquit Fauorinus, valet hæc repetitio instauratioque eiusdem rei sub alio nomine in manubiis & in prædâ: num ornat ut alioqui solet, orationem? num eam modulatiorem aptioremque reddit? num onerandi vel exprobandi criminis causa exaggerationem aliquam speciosam facit? sicuti in libro eiusdem M. Tullij, qui de constituendo accusatore est, una eademque res pluribus verbis vehementer atque atrociter dicitur. Sicilia tota si vna voce loqueretur hoc diceret, quod auri quod argenti quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit. nam cum urbes totas semel dixisset; sedes delubraque addidit, quæ sunt ipsa quoque in urbibus. item in eodem libro simili modo Siciliam, inquit, prouinciam C. Verres per triennium depopulatus esse, Siculorum ciuitates vastasse, domos exinanisse, fana spoliata dicitur. Hæc, quid videtur, cum Siciliam prouinciam dixerit, atque etiam insuper ciuitates addiderit, domos etiã & fana, quæ infra posuit, cõprehendisset, verba hæc item

multa atque varia, depopulatus esse, vastasse, exinanisse, spoliasse, nonne unam & eandem vim in sese habent? sanè. sed quia cum dignitate orationis & cum gravi verborum copia dicuntur, quamquam eadem ferè sint & ex una sententia cooriantur, plura tamen esse existimantur: quoriam et aures & animum sæpius feriunt. hoc ornatu genus, in crimine uno vocibus multis atque sævis exstruendo, ille iam tunc M. Cato antiquissimus in orationibus suis celebravit. sicuti in illa, quæ inscripta est; De decem hominibus: cum Thermum accusavit quod decem liberos homines eodem tempore interfecisset: hisce verbis eandem omnibus rem significantibus usus est. quæ, quoniam sunt eloquentiæ Latinæ tunc primum exorientis lumina quadam sublustria, libitum est ea mihi ἀπομνημονεύειν. Tuum nefarium facinus peiore facinore operire postulas. succidias humanas facis. tantas trucidationes facis, decem funera facis. decem capita libera interficis. decem hominibus vitam eripis, indicta causa, iniudicatis, indemnatis. item M. Cato in orationis principio, quæ dixit in senatu pro Rhodiensibus, cum vellet res nimis prosperas dicere, tribus vocabulis idem sentientibus dixit. verba eius hæc sunt. Scio solere plerisque hominibus in rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere, atque superbiam atque ferociam auferescere. Itidem Cato, ex Originum septimo, in oratione quam contra Servium Galbam dixit compluribus vocabulis super eadē re usus est. Multa me dehortata sunt huc pro re, anni, ætas, vox, vires, senectus. verum enim vero cum tantam reipublici ager arbitrarer. sed ante omnis apud Homerum eiusdem rei atque sententiæ luculenta exaggeratio est:

Ἐκτορα δ' ἐκ βελέων ὕπαγε Ζεὺς ἐκ τε κοῖνης  
ἐκ τ' ἀνδρὸς κρατοῖης ἐκ θ' αἵματος ἐκ τε κλισίαις



*verberauerunt. Vultus denique, inquit, totus qui sermo quidem tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit; hic eos quibus erat ignotus decepit, se. Illit, induxit. quid igitur? simile est, inquit, apud eundem in præda & manubiis? nihil profecto istiusmodi. nam neque ornatus fit additis manubiis; neque exaggeratius modulatus ve: sed aliud omnino præda est, ut in libris rerum verborumque veterum scriptum est, aliud manubiæ. nam præda dicitur corpora ipsa rerum, quæ capta sunt. manubiæ vero appellatae sunt pecunia à qua store ex venditione prædæ redacta. utrumque ergo dixit M. Tullius, cumulanda inuidiæ gratia, decemviros ablaturus, persecuturosque & prædam quæ nondum esset venditata & pecuniam quæ ex venditione prædæ percepta esset. Itaque hæc inscriptio, quam videtis, EX MANUBIIS. non res corporaque ipsa præda monstrat (nihil enim captum est horum à Traiano ex hostibus) sed facta esse hæc comparataque ex manubiis, id est, ex pecunia prædaticia declarat. manubiæ enim sunt, sicuti iam dixi, non præda sed pecunia per quaestorem populi Romani ex prædâ vendita contracta. quod per quaestorem autem dixi: intelligi nunc oportet præfectum arario significari. nam cura ararij à quaestoribus ad præfectos ararij tralata est. Est tamen non nusquam inuenire ita scripsisse quosdam non ignobiles scriptores, ut aut temere aut incuriosè prædam pro manubiis & manubias pro prædâ posuerint: aut tropicâ quadam figura mutationem vocabuli fecerint. quod facere concessum est scitè id peritèque facientibus. sed enim, qui propriè atque signatè locuti sunt sicuti hoc in loco M. Tullius, manubias pecuniam dixerunt.*



Verba P. Nigidij, quibus dicit in nomine, *Valerij* in casu vocandi primam syllabam acuendam esse: & item alia ex eiusdem verbis ad rectâ scripturam pertinentia.

**P**. Nigidij verba sunt ex commentariorum grammaticorum vicesimo quarto, hominis in disciplinis doctinarum omnium præcellentis. Deinde, inquit, vocalatio quâ poterit seruari, si non sciemus in nominibus, vt Valerij, vtrum interrogandi an vocandi sint? nam interrogandi secunda syllaba superiore tono est quam prima: deinde nouissima deiicitur. at in casu vocandi summo tono est prima; deinde gradatim descendunt. sic quidem P. Nigidius dici præcipit. sed si quis nunc Valerium appellans, in casu vocandi, secundum id præceptum Nigidij acuerit primam, non aberit quin rideatur. Summum autem tonum *ᾠσοῦσθαι* acutam dicit; & quem accentum nos dicimus; vocalationem appellat & casum interrogandi. eum dicit, quem nunc nos genitiuū dicimus. id quoque in eodē libro Nigidiano animaduertimus. Si huius, inquit, amici vel huius magni scribas; vnū, i, facito extremam. sin vero, hi magnei, hi amicei, casu multitudinis recto: tum ante, i, scribendū erit, e. atque id ipsum facies in similibus. itē si huius terrai scribas: i littera sit extrema. si huic terræ; per, e, scribendū est. item qui scribit mei in casu interrogandi, velut cū dicimus, mei studiosus; per, e, & i, scribat. at cum mi; tum per i vnum scribendum est, nō per e; quia dandi casus est. *Hæc nos auctoritate doctissimi hominis adducti, propter eos qui harum quoque rerum scientias quarunt, non prætermittenda existimauimus.*

De versibus, quos Virgilius sectatus videtur Homeri ac Parthenii.

**P**arthenij poetæ versus est:

Γλαύκῳ καὶ Νήρει καὶ Εἰναλίῳ Μελικέρτῃ.  
*cum versum Vergilius amulatus est. itaque fecit duobus  
 vocabulis venuste immutatis parem:*

Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.

*sed illi Homericæ non sane re parem neque similem fecit.  
 esse enim videtur Homeri simplicior & sincerior, Vergi-  
 lij autē νεωτερικότερος & quodam quasi ferrumine im-  
 misso fucatiior:*

Ταῦρον δ' ἀλφείῳ ταῦρον δὲ ποσειδάωνι.

Taurū Neptuno, taurū tibi pulcher Apollo.

De sententia Panætii philosophi, quam scripsit in libro de officiis secūdo: qua hortatur ut homines ad cauendas iniurias in omni loco intenti paratique sint.

**L**egebatur Panætij philosophi liber de officiis secūdus, lex tribus illis inclutis libris, quos M. Tullius magno cum studio maximoque opere amulatus est. ibi scriptū est, cum multa alia ad bonam frugem ducentia, tum vel maxime quod esse habereque in animo debet. id autem est ad hanc ferme sententiam. Vita, inquit, hominum, qui ætatem in medio rerum agunt ac sibi suisque esse vsui volunt, negotia periculaque ex improviso assidua & prope quotidiana fert. ad ea cauenda atque declinanda proinde esse oportet animo semper prompto atque intento, ut sunt

athletarum, qui pancratia vocantur, nam sicuti illi ad certandum vocati proiectis alte brachiis consistunt, caputque & os suum manibus oppositis quasi vallo premœniunt; membraque eorum omnia, priusquam pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt aut ad faciendos parata: ita animus atque mens viri prudentis, aduersus vim & petulantias iniuriarum omni in loco atque in tempore prospiciens, debet esse erecta, ardua, septa solide, expedita, numquam conniuens, nusquam aciem suam flectens, consilia cogitationesque contra fortuna verbera contraque insidias iniquorum quasi brachia & manus protendens; ne qua in re aduersa & in repentina incurfio imperatis improtectisque nobis oboriatur.

## CAPVT XXVII.

Quod Quadrigarius, cum multis mortalibus dixit: an quid & quantum differret si dixisset, cum multis hominibus.

**V**erba sunt Claudij Quadrigarii ex annalium eius tertiodecimo. Concione dimissa Metellus in Capitolium venit cum mortalibus multis: inde domum proficiscitur. tota ciuitas eum reduxit. Cum is liber eaque verba M. Frontoni, nobis ei ac plerisque aliis assidentibus, legerentur; & cuiusdam haud sane viro indocto videretur multis mortalibus, pro hominibus multis, ineptè frigidèque in historia, nimisque id poëtice dixisse: tum Fronto illi, cui hoc videbatur, Airtu, inquit, aliarum homo rerum iudicij eligantissimi, mortalibus multis ineptum tibi videri & frigidum? nihil autem arbitrare causæ fuisse, quod vir modestus atque puri ac propè quotidiani sermonis, mortalibus, maluit quam hominibus dicere? eandemque credis futu-

ram fuisse multitudinis demonstrationem, si cum multis hominibus, ac non, cum multis mortalibus, diceret? ego quidem, inquit, sic existimo, nisi si me scriptoris istius omnisque antiquæ orationis amor atque veneratio caco esse iudicio facit longe atque longe esse amplius, prolixius, fortius, in significanda totius propè civitatis multitudine mortales quàm homines dixisse. namque multorum hominum appellatio intra modicum quoque numerum cohiberi atque includi potest. multi autem mortales nescio quo pacto & quodam sensu inenarrabili omne fere genus, quod in civitate est, & ordinum & ætatum & sexus comprehendunt. quod scilicet Quadrigarius, ita ut res erat, ingentem atque promiscam multitudinem volens ostendere, cum multis mortalibus Metellum in Capitolium venisse dixit, ἐμπαρκώτερον, quam si cum multis hominibus dixisset. Ea nos omnia, quæ Fronte dixit, cum ita, ut par erat, non approbantes tantum sed admirantes quoque audiremus. Videte tamen, inquit, ne existimetis semper atque in omni loco, mortales multos, pro, multis hominibus, esse dicendum; ne plane fiat Gracum illud de Varronis satyra proverbium: τὸ ἐνὶ τῷ φανῆ μύθον. Hoc iudicium Frontonis, etiam de parvis minutisque vocabulis, non prætermittendum putavi: ne nos forte fugeret lateretque subtilior huiusmodi verborum consideratio.

## CAPUT XXVIII.

Non hæcenus esse faciem, qua vulgo dicitur.

**A** Nimadvertere est pleraque verborum Latinorum ex ea significatione, in qua nata sunt, decessisse vel in aliam longè vel in proximam; eamque decessionem factam esse consuetudine & inscitia temere dicentium, quæ

cuiusmodi sint non didicerint . sicuti quidam faciem esse hominis putant os tantum & oculos & genas , quod Græci  $\pi\rho\sigma\omega\mu\omega\nu$  dicunt : quando facies sit forma omnis & modus & factura quadam corporis totius , à faciendo dicta , ut ab aspectu species & à fingendo figura . itaque Pacuvius in tragædia , quæ Niptra inscribitur , faciem dixit hominis , pro corporis longitudine .

Aetate , inquit , integra , feroci ingenio , facie procerâ virum .

Non solum autem in hominum corporibus , sed etiam in rerum cuiuscumodi aliarum , facies dicitur . nam montis & cali & maris facies , si tempestivè dicatur , probè dicitur . Sallustij verba sunt ex historia secunda . Sardinia in Africo mari facie vestigii humani in orientem quam in occidentem latior prominet . Ecce autem id quoque in mentem venit . quod etiam Plautus in Penu-  
lo faciem , pro totius corporis colorisque habitu dixit . verba Plauti hæc sunt .

Sed earum nutritrix qua sit facie mihi expedi.

Statura haud magna , corpore aquilo st. ipsa ea-st.

Specie venusta , ore paruo atque oculis pernigris .

Formã quidè hercle verbis depinxti probè .  
Præterea memini Quadrigarium in undecimo faciem pro statura totiusque corporis figura dixisse .

C A P V T X X I X .

Quid sit in satyra M. Varronis , caninum prandium .

**L**audabat venditabatque se nuper quispiam in  
bravia sedens , homo ineptè gloriosus , tamquam

unus esset sub omni caelo satyrarum M. Varronis enarra-  
 tor; quas partim Cynicas, alii Menippæas appellant. &  
 iaciebat inde quadam non admodum difficilia: ad qua  
 conuicienda adspirare posse neminem dicebat. tum fortè  
 eum ego librum, ex isdem satyris, ferebam qui ἰδοκῆς  
 inscriptus est. propius igitur accessi: & Nosti, inquam,  
 magister verbum illud scilicet egregiè vetus; Musicam,  
 quæ sit abscondita, eam esse nulli rei? oro ergo te, legas hos  
 versus pauculos, & prouerbi istius, quod in his versibus  
 est, sententiam dicas mihi. lege, inquit, tu mihi potius,  
 quæ non intelligis; ut ea tibi ego enarrem. Quonam, in-  
 quam, pacto legere ego possum, quæ non assequor? indi-  
 stincta namque sient & confusa quæ legero, & tuam  
 quoque impedient intentionem. tunc alius etiam, qui ibi  
 aderant, compluribus idem comprobantibus desideranti-  
 busque, accepit à me librum veterem, fidei spectata, lu-  
 culentè scriptum. accepit autem inconstantissimo vultu  
 & mestissimo. sed quid deinde dicam? non audeo Her-  
 cle postulare, ut id credatur mihi. pueri in ludo rudes, si  
 eum librum accepissent, non ij magis in legendo deridicu-  
 li fuissent: ita & sententias intercidebat, & verba cor-  
 ruptè pronuntiabat. reddit igitur mihi librum multis iam  
 ridentibus; & Vides, inquit, oculos meos agros assiduis-  
 que lucubrationibus propè iam perditos? vix ipsos litte-  
 rarum apices potui comprehendere. cum valebo ab oculis  
 reuise ad me: & librum istum tibi totum legam. Rectè,  
 inquam, sit oculis magister tuis. sed, in quo illis nihil  
 opus est, id, rogo te, dicas mihi. caninum p. andium in  
 hoc loco, quem legisti, quid significat? atque ille egregius  
 nebulo, quasi difficili quæstione perterritus, exurgit  
 statim: & abiens Non, inquit, paruam rem quæris. ta-  
 lia ego gratis non doceo. Eius autem loci, in quo id prouer-  
 bium est, verba hæc sunt. Non vides apud Mnestheû  
 scribi

scribi tria genera esse vini, nigrum, album, medium, quod vocant *μῆρρον*; nouum, vetus, medium: & efficere nigrum virus, album urinam, medium *πέψιν*; nouum refrigerare, vetus calefacere, medium esse prandium caninum? quid significet, prandium caninum, rem leuiculā diu & anxie quaesiuimus. prandium autem abstemium, in quo nihil vini potatur, caninum dicitur. quoniam canis vino caret. cum igitur medium vinum appellasset, quod neque nouum esset neque vetus, & plerumque homines ita loquantur ut omne vinū aut nouum esse dicant aut vetus: nullam vim habere significauit neque noui neque veteris quod medium esset; iccirco pro vino non habendum. quia neque refrigeraret, neque calefaceret. refrigerare id dicit, quod Graeci *ἀψύξαι* dicitur.

~

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
QVARTVSDDECIMVS.

CAPVT I.

Dissertatio Fauorini philosophi aduersus eos, qui  
Chaldaei appellantur, & ex cœtu motibusque  
siderum & stellarum fata se hominum dictu-  
ros pollicentur.

**A**Duersum istos, qui sese Chaldaeos seu genethli-  
acos appellant ac de motu deque positu stella-  
rum dicere posse quæ futura sunt profitentur,  
audiuimus quondam Fauorinum philosophum  
Romæ Græcè differentem egregia atque illustri oratione.  
exercendine autem anne ostentâdi gratia ingenij, an quod  
ita serio iudicatoque existimaret, non habeo dicere. capi-  
ta autem locorum argumentorumque, quibus usus est,  
quod eius meminisse potui, egressus ibi ex auditione pro-  
perè annotaui. eaque fuerunt ad hanc ferme sen-  
tentiam. Disciplinam istam Chaldaeorum tanta ve-  
tustatis non esse, quanta videri volunt: neque eos prin-  
cipes eius auctoresque esse, quos ipsi serant: sed id  
præstigiæ atque officinarum genus commentos esse  
homines aruscatores & cibum quæstumque ex menda-  
ciis captantes: atque quoniam viderent terrena que-  
dam inter homines sita celestium rerum sensu atque  
ductu moueri; quale est, quod oceanus quasi luna  
comes cum ea simul senescit adolescitque; hinc vide-  
licet sibi argumentum ad persuadendum paraui, ut



crederemus omnia rerum humanarum & parua & ma-  
 xima, tamquam stellis atque sideribus euincta, duci  
 & regi. esse autem nimis quam ineptum absurdum-  
 que; ut, quoniam aestus oceani cum lune curriculo  
 congruit, negotium quoque alicuius, quod ei forte de  
 aqueductu cum riuilibus aut de communi pariete  
 cum vicino apud iudicem est, ut existimemus id ne-  
 gotium quasi habena quadam de caelo vinctum guber-  
 nari. quod & si vi & ratione quapiam diuina fie-  
 ri potest; nequaquam id tamen censebat in tam bre-  
 ui exiguoque vita spatio quantouis hominis ingenio com-  
 prehendi posse & percipi; sed coniectari pauca qua-  
 dam, verbo ipsius utar, *παραρησεσέπων*, nullo sci-  
 entia fundo concepta sed fusa & vaga & arbi-  
 traria: qualis longinqua oculorum acies est per inter-  
 ualla media caligantium. tolli enim, quod maximè  
 inter deos atque homines differt, si homines quoque  
 res omnis postfuturas pranoscerent. ipsam diuina sive  
 siderum stellarumque obseruationem, quam esse originem  
 scientia suae predicarent, haudquaquam putabat liqui-  
 de consistere. nam si principes Chaldaei, qui in patenti-  
 bus campis colebant, stellarum motus & vias & dis-  
 cessiones & cætus intuentes, quid ex iis efficeretur ob-  
 seruauerunt: procedat, inquit, hæc sanè disciplina, sed  
 sub ea modo inclinatione cæli, sub qua tunc Chaldaei  
 fuerunt. non enim potest, inquit, ratio Chaldaeorum ob-  
 seruationis manere, si quis ea uti velit sub diuersis cali  
 regionibus. nam quanta, inquit, partium circulo-  
 rumque cæli ex deuergentia & conuexionibus mundi varie-  
 tas sit, quis non videt? eadem igitur stellæ, per quas om-  
 nia diuina humanaque fieri contendunt, sicuti non vs-  
 quequaque pruinas aut calores cient; sed mutant &  
 variant, tempestatesque eodem in tempore alibi placidas

alibi violentas mouent: cur non euenta quoque rerum ac negotiorum alia efficiunt in Chaldaeis, alia in Gatlulis, alia apud Danubium, alia apud Nilum? Per autem, inquit, inconsequens, ipsum quidem corpus & habitum tã profundæ aeris sub alio atque alio celi curuamine non eodem manere: in hominum autem negotijs stellæ istas opinari idem semper ostendere, si eas ex quacumque terra cõspexeris. præterea mirabatur id cuiquam pro percepto liquere, stellæ istas, quas à Chaldaeis & Babylonis sine Aegyptiis obseruatas ferunt, (quas multi erraticas, Nigidius erroneas vocat) non esse plures quam volgo dicerentur. posse enim fieri existimabat, ut & alij quidam planetes pari potestate essent, sine quibus recta atque perpetua obseruatio perfici non quiret; neque eos tamen cernere homines possint, propter exsuperantiam vel splendoris vel altitudinis. nam & quedam, inquit, sidera è quibusdam terris conspiciuntur, earumque terrarum hominibus nota sunt: sed eadem ipsa ex alia omni terra non videntur, & sunt alijs omnino ignarissimæ. atque videmus, inquit, & has tantummodo stellæ & ex una parte terræ obseruari debuisse: quæ tandem finis obseruationis istius fuit, & quæ tempora satis esse visa sunt ad percipiendum, quid præmonstraret aut cœtus stellarum aut circumitus aut transitus? nam si isto modo cœpta fieri obseruatio est, ut animaduertetur quo habitu quaque forma quaque positura stellarum aliquis nasceretur; tum deinceps ab ineunte vita, fortuna eius & mores & ingenium & circumstantia rerum negotiorumque & ad postremum finis etiam vitæ expectaretur; eaque omnia, ut vsu venerant, litteris mandarentur; ac postea longis temporibus, cum ipsæ illæ eodem in loco eodemque habitu forent, eadem ceteris quoque euentura existimarentur, qui eodem illo tempo-

re nati fuissent; si isto, inquit, modo obseruari ceptum est, & ex ea obseruatione composita quadam disciplina est: nullo id pacto potest procedere. dicant enim, quot tandem annis vel potius quot seculis orbis hoc obseruationis perfici quiuerit. constare quidem inter astrologos dicebat, stellas istas, quas erraticas dicerent, quæ esse omnium rerum fatales viderentur, infinito prope & innumerabili numero annorum ad eundem locum, cum eodem habitu simul omnes profecta sunt, regredi; ut neque ullus obseruationis tenor neque memoria vlla effigies litterarum tanto auro potuerint edurare. atque illud etiam cuiusmodi esset considerandum putabat; quod aliud stellarum agmen foret, quo primum tempore conciperetur homo in utero matris, aliud postea cum in decem mensibus proximis in lucem ederetur: quærebatque, quæ conueniret diuersam super eodem fieri demonstrationem; si, ut ipsi putarent, alius atque alius earundem stellarum situs atque ductus alius atque alias fortunas daret. sed & nuptiarum tempore, ex quibus liberi quærentur, atque ipso etiam illo maris atque feminae coitu, iam declarari oportere dicebat, certo quodam & necessario stellarum ordine quales qualique fortuna homines gignerentur; ac multo etiam ante, quam pater ipse atque mater nascerentur, ex eorum genitura debuisse iam tunc prospici, quinam olim futuri essent, quos ij creaturi forent, & supra longè atque longè per infinitum: ut, si disciplina ista fundamento aliquo veritatis nixa est, centesimo vsque abhinc seculo, vel magis primo cæli atque mundi exordio, atque inde iam deinceps, continua significatione quotiès generis auctores eiusdem homines nascerentur, stella ista præmonstrare debuerint, qualis qualique fato futurus sit, quisquis hodie natus est. Quo autem, inquit, pacto credi potest, vniuscuiusque stellarum formæ & positionis sortem atque for-

unam vni omnino homini certam destinataque esse  
 eamque formam, post longissima seculorum spatia, resti-  
 tuti, si vitæ fortunarumque eiusdem hominis iudicia, in  
 tam breuibus interuallis, per singulos maiorum eius gra-  
 dus perque infinitum successionum ordinem, tam saepe ac  
 tam multipliciter eadem ipsa non eadem stellarum facie  
 denotantur? quod si id fieri potest; eaque diuersitas atque  
 varietas admittitur per omnis antiquitatis gradus, ad  
 significanda eorum hominum, qui postnascuntur, exordia:  
 imparilitas hæc turbat obseruationem; omnisque ratio dis-  
 ciplinæ confunditur. iam vero id minime ferendum cen-  
 sebat, quod non modo casus euentaque, quæ euenirent  
 extrinsecus, sed consilia quoque hominum ipsa & arbi-  
 tria & varias voluntates appetitionesque & declina-  
 tiones, & fortuitos repentinosque in leuissimis rebus ani-  
 morum impetus recessusque, moueri agitarique desuper  
 è celo putarent: tamquam quod forte ire in balneas vo-  
 lueris, ac deinde nolueris, atque id rursum volueris, non ex  
 aliqua dispari variaque animi agitatione sed ex necessaria  
 quadam errantium siderum reciprocatione contigerit: ut  
 plane homines non, quod dicitur, *λογικὰ ζῶα*, sed ludi-  
 cra & ridenda quadam neurospasta esse videantur, si  
 nihil sua sponte nihil arbitratus suo faciunt, sed dis-  
 centibus stellis & aurigantibus. ac si, inquit, potuisset  
 prædici, affirmanter, Pyrrhusne rex an M. Curius  
 prælio victurus esset; cur tandem non de alea quoque  
 ac de calculis & alueolo audent dicere, quinam ibi  
 ludentium vincat? an videlicet magna sciunt; parua  
 nesciunt; & minora maioribus imperceptiora sunt?  
 sed si magnitudines rerum sibi vindicant; magisque esse  
 perspicuas & facilius comprehendi posse dicunt: Volo, in-  
 quit, mihi respondeant, quid in hac totius mundi con-  
 templatione, præstantis naturæ operibus, in tam paruis

atque breuibus negotijs fortunisque hominum magnum  
 p̄sentent? atque id velim etiam, inquit, ut respondeant; si  
 tam paruum atque rapidum est momentum temporis, in  
 quo homo nascens fatum accipit, ut in eodem illo puncto  
 sub eodem circulo cæli plures simul ad eandem competen-  
 tiam nasci non queant; & si iccirco gemini quoque non  
 eadem vitæ sorte sunt, quoniam non eodem temporis pun-  
 cto editi sunt; peto, inquit, respondeant, cursum illum  
 temporis transuolantis, qui vix cogitatione animi com-  
 prehendi potest, quoniam pacto aut consulto assequi queant  
 aut ipsi perspicere & reprehendere: cum in tam præcipiti  
 dierum noctiumque vertigine minima momenta ingen-  
 tes facere dicant mutationes. ad postremum autem, &  
 quid esset, quod aduersum hoc dici posset, requirebat; quod  
 homines utriusque sexus omnium ætatum, diuersis stel-  
 larum motibus in vitam editi, regionibus sub quibus geni-  
 ti sunt longe distantibus, omnes tamen isti, aut hiantibus  
 terris aut labentibus tectis aut oppidorum expugnationibus  
 aut eadem in naui fluctu obruti, eodem genere mortis eo-  
 demque ictu temporis uniuersi simul interirent. quod sci-  
 licet, inquit, numquam eueniret; si momenta nascendi sin-  
 gulis attributa suas unumquodque leges haberent. quod  
 si quædam, inquit, in hominum morte atque vita etiam  
 diuersis temporibus editorum per stellarum pares quosdam  
 postea conuentus, paria nonnulla & consimilia posse di-  
 cunt obtingere: cur non aliquando possint omnia quoque  
 paria usu venire; ut existant per huiusmodi stellarum  
 concursiones & similitudines Socrata simul & Anti-  
 sthenæ & Platonæ multi, genere, forma, ingenio, mori-  
 bus, vita omni & morte pari? quod nequaquam, inquit,  
 præsumptum fieri potest. non igitur hac causa probe uti queunt,  
 aduersum hominum impares ortus, interitus pares. Illud  
 autem condonare se ipsi dicebat, quod non id quoque requi-

reret, si vita mortisque hominum rerumque humanarum omnium tempus & ratio & causa in calo & apud stellas foret; quid de muscis aut vermiculis aut echini multisque alijs minutissimis terra marique animantibus dicerent: an ista quoque isdē quibus homines, legibus nascerentur; isdemque itidē exstinguerentur: ut aut ranunculis quoque & culicibus nascēdi fata sint de caelestium siderū motibus attributa; aut si id non putarent, nulla ratio videretur cur ea siderum vis in hominibus valeret, deficeret in ceteris. Hac nos sicca & incondita & propemodum una oratione attingimus. at Fauorinus ut hominis ingenium fuit, aut quæ est Græca facundia copia simul & venustas, latius ea & amœnius & splendidius & profluentius exsequebatur. atque identidem commonebat, ut caueremus ne qua nobis isti Sycophantæ ad faciendam fidem irreperent, quod viderentur quadam interdum vera effutire aut spargere. non enim comprehensa, inquit, neque definita neque percepta dicunt; sed lubrica atque ambagiosa coniectatione nitentes, inter falsa atque vera pedentim quasi per tenebras ingredientiē eunt; & aut multa tentando incidunt repente imprudentes in veritatem aut ipsorum, qui eos consulunt, multa credulitate ducente perueniunt callide ad ea quæ vera sunt; & idcirco videntur in præteritis rebus quam in futuris veritatem facilius imitari. ista tamen omnia, quæ aut temere aut astute vera dicunt, præ ceteris, inquit, quæ mentiuntur, pars ea non est millesima. Præter hæc autem quæ dicentē Fauorinum audiuimus, multa etiam memini poetarum veterum testimonia; quibus huiuscemodi ambages fallaciōse confutantur. ex quibus est Pacumanum illud;

Nam liqui, quæ euentura sunt, prouideant;

Aequiperent Ioui.

item Accianum illud;

LIBER QVARTVS DECIMVS. 377  
Nihil, inquit, credo auguribus, qui aures ver-  
bis diuitant

Alienas; suas vt auro locupletent domus.

*Idem Fauorinus, deterrere volens ac depellere adolescentes à genethliacis istis & quibusdam alijs id genus, qui prodigiosis artibus futura omnia dicturos se pollicentur, nullo pacto aduendos esse consulendosque huiusmodi argumentis concludebat. Aut aduersa, inquit, euentura dicunt; aut prospera, si dicunt prospera, & fallunt; miser fies frustra expectando si aduersa dicunt & mentiuntur; miser fies frustra timendo si vera respondent, eaque sunt nõ prospera; iam inde ex animo miser fies, antequam è fato fias, si felicia promittunt, eaque euentura sunt; tum plane duo erunt incommodi: & expectatio te spe suspensum fatigabit; & futurum gaudij fructum spes tibi iam præflorauerit. nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus res futuras presagientibus.*

Quo in modum differuerit Fauorinus consultus à me super officio iudicis.

CAPVT II.

**Q**uo primum tempore à pratoribus lectus in iudices sum, vt iudicia, quæ appellantur priuata, susciperem; libros utriusque linguæ de officio iudicis scriptos conquisiui vt homo adolecens à poetarum fabulis & à rhetorum epilogis ad iudicandas lites vocatus, rem iudicariam, quoniam vocis, vt dicitur, viuæ penuria erat, ex mutis quod aiunt, magistris cognoscerem. atque in rerum quidem diffusionibus comperendinationibusque, & alijs quibusdam legitimis ritibus, ex ipsa lege Iulia & ex Sabini Massarij & quorundam aliorum iurisperitorum commentarijs commoniti & adminiculati sumus. in his





cui ad absoluendum iussu igitur diem diffindi, atque inde à  
 subsellijs pergo ire ad Fauorinum philosophũ, quẽ in eo tẽ-  
 pore Romæ plurimũ sectabar, atque ei de causa ac de omni-  
 bus quæ apud me dicta fuerant, ut res erat, narro omnia; ac  
 peto ut & ipsum illud in quo hærebam, & cetera etiam,  
 quæ obseruanda mihi foret in officio iudicis, faceret me ut  
 earum rerũ essem prudentior. tum Fauorinus, religione illa  
 cunctationis & sollicitudinis nostræ comprobata, id quidẽ,  
 inquit, super quo nunc deliberas, videri potest specie tenui  
 paruaque esse, sed si de omni quoque officio iudicis præire  
 tibi me vis; nequaquã est vel loci huius vel tẽporis. est enim  
 disceptatio ista multiingæ & sinuosa quæstionis, multa-  
 que & anxia cura & circũspicientia indigens. nãque, ut  
 pauca tibi nunc quæstionũ capita attingam, iam omnium  
 primũ hoc de iudicis officio queritur, si iudex forte id sciat  
 super qua re apud eũ litigatur, eaque res vni ei, prius quã  
 agi cepta aut in iudiciũ deducta sit, ex alio quodã negotio  
 casuque alioquo cognita liquido & comperta sit; neque id  
 tamen in agenda causa probatur: oporteatne eum secun-  
 dum ea, quæ sciens venit, iudicare, an secundum ea  
 quæ aguntur. id etiam, inquit, quari solet, an deceat atque  
 cõueniat iudici causa iam cognita, si facultas esse videatur  
 cõponendi negotij, officio paulisper iudicis dilato cõmunis  
 amici & quasi pacificatoris partes recipere. atque illud am-  
 plius ambigi ac dubitari scio, debeatne iudex inter cognos-  
 cendũ ea, quæ dictio quæstioque opus est, dicere & quære-  
 re, etiã si, cuius ea dici quærique interest, neque dicat neque  
 postulet. patrocinari enim prorsus hoc esse aiunt nõ iudica-  
 re præter hæc, super ea quoque re dissentitur, an ex v̄su ex-  
 que officio sit iudicis rem causamque, de qua cognoscit, in-  
 terlocutionibus suis ita exprimere consignareque, ut ante  
 sententia tempus ex his, quæ apud eũ in præsens cõfuse va-  
 riæque dicuntur, proinde, ut quoquo in loco ac tẽpore moue-

tur signa & indicia faciat motus atque sensus sui. nã qui iudices, inquit, acres atque celebres videtur non aliter existimãt rē, qua de agitur, indagari cõprehendique posse, nisi is, qui iudicat, crebris interrogationib' necessariisque interlocutionibus & suos sensus aperiat & litigantiũ deprehendat. contra autem, qui sedatiores & grauiores putantur, negant iudicem debere ante sententiã, dũ causa vtrimque agitur, quotiens aliqua re proposita motus est, totiens significare quid sentiat. euẽturum enim aiunt, ut, quia pro varietate propositionum argumentorumque alius atque alius motus animi patiendus est, aliter atque aliter eadem in causa eodemque in tempore sentire & interloqui videatur. sed de his, inquit, & ceteris huiuscemodi iudicialis officij tractatibus & nos posthac, cum erit otium, dicere quid sentiamus conabimur, & præcepta Aelij Tuberonis super officio iudicis, quæ nuperrimè legi; recensebimus. quod autem ad pecuniam pertinet, quam apud iudicem peti dixisti; suadeo Herclè tibi, ut are M. Catonis prudentissimi viri consilio: qui in oratione, quam pro L. Turio contra Cn. Gellium dixit, ita esse à maioribus memoria traditum obseruatumque ait, ut si, quod inter duos actum est, neque tabulis neque testibus planum fieri possit; tum apud iudicem, qui de ea re cognosceret, vter ex iis vir melior esset quæreretur: & si pares essent, seu boni pariter seu mali, tũ illi, unde petitur, crederetur, ac secundũ eum iudicaretur. in hac autẽ causa, de qua tu ambigis, optimus est qui petit, unde petitur deterrimus; & res est inter duos acta sine testibus: eas igitur & credas ei qui petit; condemnesque eum de quo petitur: quoniam, sicuti dicis, duo pares non sunt; et qui petit melior est. Hoc quidẽ mihi tum Fauorinus, ut virum philosophum decuit, suasit. sed maius ego altiusque id esse existimaui, quam quod meæ etati & mediocritati conueniret, ut cognouisse & condemnasse de moribus non

de probationibus rei gesta viderer: ut absoluerem tamen, inducere in animum non quivi; & propterea iuravi nihil non liquero: atque ita iudicato illo solutus sum. Verba ex oratione M. Catonis, cuius commemorat Favorinus, hæc sunt. Atque ego à maioribus memoria sic accepi: si quis quid alter ab altero peteret, siue ambo pares essent, siue boni siue mali essent, quod duo res gessissent uti testes non inter essent, illi vnde petitur ei potius credendum esse. nunc si sponsonem fecisset Gellius cum Turio. NI. VIR. MELIOR. ESSET. GELLIUS. QUAM TURIVS. nemo, opinor, tā infanus esset qui iudicaret meliorem esse Gellium quam Turium. si non melior Gellius est Turio, potius oportet credi vnde petitur.

## CAPVT III.

An æmuli offensique inter sese fuerint Xenophon & Plato.

QVI de Xenophontis Platonisque vita & moribus pleraque omnia exquisitissime scripsere, non a fuisse ab eis motus quosdam tacitos & occultos simultatis emulationisque mutua putauerunt: & eius rei argumenta quaedam coniectatoria ex eorum scriptis protulerunt. ea sunt profectò huiusmodi. quod neque à Platone in tot numero libris mentio vsquam facta sit Xenophontis, neque item contra ab eo in suis libris Platonis; quamquam uterque ac maximè Plato complurimum Socratis sectatorum in sermonibus quos scripsit, commemorerit. id etiam esse non sinceræ neque amicæ voluntatis indicium crediderunt, quod Xenophon incluto illi operi Platonis, quod de optimo statu

reipublicæ ciuitatisque administrandæ scriptum est, lectis ex eo duobus ferè libris, qui primi in vulgus exierant, opposuit contra scripsitque diuersum regiæ administrationis genus, quod  $\pi\alpha\iota\delta\epsilon\iota\alpha\varsigma\ \kappa\upsilon\beta\epsilon\tau\alpha$  inscriptum est. eo facto scriptor- que eius vsque adeo permotum esse Platonem ferunt, ut quodam in libro, mentione Cyri regis habita, retractandi leuandique eius operis gratia, virum quidem Cyrum magna- num & strenuum fuisse dixerit,  $\pi\alpha\iota\delta\epsilon\iota\alpha\varsigma\ \delta\iota\ \epsilon\kappa\ \delta\epsilon\theta\acute{\alpha}\varsigma\ \eta\ \phi\theta\alpha\iota\ \tau\omicron\ \delta\epsilon\gamma\ \pi\alpha\upsilon$ . hæc enim verba sunt de Cyro Plato- nis. præterea putant id quoque ad ista, quæ dixi, accedere; quod Xenophon in libris, quos dictorum atque factorum Socratis commentarios composuit, negat Socratem de celi atque naturæ causis rationibusque umquam disputauisse; ac ne disciplinas quidem ceteras, quæ  $\mu\alpha\theta\eta\mu\alpha\tau\alpha$  Græci appellant, quæ ad bene beatæque viuendum non perge- rent, aut attigisse aut comprobasse: idcircoque turpiter eos mentiri dicit, qui dissertationes istiusmodi Socrati at- tribuerent. hoc autem, inquiunt, Xenophon cum scripsit, Platonem videlicet notauit; in cuius libris Socrates de physica & musica & geometria disserit. Sed enim de viris optimis & grauissimis si credendum hoc aut suspi- candum fuit; causam equidem esse arbitror non obrecta- tionis, nec inuidiæ neque de gloria maiore parienda certationis, hæc enim procul à moribus philosophiæ absunt, in quibus illi duo omnium iudicio excelluerant. quæ igitur est opinionis istius ratio? hæc profecto est æquiperatio ipsa plerumque & parilitas virtutum inter sese consimilium, etiam si contentionis studium & voluntas abest, speciem tamen emulationis creat. nam cum ingenia quædam magna duorū pluriumve, in eiusdem rei studio illustrū, aut paucis sunt fama aut proxima: oritur apud diuersos fautores eorum industriæ laudisque æstimandæ contentio. tum post- ea ex alieno certamine ad eos quoque ipsos cōtagium certa-

tionis adspirat; cursusque eorum ad eandem virtutis calcem pergentium, quando est compar vel ambiguus, in emulandi suspitiones non suo sed fauentium studio delabitur. proinde igitur & Xenophon & Plato Socraticæ amœnitatis duo lumina certare emularique inter sese existimati sunt: quia de iis apud alios, uter esset exsuperantior, certabatur; & quia duæ eminentiæ, cum simul iunctæ in arduum nituntur, simulachrum quoddam contentiois emulæ pariunt.

## CAPVT IIII.

Quòd aptè Chrysippus & graficè imaginè Iustitiæ modulis coloribusque verborum depinxit.

**C**ondignè mehercle & condecorè Chrysippus in libro-  
rum, qui inscribuntur *ᾧ ἐὶ καλῆ καὶ ἠδονῆς*, primo, os & oculos Iustitiæ. vultumque eius seueris atque venerandis verborum coloribus depinxit. facit quippe imaginem Iustitiæ fierique solitam esse dicit à pictoribus rhetoribusque antiquioribus, ad hunc fermè modum. forma atque filo virginali; aspectu vehementi & formidabili; luminibus oculorum acribus; neque humilis neque atrocis sed reuerendæ cuiusdam tristitiæ dignitate. ex imaginis autem istius significatione intelligi voluit, iudicè, qui iustitiæ antistes est, oportere esse grauem, sanctum, seuerum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos nocentesque immisericordem atque inexorabilem, erectumque & arduum ac potentem, vi & maiestate æquitatis veritatisque terrificum. verba ipsa Chrysippi de iustitiâ scripta hæc sunt.

Παρθεν & ἰεὶ ναὶ λέγεται. κατὰ σύμβολον τῆ ἀδιδόρο-  
ρ & εἶναι καὶ μηδ' αὖτ' ἐνδιδόναι τοῖς κακούργοις, μὴ  
ἴ' προσίειδ' μήτε τῆς ὀπεικῆς λόγους, μήτε ᾧ ῥαίσι  
κ' δέησιν μήτε κολακείαν μήτε ἄλλο μηδ' ἐν τ' τοιούτων.

οἷς ἀκολούθως καὶ σκυθροπὴ γράφεται καὶ σωεσηκὸς ἔχει  
 σατὸ πρόσωπον καὶ ἔνπνον, καὶ δεδιρκὸς βλέπεισα, ὥστε  
 τοῖς μὲν ἀδίκοις φόβον ἐμποιεῖν, τοῖς δὲ δίκαιοις θάρσος  
 τῆς μὲν ὡς πρὸς φίλους ὄντος τῆ ποιούτε προσωπε τοῖς δὲ  
 ἑτέροις προσαντας. *Hæc verba Chrysippi eo etiam magis  
 ponenda existimavi, ut prompta ad considerandum iudi-  
 candumque sint. quoniam legentibus ea nobis delicatior  
 quidam disciplinarum philosophi Sautia imaginem istâ  
 esse non Iustitia dixerunt.*

## CAPVT V.

Lis atque contentio grammaticorum Romæ il-  
 lustrum enarrata super casu vocatiuo vocabu-  
 li quod est, egregius.

**D**E fessus ego quondam diutina commentatione, laxan-  
 di leuandique animi gratia, in Agrippæ campo deca-  
 bulabam: atque ibi duos fortè grammaticos conspicatus  
 non parui in urbe Roma nominis certationi eorum acerri-  
 ma adfui; cum alter in casu vocatiuo, vir egregi, dicen-  
 dum contenderet, alter vir egregie. ratio autem eius, qui  
 egregi oportere dici censebat, huiuscemodi fuit. Quacum-  
 que, inquit, nomina seu vocabula recto casu numero sin-  
 gulari, us, syllaba finiuntur, in quibus ante ultimam  
 syllabam posita est, i, littera; ea omnia casu vocatiuo, i,  
 littera terminantur, ut Cælius Cæli, modius modi,  
 tertius tertii, Accius Acci, Titius Titi, & similia  
 omnia. sic igitur egregius, quoniam, us, syllaba in casu  
 nominandi finitur, eamque syllabam præcedit, i, littera,  
 habere debet in casu vocandi, i, litteram extremam; &  
 idcirco, egregi, non egregie rectius dicitur. nam diuus  
 & riuus & cliuus, & similia nomina, i. s. syllaba ter-  
 minantur, sed ea quæ per duo u scribenda est, propter cuius  
 syllaba

Syllaba sonum declarandum reperta erat noua littera, quæ digamma appellabatur. hoc ubi ille alter audiuit: ò, inquit, egregie grāmaticæ, vel, si id mauis, egregiissime. dic, oro te, inscius & impius & sobrius & ebrius & proprius & propitius & anxius & contrarius, quæ us syllaba finiuntur, in quibus ante ultimam syllabam, i, littera est, quem casum vocandi habent? me enim pudor & verecundia tenet pronuntiare ea secundum tuam definitionem: sed cum ille paulisper oppositu horum vocabulorum commotus reticisset, & mox tamen se collegisset; eandemque illam, quam definierat; regulam retineret & propugnaret; diceretque & proprium & propitium & anxium & contrarium itidem in casis vocatiuo dicendum; ut & aduersarius & extrarius diceretur, inscium quoque & impium & ebrium & sobrium insolentius quidem paulo sed rectius per i litteram non per e in casu eodem pronuntiandum; eaque inter eos contextio longius duceretur: non arbitratus ego operæ precium esse eadem ista hac diutius audire clamantes compugnantesque illos reliqui.

## CAPVT VI.

Cuiusmodi sint quæ speciem doctrinarum habeant; sed neque delectent neque utilia sint: atque inibi de vocabulis singularum urbium regionumque immutatis.

**H**omo nobis familiaris, in litterarum cultu non ignobilis magnamque ætatis partem in libris versatus; adiutum, inquit, ornatumque volo ire Noctes tuas. & simul dat mihi librum grandi volumine; doctrinis omnigenis, ut ipse dicebat, præscatentem; quem sibi elaboratum esse ait ex multis & variis & remotis lectionibus: ut ex

eo sumerem quantum liberet rerum memoria dignarum: accipio cupidus & libens; tamquã si copie cornum nactus essem: & recondo me penitus, ut sine arbitris legam at quæ ibi scripta erant, prò Iupiter, mera miracula! quo nomine fuerit qui primus grammaticus appellatus est, & quot fuerint Pythagoræ nobiles, quot Hippocrata & cuiusmodi Homerus fuisse dicat in Ulixis domo à δῖγνες, quam ob causam Telemachus cubans iunctim sibi cubantem Pisistratum non manu attigerit sed pedis ictu excitarit, & Euriclia Telemachum quo genere claustrum incluserit, & quapropter idem poeta rosam non norit, oleum ex rosa norit; atque illud etiam scriptum fuit, quæ nomina fuerint sociorum Ulixis qui à Scylla rapti laceratique sunt, utrum ἐν τῇ ἐς ὠ θαλάσῳ Ulixes errauerit ἢ ἀ ἀγῖς ἀγχοῦ ἢ ἐν τῇ ἐξ ὠ ἢ τὰ κρᾶτιστα. id etiam istuc scriptum fuit qui sint apud Homerum versus isopsephæ, & quorum ibi nominum Ἐγσιχίς reperiatur, & quis adeò versus sit qui per singula vocabula singulis syllabis incre-scat; ac deinde qua ratione dixerit singulas pecudes in singulos annos terna parere, & ex quinque operimentis, quibus Achilli clupeus mœnitus est, quod factum ex auro est, summum sit an medium, & præterea quibus urbibus regionibusque vocabula iam mutata sint, quod Bœotia ante appellata fuerit Aonia, quod Egyptus Aëria, quod Creta eodem quoque nomine Aëria dicta est, quod attice ἀκτὴ, quod Corinthus Ephyre, quod Macedonis ἡμαθία, quod Thessalia αἰμωνία, quod Tyros Sarra, quod Thracia antè Sithon dicta sit, quod Seston ποσειδώνιον. Hac atque item alia multa istiusmodi scripta in eo libro fuerunt. quæ cum statim properans redderem, ἐναλὸ σ ε, inquam, doctissime virorum, ταύτης τῆς πολυμαθίας; & librum hunc opulentissimum recipe nihil prorsus ad nostras pertinetas litteras congruentem, nam meæ noctes, quas in-



structum ornatumque isti, de uno maxime illo versu Hæmeri querunt, quem Socrates præ omnibus semper rebus sibi esse cordi dicebat,

Ὅτις τὸ ἐν μέγιστοι κακὸν τ' ἀγαθὸν τὲ τέτοκται.

## CAPVT VII.

Quod Marcus Varro Cn. Pompeio consuli primum designato commentarium dedit, quem appellauit isagogicum, de officio senatus habendi.

**C**N. Pompeio consulatus primus cum M. Crasso designatus est. cum magistratum Pompeius cum initurus foret, quoniam, per militiae tempora, senatus habendi consulendique, rerum etiam expertus urbanarum fuit, M. Varronem familiarem suum rogauit, uti commentarium faceret ei σαγωγικόν. sic enim Varro ipse appellat. ex quo disceret quid facere dicereque deberet, cum senatum consuleret. Eum librum commentarium quem super ea re Pompeio fecerat, perisse Varro ait in litteris quas ad Oppianum dedit. quæ sunt in libro epistolicarum quaestionum quarto. in quibus litteris, quoniam quæ ante scripserat non comparabant, docet rursus multa ad eam rem ducentia. primum ibi ponit qui fuerint, per quos more maiorem senatus haberi soleret; eosque nominat, dictatorem, consulem, prætores, tribunos plebi, interregem, præfectum vrbi: neque alij, præter hos, ius fuisse dixit facere senatusconsultum; quotiensque usu venisset ut omnes isti magistratus eodem tempore Romæ esset, tum quo supra ordine scripti essent, qui eorum prior alius esset, ei potissimum senatus consulendi ius fuisse. addit deinde, extraordinario iure tribunos quoque militares, qui proconsulibus fuissent, item decemviros quibus imperium consulare tum esset, item triumuitos reipublicæ

constituendæ causa creatos ius consulendi senatum habuisse. postea scripsit de intercessionibus: dixitque intercedendi, ne senatusconsultum fieret, ius fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua iis, qui senatusconsultum facere vellent, maioreve essent. tum adscripsit de locis, in quibus senatusconsultum fieri iure posset; docuitque confirmavitque nisi in loco per augures constituto, quod templum appellaretur, senatusconsultum factum esset, iustum id non fuisse. propterea & in curia Hostilia & in Pœpeia & post in Iulia cum profana ea loca fuissent, templa esse per augures constituta; ut in iis senatusconsulta more maiorum iusta fieri possent. inter quæ id quoque scriptum reliquit; non omnis ædes sacra templa esse, ac ne adem quidem Vesta templum esse. post hæc deinceps dicit, senatusconsultum ante exortum aut post occasum solem factum ratum non fuisse: opus etiam censorium fecisse existimatos, per quos eo tempore senatusconsultum factum esset. docet deinde inibi multa, quibus diebus habere senatum ius non sit; immolareque hostiam prius auspicarique debere, qui senatum habiturus esset; de rebusque diuinis prius quam humanis ad senatum referendum esse: tum porro referri oportere aut infinite de republica aut de singulis rebus finite; senatusque consultum fieri duobus modis; aut per discessionem, si consentitur; aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas: singulos autem debere consuli gradatim; incipique a consulari gradu. ex quo gradu semper quidem antea primum rogari solitum, qui princeps in senatum lectus esset; tum autem, cum hæc scriberet, nouum morem institutum refert, per ambitionem gratiamque, ut is primus rogaretur, quem rogare vellet qui haberet senatum, dum is tamen ex gradu consulari esset. præter hæc, de pignore quoque capiendo disserit, deque multa dicenda senatori; qui, cum in senatum venire deberet, non adesset.

*Hac & alia quadam id genus in libro, quo supra dixi, M. Varro epistola ad Oppianum scripta exsecutus est, sed quod ait senatusconsultum duobus modis fieri solere, aut conquisitis sententiis aut per discessionem; parum conuenire videtur cum eo quod Ateius Capito in coniectaneis scriptum reliquit. nam in libro ducentesimo quinquagesimonono Tiberonem dicere ait, nullum senatusconsultum fieri posse non discessione facta, quia in omnibus senatusconsultis, etiã in iis qua per relationem fierent, discessio esset necessaria: idque ipse Capito verum esse affirmat. sed de hac omni re alio in loco plenius accuratiusque nos meminisse scribere.*

## CAPVT VIII.

Quaeritum esse dissensumque, an praefectus Latinarum causa creatus ius senatus conuocandi consulendique habeat,

**P**raefectum urbi Latinarum causa relictum senatum habere posse Iunius negat, quoniam ne senator quidem sit; neque ius habeat sententiae dicendae, cum ex ea etate praefectus fiat qua non sit senatoria. Marcus autem Varro in quarto epistolicarum quaestionum & Ateius Capito in Coniectaneorum ducentesimo quinquagesimonono ius esse praefecto senatus habendi dicunt: deque ea re a senatum esse Capitonem Tiberoni contra sententiam Iunij refert. nam & tribunis, inquit, plebis senatus habendi ius erat, quanquam senatores non essent, ante Atinium plebiscitum.

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
QVINTVSDECIMVS.

CAPVT I.

Quod in Q. Claudij annalibus scriptum est, li-  
gnum alumine oblitum non ardere.

**E**clamauerat Antonius Iulianus rhetor præ-  
terquam semper alias, tum vero nimium, quan-  
tū delectabiliter & feliciter. sunt enim sermō  
scholastica ista declamationes eiusdem hominis  
eiusdemque facundia, non eiusdem tamen quotidie felici-  
tatis. nos ergo familiares eius circumfusi undique eum  
prosequebamur domum: cum deinde subeuntes montem  
Cassium conspiciamus insulam quamdam occupatam igni,  
multis arduisque tabulatis editā; & propinqua iam om-  
nia flagrare vasto incendio, tum quissiam ibi ex comitibus  
Iuliani, Magni, inquit, reditus urbanorū prediorum; sed  
pericula sunt longè maxima. si quid autem posset remedij  
fore, ut ne tam assiduè domus Roma arderent, venum her-  
cle dedissem res rusticas, & vrbicas emissem, at qui illi Iu-  
lianus lata, ut mos eius fuit, inter fabulandum venusta-  
te, si annalem, inquit, vndeicesimum Q. Claudij legisset  
optimi & sincerissimi scriptoris, docuisset te profectō Ar-  
chelaeus regis Mithridati praefect⁹, qua medela quaque sol-  
lertia igne defenderes; ut ne vlla tua aedificatio è ligno cor-  
repta atque insinuata flammis arderet. Percunctatus ego  
sum quid esset. librum Quadrigarij petit. in eo igitur li-  
bro scriptum inueni Cum oppugnaret L. Sulla in terra

*Attica Piræum; & contra Archelaus regis Mithridati præfectus ex eo oppido propugnaret, turrim ligneam defendendi gratia structam, cum ex omni latere circumplexa igni foret, ardere non quisset, quod alumine ab Archelao oblita fuisset, verba Quadrigarii ex eo libro hæc sunt. Tum Sulla conatus est & tempore magno eduxit copias, ut Archelai turrim vnam, quam ille interposuit, ligneam incenderet. venit. accessit, ligna subdidit, submouit Græcos. ignem admouit. satis sunt diu conati. numquam quierunt incendere: ita Archelaus omnem materiã obleuerat alumine. quod Sulla atque milites mirabantur. & postquam non succendit, reduxit copias.*

## CAPVT II.

Quod Plato in libris, quos de legibus cõposuit, largiores lætioresque in conuiujs inuitatiunculas vini non inutiles esse existimauerit.

**E**X insula Creta quispiam atatem Athenis agēs Platonium se esse philosophum dicebat & viderier gestibat. erat autem nihili homo & nugator, atque in Græca facundia gloria iactabundus, & præterea vini libidine adusque ludibria ebriosus. is in conuiujs inuennum, quæ agitare Athenis hebdomadibus luna sollempne nobis fuit, simulatque modus epulis factus; & utiles delectabilesque sermones cæperant: tum silentio ad audiendum petito loqui cœptabat: atque id genus vili & incondita verborum caterua hortabatur omnes ad bibendum, idque se facere ex decreto Platonico prædicabat; tamquam Plato in libris, quos de legibus composuit, laudes ebrietatis copiosissimè scripsisset, vtilcmque esse eam bonis ac

fortibus viris censuisset . ac simul inter eiusmodi orationem crebris & ingentibus poculis omne ingenium ingurgitabat ; fomitem esse quemdam dicens & incitabulum ingenij virtutisque , si mens & corpus hominis vino flagraret . Sed enim Plato , in primo & secundo de legibus , non , ut ille nebulos opinabatur , ebrietatem istam turpissimam , quæ labefacere & imminuere hominum mentes solet , laudavit ; sed hanc largiorem paulo iucundioresque vini invitationem , quæ fieret sub quibusdam quasi arbitris & magistris conuiuiorum sobriis , non improbauit . nam & modicis honestisque inter bibendum remissionibus refici integrarique animos ad instauranda sobrietatis officia existimauit , reddique eos sensim latiores atque ad intentiones rursus capiendas fieri habiliores : & simul , si qui penitus in iis affectionum cupiditatumque errores inessent quos aliqui pudor reuerens concealaret , ea omnia sine graui periculo , libertate per vinum data , detegi , & ad corrigendum medendumque fieri opportuniora . atque hoc etiam Plato ibidem dicit , non desugiendas esse neque respuendas huiuscemodi exercitationes aduersum propulsandam vini violentiam ; neque vllum vquam continentem prorsus ac temperantem satis fideliter visum esse , cuius vita virtusque non inter ipsa errorum pericula & in medijs voluptatum illecebris explorata sit . nam cui Libertæ Gratiæque omnes conuiuiorum incognitæ sint , qui que illarum omnino expers sit ; si eum forte ad participandas eiusmodi voluptates aut voluntas tulerit aut casus induxerit aut necessitas compulerit , deleniri plerumque & capisneque mentem animumque eius consistere , sed vi quadam noua ictum labascere . congregiendum igitur censuit & tamquam in acie quadam cum voluptariis rebus cumque ista vini licentia comminus decernendum : ut aduersum eas non fuga simus tuti nec absentia ; sed vigore animi & constan-

ti presentia moderatoque vsu temperantiam continentia-  
que tueamur; & calefacto simul refotoque animo, si quid  
in eo vel frigida tristitia vel torpentis verecundia fuerit,  
deluamus.

## CAPVT III.

Quid M. Cicero de particula ista senserit scripse-  
ritque quæ præposita est verbis *aufugio* & *aufe-  
ro*: & an in verbo *autumo* eadem ista hæc præ-  
positio esse videri debeat.

**L**egimus librum Ciceronis, qui inscriptus est *Orator*.  
In eo libro Cicero cum dixisset verba hæc, *aufugio*,  
& *aufero*, composita quidē esse ex præpositione *ab*, & ex  
verbis, *fugio* & *fero*; sed eam præpositionem, quo fieret  
vox pronuntiata audituque lenior, versam mutatāque es-  
se in *au* syllabam; cæptumque esse dici *aufugio* & *aufe-  
ro*, pro, *abfugio* & *abfero*: cum hæc, in quâ, ita dixisset;  
tum postea ibidem super eadem particula ita scripsit.  
Hæc, inquit, præpositio, præter hæc duo verba, nul-  
lo alio in verbo reperitur. Inuenimus autem in commē-  
tario Nigidiano verbū, *autumo*, compositum ex *ab* præ-  
positione & verbo *æstumo*; dictūque *intercise*, *autumo*,  
quasi *abæstumo*, quod significaret totam *æstumo*, tã-  
quam *ab numero*. sed, quod sit cum honore multo dictum  
P. Nigidii hominis eruditissimi, audacius hoc argutiusque  
esse videtur, quam verius. *autumo* enim non id solum si-  
gnificat, sed & dico & opinor & censeo. cum qui-  
bus verbis præpositio ista neque coherentia vocis neque si-  
gnificatione sententia conuenit. præterea vix acerrima in  
studio litterarum licentia M. Tullius nõ sola esse hæc duo  
verba dixisset, si reperiri posset vllum tertium. Sed illud  
magis inspicere quæritque dignum est, versane sit & mutata  
ab, præpositio in *au*, syllabam propter leuitatem vocis, an  
potius, *au* particula sua sit propria origine, & proinde, ut

pleraque alia prapositiones à Græcis, ita hac quoque inde accepta sit: sicuti est in illo versu Homeri.

αὐτὸν ἔρυσαν μὲν πρῶτα καὶ ἔσπαζαν καὶ ἔδειξαν.  
καὶ ἄβρομοι αὐτὸν ἰαχοῖ.

## CAPVT IIII.

**H**istoria de Ventidio Basso ignobili homine, quæ primum de Parthis triumphasse memoriæ traditum est.

**I**N sermonibus nuper fuit seniorum hominū & eruditorum multos in vetere memoria altissimū dignitatis gradum ascendisse ignobilissimos prius homines & despicatissimos. Nihil adeo de quoquam tāta admirationi fuit, quanta fuerūt quæ de Ventidio Basso scripta sunt. eum Picentē fuisse. genere & loco humili; & matr̄ in eius à Pompeio Strabone Pompeij magni patre bello sociali, quo Aesculanos subegit, captam cum ipso esse; mox triumphante Pompeio Strabone eum quoque puerum inter ceteros ante curruum imperatoris sinu matr̄ vectū esse; post, cum adoleuisset, victum sibi agrè quæsisse, eumque sordidè inuenisse comparandis mulis & vehiculis quæ magistratibus, qui sortiti provincias forent, prabenda publicè conduxisset; in isto quæstu notum esse cæpisse C. Casari, & cum eo profectum esse in Gallias: tum, quia in ea provincia satis nauiter versatus esset & deinceps ciuili bello mādata sibi pleraque impigrè & strenuè fecisset, non modo in amicitiam Casaris sed ex ea in amplissimum quoque ordinem peruenisset; mox tribunum quoque plebi ac deinde prætorem creatum, atque in eo tempore iudicatū esse à senatu hostem cum M. Antonio: post vero coniunctis partibus non pristinam tantum dignitatem reciperasse, sed & pontificatum ac deinde consulatum quoque adeptum esse: eamque rem tam intoleranter tulisse populū Romanum, qui Vētidium Bassum meminerat curandis mulis victitasse, ut vulgo per



*vias urbis versiculi proscriberentur:*

Concurrite omnes augures haruspices.

Portentum inusitatum conflatum est recens.

Nam rulos qui sicabat consul factus est.

*Eundem Bassum Suetonius Tranquillus præpositum esse à M. Antonio provinciis orientalibus, Parthosque in Syriam introrumpentis tribus ab eo prælijs fusos scribit, cūque primum omnium de Parthis triumphasse, & morte obita publico funere sepultum esse.*

## CAPVT V.

Verbum profligo à plerisque dici improprie insciteque.

**S**icut alia verba pleraque, ignoratione & inscitia improbè dicentium quæ nō intelligant, deflecta ac depravata sunt à ratione recta & consuetudine; ita huius quoque verbi, quod est, profligo, significatio versa & corrupta est. nam cum ab affligendo & ad perniciem interitūque deducendo inclinatum id tractumque sit; semperque eo verbo qui diligenter locuti sunt ita usi sint, ut profligare dicerent prodigere & deperdere, profligatasque res quasi proflictas & perditas appellarint: nūc audio adificia & templa & alia ferè multa, quæ prope absoluta affectaque sunt, in profligato esse dici: ipsaque iam esse profligata. quapropter urbanissime respondisse prætorē non indoctum virum Barua sculo cui dam ex advocatorum turba Sulpicius Apollinaris in quadam epistola scriptum reliquit. nam cum ille, inquit, rabula audaculus ita postulasset, verbaque ita fecisset; Omnia, vir clarissime, negotia de quibus te cogniturum esse hodie dixisti diligentia & velocitate tua profligata sunt; unum id solum relictum est de quo rogo audias: tum prætor satis ridicule, An illa, inquit, negotia, de quibus iam cognovisse me dicis, profligata sint equidem nescio hoc autem negotium quod in te incidit, proculdubio siue id audiam siue

*non audiam, profligatum est. Quod significare autem volunt qui profligatum dicunt; ii qui Latine locuti sunt non profligatum sed affectum dixerunt. sicut M. Cicero in oratione, quam habuit de provincijs consularibus. eius verba hæc sunt. Bellum affectum videmus, &, vere ut dicam, pene confectum. item infra. Nam ipse Cæsar quid est quod in ea provincia commorari velit, nisi ut ea quæ per eum affecta sunt perfecta republicæ tradat? idem Cicero in Oeconomico. Cum vero affecta iam prope æstate uas à sole mitescere tempus est.*

In libro M. Ciceronis de gloria secundo, manifestum erratum in ea parte, in qua scriptum est super Hectore & Aiace.

C A P V T V I.

**I**N libro M. Tullij, qui est secundus de gloria, manifestus error est non magna rei. quem errorem esse possit cognoscere non aliquis eruditorum, sed qui tantum legerit O'p'us 20 n. quamobrem non tam id mirabamur errasse in ea re M. Tullium; quam non esse animaduersum hoc postea correctumque vel ab ipso vel à Tirone liberto eius, diligentissimo homine & librorum patroni sui studiosissimo. ita enim scriptum in eo libro est. Apud eundem poetam Ajax cum Hectore congregiendi depugnandi causa agit ut sepeliatur, si sit forte victus; declaratque se velle ut suam tumulum multis etiam post sæculis prætereuntes sic loquantur.

Hic situs est vitæ iam pridem lumina linquēs,  
Qui quondam Hectoreo perculsus concidit  
ense.

Fabitur hæc aliquis. mea semper gloria viuet.

Huius autem sententia versus, quos Cicero in linguam Latinam vertit, non *Ajax* apud *Homerum* dicit, neque *Ajax* agit ut sepeliatur; sed *Hector* dicit, & *Hector* de sepultura agit, prius quam sciat an *Ajax* secum depugnandi causa congressurus sit.

Observatum esse in senibus, quod annum fere ætatis tertium & sexagesimum agant aut laboribus aut interitu aut clade aliqua insignitum: atque inibi super eadem observatione exemplum appositum epistolæ diui Augusti ad Caium filium.

## CAPVT VII.

Observatum in multa hominum memoria experitumque est in senioribus plerisque omnibus, sexagesimum tertium vitæ annum cum periculo & clade aliqua venire aut corporis morbi que grauioris aut vitæ interitus aut animi ægritudinis. propterea, qui rerum verborumque istiusmodi studio tenentur, eum ætatis annum appellat κλιμακτηρικόν. Nocte quoque ista proxima superiore, cum librum epistolarum D. Augusti, quas ad Caium nepotem suum scripsit; legeremus; duceremurque elegantia orationis neque morosa neque anxia sed facili hercle & simplici; id ipsum in quadam epistola super eodem anno scriptum offendimus: eiusque epistola exemplum hoc est. VIII. Kal. octobr. Haue mi Cai, meus ocellus iucundissimus. quem semper medius fidius desidero cum à me abes; sed præcipue diebus talibus; qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium; quem, vbi cunque hoc die fuisti, spero lætum & beniuolentem celebrasse quartum & sexagesimum natalé meū. nam, vt vides, κλιμακτηρῆα

communem seniorum omnium tertium & sexagesimum annum euasimus. deos autem oro ut, quantum mihi superest temporis, id saluis vobis traducere liceat in statu reipublicæ felicissimo  
*αὐδραγαθοῦντων ὑμῶν καὶ διαδεχομένων* stationem meam.

## CAPUT VIII.

Locus ex oratione Fauorini veteris oratoris de cœnium atque luxuriæ exprobratione, qua usus est cum legem Liciniam de sumtu minuendo suasisit.

**C**um legeremus orationem veterem Fauorini non indiserti viri; quam orationem totam, ut meminisse possemus odio esse hercle istiusmodi sumtus atque victus, perdidicimus. verba hæc quæ apposuimus Fauorini sunt: Præfecti popinæ atque luxuriæ negant cœnam lautam esse, nisi, cum libentissime edis, tum auferatur, & alia esca melior atque amplior succenturietur. is nunc flos cœnæ habetur inter istos, quibus sumtus & fastidium pro sacetiis procedit: qui negant ullam auem præter sicedulam totam comesse oportere; ceterarum auium atque altitium nisi tantum apponatur ut à cluniculis inferiori parte saturi fiant, conuiuium putant inopia sordere: superior em partem auium atque altitium qui edint eos palatum non habere, si portione luxuria pergit crescere; quid relinquitur nisi ut delibari sibi cœnas iubeant, ne edendo defetigentur quando stratus, auro, argento, purpura, amplior aliquot hominibus quam diis immortalibus adornatur.

## CAPVT IX.

Quod Cæcilius poeta *frontem* genere virili non poetice sed cum probatione & cum analogia appellauit.

**V**erè ac disertè Cæcilius hoc Subditiuo scripsit:  
 Nam hi sunt inimici pessimi fronte hilaro,  
 Corde tristi; quos neque vt apprendas neque  
 vt mittas scias.

*hos ego versus, cum de quodam istiusmodi homine sermone essent in circulo forte iuuenum eruditorum dixi. tum de grammaticorum volgo quispiam nobiscum ibi assistens non sane ignobilis, Quanta, inquit, licentia audaciaque Cæcilius hic fuit, cum fronte hilaro, non, fronte hilara, dixit, & tam immanem solæcismum nihil veritus est? immo, inquam potius nos & quam audaces & quam licentes sumus, qui frontem improbè indocteque non virili genere dicimus, cum & ratio proportionis, que analogia appellatur, & veterum auctoritas non hanc sed hunc frontem deberi dici suadeant. quippe M. Cato in quinto Originum ita scripsit. Pottridie signis collatis æquo fronte peditatu equitibus atque aliis cū hostium legionibus pugnauit. recto quoque fronte idem Cato eodem in libro dicit. At ille semidoctus grammaticus Missas, inquit, auctoritates facias: quas quidem vt habeas, posse fieri puto. sed rationem dic, quam non habes. atque ego his eius verbis, vt tum ferebat etas, irritatior, Audi, inquam, mi magister rationem falsam quidem, sed quam redarguere falsam esse tu non queas. Omnia, inquam, vocabula tribus litteris finis, quibus f. i. o. n. s. finitur, generis masculini sunt, si in ge-*

nitiuo quoque casu eadem syllaba finiantur: ut, mons; pons, frons. at ille contra renidens; Audi, inquit, discipule plura alia consimilia, quæ non sint generis masculini. petebant ibi omnes ut vel unum statim diceret. sed cum homo voltum intorqueret, & non hisceret, & colores mutaret: tum ego intercessi; & Vade, inquam, nunc & habeto ad requirendum triginta dies: postquam inueneris; repetes nos. atque ita hominem nulli rei ad indagandum vocabulum, quo rescinderet finitionem fictam, dimisimus.

### De voluntario & admirando interitu virginum Miletiarum.

#### CAPVT X.

**P**lutarchus in librorum, quos *œc* *Λυχ* inscripsit; primo, cū de morbis differeret in animos hominum incidentibus, virgines dixit Milesii nominis, ferè quot tunc in ea ciuitate erant; repente sine vlla euidenti causa voluntatem cepisse obeunda mortis; ac deinde plurimas vitam suspendio amisisse. id cum accideret in dies crebrius, neque animis earum mori perseverantium medicina adhiberi quiret; decreuisse Milesios ut virgines, quæ corporibus suspensis demortuæ forent, ut eæ omnes nudæ cum eodem laqueo, quæ essent præuinctæ, efferrentur: post id decretum virgines voluntariam mortem non petisse pudore solo deterritas tam inhonesti funeris.

Verba de exigendis vrbe Roma philosophis: item verba edicti censorum, quo improbatum & coercitum sunt qui disciplinam rhetoricam instituire & exercere Romæ cœperant.

#### CAPVT XI.

**C**. Fannio Strabone, M. Valerio Messala COSS. senatusconsultum de philosophis & de rhetoribus Latinis factum est. M. POMPONIVS. PRAETOR. SENATVM. CONSVLVIT. QVOD. VERBA. FACTA. SVNT. DE. PHILOSOPHIS. ET. DE. RHETORIBVS. DE. EA. RE. ITA. CENSVERVNT. VTI. M. POMPONIVS. PRAETOR. ANIMADVERTERET. COERARET. QVE. VTI. EI. E. REPVBICA. FIDE. QVE. SVA. VIDERETVR. VTI. ROMAE. NE. ESSENT. *Aliquot deinde annis post id senatusconsultum Cn. Domitius Aenobarbus & L. Licinius Crassus censores de coercendis rhetoribus Latinis ita edixerunt.* RENVTIATVM. EST. NOBIS. ESSE. HOMINES. QVI. NOVVM. GENVS. DISCIPLINAE. INSTITVERVNT. AD. QVOS. IVENTVS. IN. LVDVM. CONVENIAT. EOS. SIBI. NOMEN. IMPOSVISSE. LATINOS. RHETORAS. IBI. HOMINES. ADVLESCENTVLOS. DIES. TOTOS. DESIDERE. MAIORES. NOSTRI. QVAE. LIBEROS. SVOS. DISCERE. ET. QVOS. IN. LVDOS. ITARE. VELLENT. INSTITVERVNT. HAEC. NOVA. QVAE. PRAETER. CONSVE TVDINEM. AC. MOREM. MAIORVM. FIVVNT. NE. QVE. PLACENT. NE. QVE. RECTA. IDENTVR. QVA. PROPTER. ET. HIS. QVI. EOS. LVDOS. HABENT. ET. HIS. QVI. EO. VENIRE. CONSERVNT. VISVM. EST. FACIVNDVM. VT. OSTENDEREMVS. NOSTRAM. SENTENTIAM. NOBIS. NON. PLACERE. *Neque illis solum temporibus nimis rudibus, necdum Graeca doctrina expolitis, philosophi ex vr-*

*be Roma pulsi sunt: verum etiam Domitiano imperante senatusconsulto eieci atque vbe & Italia interdicti sunt. qua tempestate Epictetus quoque philosophus propter id senatusconsultum Nicopolim Roma decessit.*

## CAPVT XII.

Locus ex oratione Gracchi de parsimonia ac de pudicitia sua memoratissimus.

**C.** Grachus, cum ex Sardinia rediit, orationem ad populum in concione habuit. ea verba hæc sunt. Verfatus sum, inquit, in prouincia quomodo ex vsu vestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meæ conducere arbitrabar. nulla apud me fuit popina: neque pueri eximia facie stabant. sed in conuiuio liberi vestri modestius erāt quam apud principia. post deinde hæc dicit. Ita verfatus sum in prouincia, vt nemo possit vere dicere assem aut eo plus in muneribus me accepisse; aut mea opera quæquam sumtum fecisse. biennium enim fui in prouincia: si vlla meretrix domum meam introiit aut cuiusquam seruulus propter me sollicitus est, omnium nationum postremissimum nequissimumque existimatote. cum à seruis eorum tam caste me habuerim; inde poteritis considerare quomodo me putetis cum liberis vestris viisse. atque ibi ex interuallo, Itaque, inquit, Quintus cum Romam profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli alii vini amphoras quas plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportauerunt.



## CAPVT XIII.

De verbis inopinatis, quæ utroqueverſum dicuntur & à grammaticis communia vocantur.

**V**TOR, & vereor, & hortor, & conſolor, cõmunia verba ſunt; ac dici utroqueverſus poſſunt: vereor te & vereor abſ te, id eſt, tu me vereris. vtor te & vtor abſ te, id eſt tu me uteris. hortor te & hortor abſ te, id eſt, tu me hortaris. conſolor te & cõſolor abſ te, id eſt, tu me cõſolaris. teſtor quoque & interpretor ſignificatione reciproca dicuntur. Sunt autẽ verba hæc omnia ex altera parte inuſitata; & an dicta ſint in eã quoque partem quæri ſolet. Afranius in Conſobriniſ.

Hem iſto parentum eſt vita vilis liberis;

Vbi inſunt metui quam verei ſe ab ſuis.

*hic verei ex ea parte dictum eſt, quæ eſt non uſitatio. Nouius in Ligartaca verbum quod eſt, vtatur, ex contraria parte dicit. Quia ſupellex multa, quæ non vitur, emitur tamen: id eſt, quæ uſui non eſt. M. Cato in quinta Origine, Exercitum, inquit, ſuum præſum præſentem cohortatum eduxit foras atque inſtruxit. conſolor quoque in partem alteram, præterquam dici ſolitur eſt. ſcriptum inuenimus in epiſtola Q. Metelli: quam cum in exilio eſſet, ad Cn. & ad L. Domitios dedit. At cum animum, inquit, veſtrum erga me video; vehementer conſolor: & fides vtriuſque veſtra mihi ante oculos verſatur. teſtata itidem & interpretata eadem ratione dixit M. Tullius in primo libro de diuinatione; ut teſtor inter, retorque verba communia videri debeant. Saluſtius quoque eodem modo, Dilargitis præſentium bonis, dicit, tamquam verbum largior ſit ex verbis communibus. veri-*

tum autem sicut pudicum & pigritum non personali-  
liter per infinitum modum dictum esse non à vetustiori-  
bus tantum videmus, sed à M. quoque Tullio in secundo  
de finibus. Primum, inquit, Aristippi Cyrenaico-  
rumque omnium, quos non est veritum in ea vo-  
luptate, quæ maxima dulcedine sensum moue-  
ret, summum bonum ponere. dignor quoque &  
veneror & confiteor & testor habita sunt in  
verbis communibus. sic illa in Vergilio dicta sunt.

Coniugio Anchisa Veneris dignate su-  
peibo.

¶:

Curfusque dabis venerata secundos.

Confessi autem aris, de quo facta confessio est, in xij. ta-  
bulis scriptum est, his verbis. AERIS. CONFESSI.  
REBUS. QUE. IUDICATIS. TRIGINTA.  
DIES. IVSTI. SVNTO. item ex isdem tabulis  
id quoque est. QVI. SE. SI ERIT. TESTARIER.  
LIBRIPENS. VE. FVERIT. NI. TESTIMO-  
NIUM. FARIATVR. IMPROBVS. INTE-  
STABILIS. QUE. ESTO.

CAPVT. XIII.

Quod Metellus Numidicus figuram orationis  
nouam ex orationibus Græcis mutuatus est.

**A** PUD Q Metellum Numidicum, in libro accusa-  
tionis in Valerium Messalam tertio, noue dictum  
esse annotauimus. verba ex oratione eius hæc sunt. Cum  
te sciet in tantum crimen venisse atque lo-  
cios ad senatum questum venisse sese pecunias  
maximas e actos esse. pecunias, inquit, maximas  
exactos, pro eo quod est, pecunias à se maximas exa-

Etas. id nobis videbatur Græca figura dictum. Græci enim dicunt, εἰς ἐμὰς ἀτὸ με ἀρροῖον: id significat, exegit me pecuniam. quod si id dici potest; etiam exactus esse aliqui pecuniam dici potest: Caciliusque eadem figura in Hypobolimo Eschino usus videtur;

Ego illud minus nihilo exigor portorium:  
id est; nihilominus exigitur de me portorium.

## CAPVT XV.

*Passis velis, & passis manibus* dixisse veteres non à verbo suo quod est *patior*; sed ab alieno, quod est, *pandor*.

**A**B eo quod est, pando, passum veteres dixerunt, non, pansum, & cum præpositione, expassum, non, expansum. Cacilius in Synaristosis:

Heri vero prospexe eumce ex tegulis:

Hæc nuntiaffet flammeum expassum domi. capillo quoque esse mulier passo dicitur, quasi porrecto & expanso. & passis manibus & velis passis dicimus, quod significat diductis atque distentis. itaque Plautus in Milite glorioso, a littera in, e, mutata, per compositi vocabuli morem, dispassis dicit, pro eo quod est, dispassis:

Credo ego isthoc exemplo tibi esse eundum  
actutum extra portam

Dispassis manibus patibulum cum habebis.

## CAPVT XVI.

De nouo genere interitus Crotoniensis Milonis.

**M**ilo Crotoniensis athleta illustris, quem in chroni-  
cis scriptum est olympiade prima coronatum esse,  
exitum habuit vita miserandum & mirandum. cum iam  
natus grandis artem athleticam desisset, iterque faceret  
forte solus in locis Italia siluestribus: quercum vidit  
proxime viam patulis in parte media ramis hiantem.  
tum, experiri, credo, etiam tunc volens an ulla sibi reli-  
qua vires adessent, immisis in cauernas arboris digitis  
diducere & rescindere quercum conatus est, ac mediam  
quidem partem discidit. uellitque. quercus autem in  
duas diducta partes, cum ille, quasi perfecto quod  
erat connixus, manus laxasset: cessante vi rediit in  
naturam; manibusque eius retentis inclusisque stri-  
cta denuo & cohesa, dilacerandum hominem feris  
præbuit.

## CAPUT XVII.

Quam ob causam nobis es pueri Atheniensium  
tibiis canere desierint, cum patrium istum  
morem canendi haberent.

**A**lcibiades Atheniensis, cum apud auunculum Pe-  
riclen puer artibus ac disciplinis liberalibus eru-  
diretur; & arcesii Pericles Antigenidam tibicinem  
iussisset ut eum canere tibijs, quod honestissimum tum  
videbatur, doceret: traditas sibi tibijs cum ad os adhi-  
bisset inflassetque; pudefactus oris deformitate abiicit  
infregitque. ea res cum percrebuisset; omnium tum A-  
theniensium consensu, disciplina tibijs canendi desita  
est. scriptum hoc est in commentario Pamphila nono &  
vicesimo.

## CAPVT XVIII.

Quod pugna belli ciuilis victoriaque C. Cæsaris, quam vicit Pharfaliciis campis, nuntiata prædictaque est per cuiusdam remigis vaticinium eodem ipso die in Italia Patauij.

**Q**uo C. Cæsar & Cn. Pompeius die per ciuile bellum signis collatis in Thessalia conflixerunt, res accidit Patauij in transpadana Italia memorari digna. Cornelius quidam sacerdos, & loco nobilis & sacerdotij religionibus venerandus & castitate vitæ sanctus, repente mota mente conspiciere se procul dixit pugnam acerrimam pugnari; ac deinde cedere alios, alios urgere, cædem, fugam, tela volantia, instaurationem pugnae, impressionem, gemitus, vulnera, proinde ut si ipse in prælio versaretur, coram videre sese vociferatus est; ac postea subito exclamauit Cæsarem vicisse. Ea Cornelij sacerdotis hariolatio leuis tum quidem visa est & vecors: magna mox admirationi fuit; quod non modo pugnae dies, quæ in Thessalia pugnata est, neque prælij exitus, qui erat prædictus, idem fuit; sed omnes quoque pugnandi reciproca vices, & ipsa exercituum duorum conflictatio vaticinantis motu atque verbis representata est.

## CAPVT XIX.

Verba M. Varronis memoria digna, ex satyra quæ inscribitur, *ᾠὴ ἐἰς Διομάτων*.

**N**on paucissimi sunt in quos potest conuenire id quod M. Varro dicit, in satyra quæ inscribitur *ᾠὴ ἐἰς Διομάτων*. verba hæc sunt. Si, quantum operæ sumfitti ut tuus pistor bonum faceret panem, eius duo-

decimam philosophiæ dedisses; ipse bonus iampridem esses factus. nunc, illū qui norunt, volunt emere milibus centum, te, qui nouit, nemo centuffi.

## CAPVT XX.

Notata quædam de Euripidi poetæ genere, vita, moribus, deque eiusdem sine vitæ.

**E**uripidi poeta matrem Theopompus agrestia olera uidentem victum quæfisse dicit. patri autem eius nato illo responsum est à Chaldeis, eum puerum, cum adoleuisset, victorem in certaminibus fore. id ei puero fatum esse, pater interpretatus athletam debere esse, roborato exercitatoque filij sui corpore Olympiam certaturum eum, inter athletas pueros deduxit. ac primo quidem in certamen per ambiguum ætatem receptus non est. post Eleusinio & Theſao certamine pugnavit, & coronatus est. mox, à corporis cura ad excolendi animi studium transgressus, auditor fuit physici Anaxagoræ & Prodicī rhetoris, in morali autem philosophia Socratis. tragœdiam scribere natus annos duodeviginti adortus est. Philochorus refert in insula Salamine speluncam esse tætram & horridam, quam nos vidimus; in qua Euripides tragœdias scriptitarit. mulieres ferè omnes in maiorem modum exosus fuisse dicitur. siue quod natura abhorruit à mulierum cœtu, siue quod duas simul uxores habuerat, cum id decreto ab Atheniensibus factu ius esset; quarum matrimonij pertadebat. Eius odij in mulieres Aristophanes quoque meminuit ἐν ταῖς προτέραις θεσμοφοριαζέσαις in his versibus.

Νῦν οὖν ἀπάσαισι φθαινῶ κ' ἰέγω,

Τοῦτον κολάσαι τὸν ἄνδρα πολλῶν οὔνεκα.

Ἀγρία γὰρ ἡμᾶς ὦ γυναικες δρᾶ κακὰ

Ἄτ' ἐν ἀγρίοισι λαχάνοις αὐτὸς τραφεῖς.

*Alexander autem Ætolus hos de Euripide versus composuit.*

Ο' ὃ Αναξάρτου πρόφιμος ἀρχαίου  
 Στρυφνὸς μὲν ἐμοίγε ἔοικε ποροσιπεῖν,  
 Καὶ μισογάως, καὶ πωθάζειν οὐδὲ παρ' οἶνον  
 Μεμαθηκῶς· ἀλλ' ὅ,τι καὶ χάψαι, τοῦτ' αὖ  
 Μέλιτος καὶ σειρήνων ἐτετεύχει.

*is, cum in Macedonia apud Archelaum regem esset, utereturque eo rex familiariter; rediens nocte ab eius cœna canibus à quodam amulo immisissis dilaceratus est: & ex his vulneribus mors secuta est. sepulchrum autem eius & memoriam Macedones eo dignati sunt honore, ut in gloria quoque loco prædicarent: οὐποτε σὸν μνήμα Εὐριπίδης ὦλετο πᾶ. quòd egregius poeta morte obita sepultus in eorum terra foret. quamobrem cum legati ad eos ab Atheniensibus missi petissent ut ossa Athenas in terram illius patriam permitterent transferri; maximo consensu Macedones in ea re deneganda perstiterunt.*

## C A P V T XXI.

Quòd à poetis Iouis filij prudentissimi humanissimique, Neptuni autem ferocissimi & inhumanissimi traduntur.

**P**restantissimos virtute, prudentia, viribus, Iouis filios poeta appellauerunt, ut Æacum & Minoa & Sarpedona; ferocissimos & immanes & alienos ab omni humanitate, tamquam è mari genitos, Neptuni filios dixerunt, Cyclopa & Cercyona & Scyrona & Lestrygonas.

## CAPVT XXII.

Historia de Sertorio duce, deque astu eius commentis que simulamentis, quibus ad barbaros milites continendos conciliandosque sibi utebatur.

**S**ertorius vir acer egregiusque dux & tuendi regendi que exercitus peritus fuit. is, in temporibus difficilissimis, & mentiebatur ad milites si mendacium prodesset, & litteras compositas pro veris legebat, & somnium simulabat, & falsas religiones conferebat si quid ista res eum apud militum animos adiutabant. illud adeo Sertorij nobile est. cerua alba eximia pulchritudinis & viuacissima celeritatis à Lusitano ei quodam dona data est. hanc sibi oblatam diuinitus & instructam Diana numine colloqui secum monereque & docere, qua utilia factu essent, persuadere omnibus instituit: ac, si quid durius videbatur quod imperandum militibus foret, à cerua sese monitum predicabat. id cum dixerat; uniuersi tamquam si deo libentes parebant. Ea cerua quodam die, cum incurso esset hostium nuntiata festinatio, tumultu consternata in fugam sese prorupit; atque in palude proxima delituit; & postea requisita perisse credita est. neque multis diebus post, inuentam esse ceruam Sertorio nuntiatum. tum qui nuntiauerat iussit tacere; ac, ne cui palam diceret, interminatus est: præcepitque ut eam postero die repente in eum locum, in quo ipse cum amicis esset, immitteret. admissis deinde amicis postridie, visum sibi esse ait in quiete ceruam, qua perisset, ad se reuerti, & ut prius consueerat, quod opus esset factum, predicare. tum Sertorio, quod imperauerat, significante cerua emissa in cubiculum Sertorij introrupit. clamor factus, & orta admiratio est: eaque homi-



LIBER QVINTVS DECIMVS. 411  
num barbarorum credulitas Sertorio in magnis rebus ma-  
gno vsui fuit, Memoria proditum est, ex iis nationibus,  
quæ cum Sertorio faciebant, cum multis præliis superatus  
esset, neminem vnquam ab eo descivisse; quamquam id  
genus hominum esset mobilissimum.

CAPVT XXIII.

De ætatibus historicorum nobilium Hællanici,  
Herodoti, Thucydidis.

**H**ællanicus, Herodotus, Thucydides, historia scri-  
ptores in isdem temporibus ferè laude ingenti flo-  
ruerunt, & non nimis longè distantibus fuerunt ætati-  
bus. nam Hællanicus initio belli Peloponnesiaci fuisse quin-  
que & sexaginta annos natus videtur, Herodotus tres &  
quingenta, Thucydides quadraginta, scriptum hoc est  
in libro undecimo Pamphila.

CAPVT XXIII.

Quod Vulcatius Sedigitus in libro, quem de poe-  
tis scripsit, de comicis Latinis iudicavit.

**S**edigitus in libro, quem scripsit de poetis, quid de iis  
sentiatur qui comædias fecerunt, & quem ex omnibus  
præstare ceteris putet, ac deinceps quo quemque in lo-  
co & honore ponat, his versibus suis demonstrat.

Multos incertos certare hanc rem vidimus  
Palmam poëtæ comico cui deferant.

Eum meo iudicio errorem dissoluam tibi:

Vt contrà si quis sentiatur nihil tentiat.

Cæcilio palmam Statio do comico.

Plautus secundus facile exsuperat ceteros.  
 Dein Nævius qui seruet precium tertius.  
 Si erit, quod quarto; dabitur Licinio.  
 Post inæqui Licinium facio Attilium.  
 In sexto sequitur hos loco Terentius.  
 Turpilius septimum, Trabea octauū obtinet.  
 Nono loco esse facilè facio Lucium.  
 Decimum addo causa antiquitatis Ennium.

## CAPVT XXV.

De verbis quibusdam nouis, quæ in Cn. Mattii  
 mimiambis offenderamus.

**C**N. Matius vir eruditus in mimiambis suis non ab-  
 surdè neque absone finxit, recentatur, pro eo quod  
 Græci dicunt ἀνανέσται. versus, in quibus hoc verbum  
 est, hi sunt.

Iam iam albicaescit Phœbus & recentatur  
 Commune lumen hominibus voluptasque  
 idem Matius in isdem mimiambis edulcare dicit; quod  
 est, dulcius reddere, in his versibus.

Quapropter edulcare conuenit vitam;  
 Curasque acerbis sensibus gubernare.

## CAPVT XXVI.

Quibus verbis Aristoteles philosophus definiuit  
 syllogismum; eiusque definitionis interpreta-  
 mentum verbis Latinis factum.

**A**ristoteles quid syllogismus esset his verbis defini-  
 uit. λόγος ἐν ᾧ τεθέντων πινῶν ἕτερόν τι ἤδη κειμέ-  
 νων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει διὰ τῶν κειμένων. eius defini-  
 tionis non videbatur habere incommode interpretatio

facta hoc modo. Syllogismus est oratio, in qua consensus quibusdam & concessis aliud quid, quam quæ concessa sunt, necessario conficitur.

## CAPVT XXVII.

Quid sint comitia calata, quid curiata, quid centuriata, quid tributa, quid concilium; atque inibi quædam eiusmodi.

**I**N libro Lælii Felicis ad Q. Mucium primo scriptum est, Labeonem scribere, calata comitia esse, quæ pro collegio pontifici in habentur aut regis aut flaminum inaugurationum causa. eorum autem alia esse curiata, alia centuriata. curiata per licitorem curiatum calari, id est, convocari; centuriata per cornicinem. isdem comitiis, quæ calata appellari diximus, & sacrorum detestatio & testamenta fieri solebant. tria enim genera testamentorum fuisse accepimus, unum, quod calatis comitiis in populi concione fieret; alterum in procinctu, cum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur; tertium per familia emancipationem, cui as & libra adhiberetur. in eodem Lælii Felicis libro hæc scripta sunt. Is qui non uniuersum populum sed partem aliquam adesse iubet, non comitia sed concilium edicere debet. tribuni autem neque aduoca it patricios neque ad eos referre vlla de re possunt: ita ne leges quidem proprie sed plebiscita appellantur quæ tribunis plebis ferentibus accepta sunt; quibus rogationibus ante patricii non tenebantur, donec Q. Hortensius dictator eam legem tulit, ut eo iure quod plebes statuisset, omnes Quirites tenerentur. item in eodem libro hoc scriptum est. Cum ex generibus hominum suffragium feratur, cu ia-

ta comitia esse; cum ex censu & ætate, centuriata; cum ex regionibus & locis, tribut. centuriata autem comitia intra pomerium fieri nefas esse; quia excicicum extra urbem imperari oporteat; intra urbem imperari ius non sit: propterea centuriata in campo Martio haberi, exerci umque imperari præsidii causa solitum; quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus.

## CAPVT XXVIII.

Quod errauit Cornelius Nepos cum scripsit Ciceronem tres & viginti annos natum causam pro Sex. Roscio dixisse.

**C**ornelius Nepos & rerum memoria non indiligens & M. Ciceronis, ut qui maxime, amicis familiaris fuit. atque is tamen in primo librorum, quos de vita illius composuit, errasse videtur; cum eum scripsit tres & viginti annos natum primam causam iudicii publici egisse, Sextumque Roscium parricidii reum defendisse, diuumeratis quippe annis à Q. Cæpione & Q. Serrano, quibus Consulibus ante diem III. nonas Ianuarias M. Cicero natus est, ad M. Tullium & Cn. Dolabellam, quibus Consulibus causam priuatam pro Quintio apud Aquilium Gallum iudicem dixit, sex & viginti anni repræuntur. neque dubium est quin post annum, quam pro Quintio dixerat, Sex. Roscium reum parricidij defenderit, annos iam septem atque viginti natus, L. Sullus Felice Q. Metello Pio Consulibus in qua re etiam Fenestellam errasse Pedianus Asconius animaduertit, quod eum scripserit sex-to vicesimo ætatis anno pro Sex. Roscio dixisse. Longior autem Nepotis quam Fenestellæ error est; nisi quis vult in animum inducere, studio amoris & amicitia adductum,

amplificanda admirationis gratia, quadriennium suppressisse: ut M. Cicero orationem florentem dixisse pro Roscio admodum adolescens videretur. Illud adeo ab utriusque oratoris studiosis animaduersum & scriptum est; quod Demosthenes & Cicero pari aetate illustrissimas orationes in causis dixerint, alter *κατὰ ἀνδραπολιωνος καὶ κατὰ πλοκεδῆτος* septem & viginti annos natus, alter anno minor pro P. Quintio septimoque & vicesimo pro Sex. Roscio. vixerunt quoque non nimis numerum annorum diuersum, alter sex & sexaginta annos, Demosthenes sexaginta.

## CAPVT XXIX.

Quali figura orationis & quam noua L. Piso animalium scriptor vsus sit.

**D**va ista in loquendo figura nota satis vsitataque sunt, Mihi nomen est Iulio & mihi nomen est Iul i. tertiam figuram nouam hercle reperi apud Pisonem in secundo animalium. verba Pisonis haec sunt. L. Tarquinius collegam suum, quia Tarquinium nomen esset, metuere; eumque orat uti sua voluntate Romam contendat. quia Tarquinium, inquit, nomen esset. hoc proinde est, tamquam si ego dicam, mihi nomen est Iulium.

## CAPVT XXX.

Vehiculum, quod petorritum appellatur, cuiatis linguae vocabulum sit Graecae an Gallicae.

**Q**ui ab alio genere vitae detricti iam & retorridi ad litterarum disciplinas serius adeunt, si forte idem sunt garruli natura & subargutuli, oppido quam sunt in litterarum ostentatione inepti & frivoli. quod

genus profecto ille homo est, qui de petorritis nuper argutissimas nugas dixit. nam cum quaereretur petorritū quali forma vehiculum cuiusque linguae vocabulum esset: & faciem vehiculi e mentitus est longè alienam falsamque, & vocabulum Graecum esse dixit; atque id significare volucres rotas interpretatus est: commutat àque una littera petorritum esse dictum volebat, quasi petorrotum. scriptum etiam hoc esse à Valerio Probo contendit. Ego cum Probi multos admodum commentationum libros anquisierim neque scriptum in his inueni, nec usquam alioqui Probum scripsisse credo. petorritum enim est nō ex Graeca dimidiatum, sed totum transalpinus. nam, est vox Gallica. id scriptum est in libro M. Varronis quattordecimo rerum diuinarum. quo in loco Varro, cum de petorrito dixisset, esse id verbum Gallicum; lanceam quoque dixit, non Latinum sed Hispanicum verbum esse.

## CAPVT XXXI.

Quæ verba legauerint Rhodii ad hostium ducē Demetrium, cum ab eo obsiderentur, super illa incluta Ialysi imagine.

**R**Hodum insulam celebritatis antiquissima, oppidūque in ea pulcherrimū ornatissimumque, obsidebat oppugnabatque Demetrius dux ætatis suæ inclutus: cui à peritia disciplinaque faciendi obsidii, machinarumque sollertia ad capienda oppida repertarum, cognomentum πολιορκητις fuit. tum ibi in obsidione illa ædes quasdam publicè factas, quæ extra urbis muros cum paruo presidio erant, aggredi & vastare atque absumere igni parabat. in his ædibus erat memoratissima illa imago Ialysi, Protogenis manu facta illustris pictoris; cuius operis pulchritudinem præstantiamque ira percitus Rhodius inuidebat

bat. mittunt Rhodii ad Demetrium legatos, cum his verbis. Quae malum, inquit, ratio est, ut tu imaginem istam velis incendio adiuuato disperdere? nam si nos omnes superaueris & oppidum hoc totum ceperis, imagine quoque illa integra & incolu[m] per victoriam poteris. sin vero nos vincere obsidendo nequueris; petimus consideres ne turpe tibi sit, quia non potueris Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo gessisse. hoc tibi ex legatis audiuit: oppugnatione desista, & imagini & ciuitati pepercit.

## A. GELLII NOCTIVM

## ATTICARVM COMMEN-

## TARIVS LIBER

## SEXTVSDECIMVS.

## CAPVT I.

Verba Musonii philosophi Græca, digna atque vtilia audiri obseruarique, eiusdemque vtilitatis sententia à M. Ca. one multis ante annis Numantiæ ad equites dicta.



Doleſcentuli cum etiam tum in ſcholis eſſemus, ἐνθυμημάτων hoc Græcum, quod ap-  
 poſui, dictum eſſe à Muſonio philoſopho au-  
 dicabamus. & quoniam verè atque luculen-  
 tè dictum verbisque eſt breuibus & rotundis vinctum,  
 perquam libenter meminera[m]us. ἂν τὴν πράξιν καλὸν μέ-  
 γα πόνος, ὁ μὲν πόνος οἴχεται, τὸ δὲ καλὸν μέγιστον ἂν τὴν ποσὶ-

σησαίχρον μετὰ τὴν δυνῆς, τὸ μὲν ὕδὺ οἷσχεται, τὸ δὲ αἰσχεδὸν μένει. postea istam ipsam sententiam in Catonis oratione, quam dixit Numantiae apud equites, positam legimus. quae & si laxioribus paulo longioribusque verbis comprehensa est praequam illud Graecum quod diximus; quoniam tamen priore tempore antiquiorque est, venerabilior videri debet. verba ex oratione hac sunt. Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem rectè feceritis, labor ille à vobis cito recedet. bene factum à vobis dum vivitis non abscedet. sed si qua per voluptatem nequiter feceritis; voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit.

## C A P V T II.

Cuimodi sit lex apud dialecticos percunctandi differendique, & quæ sit eius legis reprehensio.

**L**egem esse aiunt disciplina dialectica, si de quapiam re quaeratur disputeturque atque ibi quid rogere ut respondeas, tum ne amplius quid dicas quam id solum quod es rogatus, aut aias aut neques, eamque legem qui non seruent, & aut plus aut aliter quam sunt rogati respondeant, existimantur indoctique esse, disputandique morem atque rationem non tenere. hoc quidem, quod dicunt, in plerisque disputationibus proculdubio fieri oportet. indefinitus namque inexplicabilisque sermo fiet, nisi interrogationibus responsionibusque simplicibus fuerit determinatus. sed enim esse quaedam videntur, in quibus, si breviter & ad id quod rogatus fueris respondeas, capiare. nam si quis his verbis interroget: pe-



stulto uti respondeas, desierisne facere adulterium an non: utrumcumque dialectica lege responderis, siue aias siue neges; hæc bis in captione, tamquam si te dicas adulterum. sed quod minus est in interrogatione, id est addendum. nam qui facere aliquid non desinit, non id necessario etiam fecit. falsa igitur est species istius captiois; & nequaquam procedere ad id potest ut colligi concludique possit eum facere adulterium, qui se negauerit facere desisse. quid autem legis istius propugnatores in illa captiuncula facient, in qua hæcere eos necessum est, si nihil amplius quam quod interrogati erunt responderint: nam, si ita ego istorum aliquem rogem; Quicquid non perdidisti habeasne an non habeas, postulo aut aias aut neges: utrumcumque breuiter responderit, capietur. nam si non habere se negauerit, quod non perdidit: colligetur oculos eum non habere, quos non perdidit. si vero habere se dixerit; colligetur eum habere cornua, qua non perdidit. rectius igitur cautiusque ita respondebitur. quicquid habui id habeo, si id non perdidit. sed huiusmodi responsio non fit ex ea lege, quam diximus. plus enim quam quod rogatus est respondet. & propterea id quoque ad eam legem addi solet, non esse captiosas interrogationibus respondendum.

## CAPVT III.

Quanam ratione effici dixerit Erasistratus medicus, si cibus forte deerit ut tolerari aliquantisper inedia possit & tolerari fames: verbaque ipsa Erasistrati super ea rescripta.

**C**um Fauorino Roma dies plerumque totos eramus; tenebatque animos nostros homo ille fandi dulcissimus. atque eum quoquo iret, quasi ex lingua pror-

sum eius capti prosequeremur . ita sermonibus usquequaque amœnissimis demulcebat . tum ad quemdam agrum cum isset visere; nosque cum eo una introissemus ; multaque ad medicos , qui tum fortè istic erant, vale udinis eius gratia , oratione Græca dixisset: *Ac ne hoc quidem , inquit , mirum videri debet, quod, cum antehac semper edundi fuerit appetens , nunc, post imperatam incediam tridui omnis eius appetitio pristina elanguerit . nam quod Erasistratus scriptum, inquit, reliquit , propemodum verum est . esuritionem faciunt inanes patentisque intestinorum fibrae & caua intus ventris ac stomachi vacua & hiantia . qua ubi aut cibo complentur , aut inanitate diutina contrahuntur & conuident ; tunc loco , in quem cibus capitur, vel stipato vel adducto , voluntas capiendi eius desiderandique restringitur . Scythas quoque ait eundem Erasistratum dicere , cum sit usus ut famem longius tolerant, fasciis ventrem strictissime circumligare . ea ventris compressione esuritionem posse depelli creditum est . Hæc tum Favorinus multaque istiusmodi alia affabilissimè dicebat . Nos autem postea, cum librum forte Erasistrati legeremus διαίτησιν primum, id ipsum in eo libro quod Favorinum audiebamus dicere, scriptum offendimus . verba Erasistrati ad eam rem pertinentia hæc sunt . ἐλογίζομεθα οὐδὲ πῶς ἰχθυῶν σὺμπλωσιν τῆς κοιλίας εἶναι πῶς σφόδρα ἀσπιαν . καὶ γὰρ τοῖς ἐπιπλέον ἀσπιῶσι κατὰ προαίρεσιν, ἐν τοῖς πρώτοις χρόνοις ἢ πείνα παρεκκαλεῖται . ὕστερον δὲ οὐκέτι . deinde paulum infra . εἰθισμένοι δὲ εἰσι καὶ οἱ σκύθαι ὅταν διὰ πνα καιρὸν ἀναγκάζονται ἄσπιτοι εἶναι, ζώοντες πλατείαις πῶς κοιλίαν διασφίγγειν, ὡς τὴ πείνης αὐτοῦς ἦπρον ἐνοχλοῦσης . σχεδὸν δὲ καὶ ὅταν πείνης ἢ κοιλία ἢ διὰ τὸ κένωμα ἐν αὐτῇ μηδὲν εἶναι, διὰ τὸ τοῦ*

κεινωσιν. ὅταν ὃ σφόδρα συμπεπωκῆα ἢ κένωμα οὐκ ἔχει. in eodem libro Erasistratus vim quamdam famis non tolerabilem, quam Græci βούλιμον appellant, in diebus frigidissimis multo facilius accidere ait, quam cum serenum atque placidum est: atque eius rei causas, cur is morbus in eo plerumque tempore oriatur, non sibi esse compertas dicit. verba quibus id dicit hæc sunt. ἄπορον ὃ καὶ δέομενον ἐπισκέψομαι, καὶ ἐπὶ τούτῳ καὶ ἐπὶ τοῦ λοιπῶν βεβλημένων διατί ἐν τοῖς ψύχει μάλλον τὸ σύμπτωμα, τὸ γίνεταί ἢ ἐν ταῖς ἐυδαίαις.

## CAPVT IIII.

Quo ritu quibusque verbis feialis populi Romani bellum indicere solitus sit his, quibus populus Romanus bellum fieri iusserat: & item in quæ verba conceptum fuerit iusiurandū de furtis militaribus sancendis, & vti milites scripti intra prædictum diem in loco certo frequentarent, causis quibusdam exceptis, propter quas id iusiurandum remitti æquum esset.

Cincius, in libro tertio de re militari, feialem populi Romani bellum indicentem hostibus telumque in agrum eorū iacentem hisce verbis vti scripsit. QVOD. POPVLVS. HERMVNDVLVS. HOMINES. QVE. POPVLI. HERMVNDVLI. ADVERSVS. POPVLVM. ROMANVM. BELLVM. FECERE. DELIQVERVNT. QVE. QVOD Q. POPVLVS. ROMANVS. CVM. POPVLO. HERMVNDVLO. BELLVM. IVSSIT. OB. EAM. REM. EGO. POPVLVS. QVE. ROMANVS.

POPVLO. HERMVNDVLO. BELLVM. DI-  
 CO. FACIO. QVE. *items, in libro eiusdem Cin-*  
*cii de re militari quinto, ita scriptum est. Cum dile-*  
*ctus antiquitus fieret, & milites scriberentur: iusiuran-*  
*dum eos Tribunus militaris adigebat, in verba hac.*  
 IN. MAGISTRATV. C. LÆLII. C. FI-  
 LII. CONSVLIS. L. CORNELII. P. FI-  
 LII. CONSVLIS. IN. EXERCITV. DE-  
 CEM. QVE. MILIA. PASSVVM. PROPE-  
 FVRTVM. NON. FACIES. DOLO. MA-  
 LQ. SOLVS NE. QVE. CVM. PLVRIBVS.  
 PLVRIS. NVMMI. ARGENTEI. IN. DIES.  
 SINGVLOS. EXTRA. QVE. HASTAM. HA-  
 STILE. LIGNA. NAPVM. PABVLVM. V-  
 TREM. FOLLEM. FACVLAM. SI. QVID.  
 IBI. INVENERIS. SVSTVLERIS. VE.  
 QVOD. TVVM. NON. ERIT. QVOD  
 PLVRIS. NVMMI. ARGENTEI. ERIT.  
 VTI. TV. AD. C. LÆLIVM. C. FILIVM.  
 CONSVLEM. L. VE. CORNELIVM. P.  
 FILIVM. CONSVLEM. SIVE. QVEM. AD.  
 VTRVM. EORVM. IVS. ERIT. PRO-  
 FERES. AVT. PROFITEBERE. IN. TRI-  
 DVO. PROXIMO. QVICQVID. INVE-  
 NERIS. SVSTVLERIS. VF. SINE. DO-  
 LO. MALO. AVT. DOMINO. SVO. CV-  
 IVM. ID. CENSEBIS. ESSE. REDDES.  
 VTI. QVOD. RECTVM. FACTVM, ES-  
 SE. VOLES. *Militibus autem scriptis dies præs-*  
*nebatur; quo die adessent: & ut citanti consuli res-*  
*ponderent. deinde ita concipiebatur iusiurandum, ut*  
*adessent his additis exceptionibus; nisi harumce que*  
*causa erit, funus familiare, feriæve deicales*

quæ non eius rei causa in eum diem collatæ sint, quo is eo die minus ibi esset, moribus soniticis, auspiciūve quod sine piaculo præterire nõ liceat, sacrificiūve annuērsarium quod recte fieri non posset, nisi eo die ibi sit; vis hostiſve, status condictiſve dies cum hoste: si cui eorum harunce quæ causa erit, tum se poſtridie quam per eas causas licebit eo die venturum, additurumque eum qui eum pagum, vicum, oppidumve, delegerit. *item in eodem libro verba hæc sunt.* Miles cum die qui prædictus est aberat neque excusatus erat infrequens dabatur. *item in libro sexto hoc scriptum est.* Alæ dictæ exercitus equitum ordines; quod circum legiones dextra sinistraque tamquam alæ in auium corporibus locabantur. in legione sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.

## CAPVT V.

*Vestibulum*, quid significet; deque eius vocabulirationibus.

**P**leraque sunt vocabula, quibus volgò utimur, neque tamen liquido scimus quid ea propriè atque vere significant: sed incompertam & vulgariam traditionem rei non explorata secuti videmur magis dicere quod volumus, quam dicimus. sicuti est vestibulum, verbum in sermonibus celebre atque obuium; non omnibus tamen, qui illo facile utuntur, satis spectatum. animaduerti enim quosdam haudquaquam indoctos viros opinari vestibulum esse partem domus primorem quam vulgus atrium vocat. *Cacilius Gallus, in libro de significatione verborum*

*quæ ad ius civile pertinent secundo, vestibulum esse dicit non in ipsis ædibus neque partem ædium, sed locum ante ianuam domus vacuum; per quem à via aditus accessusque ad ædis est, cum dextra sinistraque ianuam, lecta sunt viæ iuncta; atque ipsa ianua procul via est at ea vacanti intersita. quæ porro huic vocabulo ratio sit quæri multum solet. sed quæ scripta legi, ea ferme omnia inconcinna atque absurda visa sunt. quod Sulpicium autem Apollinarem memini dicere virum eliganti scientia ornatum, huiusmodi est. ve particula, sicuti quadam alia, tum intentionem significat tum minutionem. nam vetus, vehemens, alterum ab ætatis magnitudine compositum elisumque est, alterum à mentis vi atque impetu dicitur. vescum autem, quod ex ve particula & esca copulatum est, utriusque diuersæ significationis vim capit. aliter enim Lucretius vescū salē dicit ex edendi intentione: aliter Lucilius vescum appellat cum edendi fastidio. qui domos igitur amplas antiquitus faciebant, locum ante ianuam vacuum relinquebant, qui inter fores domus & viam medius esset. in eo loco qui dominum eius domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant; & neque in via stabant, neque intra ædis erant. ab illa ergo grandis loci consistentiæ & quasi quadam stabulatione, vestibula appellata sunt, spatia, sicut diximus, grandia ante fores ædium relicta; in quibus starent, qui venissent. priusquam in domum intramitterentur. Meminisse autem debemus id vocabulum non semper à veteribus proprie. sed per quasdam translationes, esse dictum: quæ tamen ita sunt factæ, ut ab ista, de qua diximus, proprietate non longe desciverint: sicut illud in sexto Vergily;*

Vestibulū ante ipsum primisq. in faucibus orci  
 Luctus & vltices posuere cubilia curæ.

non enim vestibulum priorem partem domus infernae esse dicit, quod obrepere potest tamquam si ita dicatur, sed loca duo demonstrat extra orci fores vestibulum & fauces: ex quibus & vestibulum appellat ante ipsam quasi domum & ante ipsa orci penetrabilia; fauces autem vocat iter angustum, per quod ad vestibulum adiretur.

## CAPVT VI.

Hostia quæ dicuntur bidentes quid sint & quam ob causam ita appellatae sunt superque ea re P. Nigidii & Iulii Higini sententia.

**R**edeuntes Græcia Brundisium nauem aduertimus. Ribi quispiam linguae Latinae litterator Roma à Brundisium accersitus experiundum sese vulgo dabat. imus ad eum nos quoque oblectamenti gratia. erat enim festus atque languens animus de aestu maris. legebat barbare insciteque Vergilij septimum: in quo libro hic versus est;

Centum lanigeras maetabat rite bidentis:  
& iubebat rogare se, si quis quid omnium rerum vellet dicere. tum ego indocti hominis confidentiam demiratus, Doctæne, inquam, nos magister cur bidentes dicantur. bidentes, inquit, oues appellatae: idcircoque lanigeras dixit, ut oues planius demonstraret. posthac, inquam, videbimus an oues sola, ut ais, bidentes dicantur; & an Pomponius Atellanarum poeta in Gallis transalpinis errauerit, cum hoc scripsit;

Mars tibi voueo facturum si vnumquam redierit bidenti verre.

sed nunc ego à te rogavi et quam scias esse huiusce vocabuli rationem. atque ille nihil cunctatus, sed nimium quantum audacter, Oues, inquit, bidentes dictæ, quod duos tantum dentes habeant. Vbi terrarum, quaeso te, inquam, duos solos

per naturam dentes habere ouem vidisti? ostentum enim est & piaculis factis procurandum. tum ille per motus mihi & irritatus Quære, inquit, ea potius, quæ ex Græmatico quærenda sunt. nam nemo de ouium dentibus nisi opiliones percunctatur. facetias nebulonis hominis risi & reliquis. Publius autem Nigidius, in libro quem de extis composuit, bidentes appellari ait, non oues solas sed omnes bimas hostias. neque tamen dixit apertius cur bidentes; sed, quod ultro existimabamus, id scriptum inuenimus in commentarijs quibusdam ad ius pontificium pertinentibus, bidennes primo dictas, d, littera immissa, quasi biennes: tum longo usu loquēdi corruptam vocem esse, & ex bidennibu, bidentes, factum: quoniam id videbatur esse dictu facilius leuiusque. Higinus tamen Iulius, qui ius pontificium non videtur ignorasse, in quarto librorum, quos de Vergilio fecit, appellari bidentes scripsit hostias, quæ per ætatem duos dentes altiores haberent. verba illius ipsa posui. Quæ bidens est, inquit, hostia, oportet habeat dentes octo, sed ex his duo ceteris altiores; per quos appareat ex minore ætate in maiorem transcendisse. Hæc Higinij opinio an vera sit, non argumentis sed oculis indicari potest.

## CAPVT VII.

Quod Laberius verba pleraque licetius petulantiusque finxit, & quod multis item verbis vitur de quibus an sint Latina quæri solet.

**L**aberius in mimis, quos scriptitauit, oppido quam verba finxit praelicenter. nam & mendicimonium dicit & mæchimonium & adulterionem adulteritatemque pro adulterio, & depudicauit, pro stuprauit & abluuium, pro diluuiio, & quod in mimo pa-



nit quem Cophinū scripsit, manuatus est pro, furatus est, & item in Fullone furem, manuarium, appellat:

Manuari, inquit, pudorem perdidisti. multa que alia huiuscemodi nouat. neque nō obsoleta quoque & maculantia ex sordidiorē vulgi vsu ponit: quale est in Staminarijs,

Tollet bona fide vos Orcus nudas in cationū. & elutciare lintea & lauād. ia dicit qua ad lauandū sint data, & coicior, inquit, in fullonica Ecquid properas? ecquid præcur is Calonia? item in Restione calabarrūculos dicit, quos vulgus talabarriones, itē in Compitalibus, malas malaxau, itē in Cacomemnone,

Hic est, inquit, ille gurdus quem ego

Me abhinc duos mentes ex Africa

Venientem excepisse. tibi narraui.

item in mimo, qui inscribitur natal, cippū dicit, & obbā & camellam, & pictaciū & capitium. induis, inquit, capitium tunicæ pictacium. præterea in Anna perenna, gubernium pro gubernatore, & planū pro sycophanta & nanū pro pumilione dicit. quāquā planū pro sycophāta M quoque Cicero in oratione scriptum reliquit, quā pro Cluentio dixit. atque itē in mimo, qui Saturnalia inscriptus. est, botulū pro farcimine appellat & hominem leuennam pro leui, item in Necyomantia cocionem peruulgatē dicit, quem veteres arulatorem dixerunt. verba Laberij hæc sunt. Duas vxores. hoc hercle plus negotii. Est inquit cocio; sed ædilis viderit. sed enim in mimo, quem inscripsit Alexandream, eo lem quidem modo quo vulgus sed probè Latineque vsus est Græco vocabulo. emplastrū enim dixit & detegos, non genere feminino, ut isti nouicy semidocti. verba ex eo mimo apposui.

Quid est iusiurandum? emplastrum ær. s. alieni.

## CAPUT VIII.

Quid significet & quid à nostris appellatum sit quod ἀξιωμα dialectici dicunt & quædam alia, quæ prima in disciplina dialectica traduntur.

**C**um in disciplinas dialecticas induci atque imbui vellemus; necessum fuit adire atque cognoscere quas vocant dialectici εἰσαγωγὰς; tum quia in primo τῶν ἀξιωματικῶν discendum, quæ M. Varro aliàs profata aliàs proloquia appellat, commentarium de proloquiis L. Aelii docti hominis, qui magister Varronis fuit, studiosè quassimus; eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus, sed in eo nihil edocenter neque ad instituendum explanatè scriptum est: fecisseque videtur eum librum Aelius sui magis admonendi, quam aliorum docendi gratia, redimus igitur necessario ad Græcos libros: ex quibus accepimus ἀξιωμα esse his verbis, λεκτὸν αὐτοτελὲς ἀποφαντὸν ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ. hoc ego supersedi vertere, quia novis & inconditis verbis utendum fuit, quas pati aures per insipientiam vix possent. Sed M. Varro, in libro de lingua Latina ad Ciceronem quarto vicefimo, expeditissimè ita finit. Proloquiū est sententia, in qua nihil desideratur, erit autem planius quid istud sit si exemplum eius dixerimus. ἀξιωμα igitur siue id proloquium dicere placet, huiusmodi est. Hannibal Pœnus fuit; Scipio Numantiam deleuit; Milo cædis damnatus est; neque bonum est voluptas neque malum: Omnino quicquid ita dicitur plena atque perfectæ verborum sententia, ut id necesse sit aut verum aut falsum esse, id à dialecticis ἀξιωμα appellatum est, à M. Varrone, sicuti dixi, proloquium, à M. autem Cicerone pronunciatum. quo ille tamen vocabulo tantisper uti se attestatus est, quoad

melius, inquit, inuenero. Sed quod Græci *συνημένον* ἀξίωμα dicunt, id alij nostrorum adiunctum, alij con- nexum dixerunt. id connexum tale est. si Plato ambu- lat, Plato mouetur. Si dies est, sol super terras est. item quod illi *συνπεπλεγμένον*, nos vel coniunctum vel copulatum dicimus. quod est eiusdem modi. P. Sci- pio Pauli filius & bis consul fuit, & triumphauit, & censura functus est, & collega in censura L. Mumij fuit. In omni autem coniuncto si unum est mendacium, etiam si cetera vera sunt, totum esse men- dacium dicitur. nam si ad ea omnia, quæ de Scipione illo vera dixi, addidero; & Hannibalem in Africa su- perauit, quod est falsum: uniuersa quoque illa, quæ con- iunctè dicta sunt, propter hoc unum quod falsum acceffe- rit, quia simul dicentur, vera non erunt. Est item aliud quod Græci *διεζευγμένον* ἀξίωμα, nos disiunctum di- cimus. id huiusmodi est. Aut malum est voluptas au- bonum; aut neque bonum neque malum est. Omnia autem, quæ disiunguntur. pugnantia esse inter sese oportet: eorumque opposita, quæ ἀντιθέμενα Græci di- cunt, ea quoque ipsa inter sese aduersa esse: ex omnibus quæ disiunguntur unum esse verum debet, falsa cetera. quod si aut nihil omnium verum, aut omnia plurave- quàm unum vera erunt, aut quæ disiuncta sunt non pu- gnabunt, aut quæ opposita eorum sunt contraria inter sese non erunt; tunc id disiunctum mendacium est; & appella- tur *ἄσχετον* διεζευγμένον. sicuti hoc est, in quo, quæ opposita, non sunt contraria. Aut curris aut ambulans aut stas. nam ipsa quidem inter sese aduersa sunt; sed opposita eorum non pugnant. non ambulare enim & non stare & non currere contraria inter sese non sunt: quoniam con- traria ea dicuntur, quæ simul vera esse non queunt. pos- sis enim simul eodemque tempore neque ambulare neque

stare neque currere. sed hoc breue ex dialectica libamentum dedisse nunc satis erit: atque id solum addendum admonendumque est, quod huius discipline studium atque cognitio in principiis quidem tæta & aspernabilis insuauisque esse & inutilis videri solet: sed, ubi aliquantum processeris, tum denique & emolumentum eius in animo tuo dilucebit, & sequetur quadam discendi voluptas insatiabilis: cui nisi modum feceris; periculum non mediocre erit, ne, ut plerique alij, tu quoque in illis dialecticæ gyris atque meandris tamquam apud Sirenios scopulos consenescas.

## CAPVT IX.

Quid significet verbum in libris veterum crebetumè positum; susque deque.

**S**USQUE deque fero aut susque deque habeo (his Senim omnibus modis dicitur) verbum est ex hominum doctorum sermonibus; in poematis quoque & in epistolis veterum scriptum est plurifariam. sed facilius reperias qui id verbum ostentent, quam qui intelligant. ita plerique nostrum, quæ remotiora verba inuenimus, dicere ea propteramus, non discere. significat autem susque deque fere, animo æquo esse & quod accidit non magni pendere, atque interdum negligere & contemnere: & propemodum id valet, quod dicitur Græcè ἀδιαφορεῖν. Laberius in Compitalibus.

Nunc tu lentus es; nunc tu susque deque fers. Materfamilias tua in lecto aduerso sedet.

Seruos sex tantis verbis nefariis vtitur.

M. Varro in Sisenna vel de historia. Quid si non horum omnium similia essent principia ac post principia susque deque esset? Lucilius in tertio.

Verum hæc ludus ibi susque omnia deque  
faerunt:

Susque & deque fuere, inquã, omnia ludus  
iocusque:

Illud opus durũ vt Set num accessimus finẽ;  
Αγίλοποι montes Aetnæ omnes asperi A-  
thones.

## CAPVT XII.

Quid sint proletarij quid capitecensi, quid item sit in  
xij. tabulis assidu<sup>o</sup> & quæ eius vocabuli ratio sit.

**O** Tium erat quodam die Romæ in foro à negotiis, &  
lata quædam celebritas feriarum: legebaturque in  
confessu fortè complurium Ennij liber ex annalibus. in eo  
libro versus hi fuerunt.

Proletarius publicitus scutisque feroque  
Ornati ferro: muros vibemque forumque  
Excubiis curant.

tum ibi quæri cœptum est quid esset; proletarius. atque  
ego, adspiciens quempiam in eo circulo ius ciuile callentem  
familiarem meum, rogabam vt id verbum nobis enarra-  
ret. & cum ille se iuris non rei grammatica peritum esse  
respondisset: Eò maximè, inquam, te dicere hoc oportet,  
quando, vt prædicas, peritus iuris es. nam Q. Ennius ver-  
bum hoc ex duodecim tabulis vestris accepit: in quibus,  
si rectè commemorari, ita scriptum est. ASSIDVO.  
VINDEK. ASSIDVVS. ESTO. PROLETA-  
RIO. QVOI: QVIS. VOLET. VINDEK.  
ESTO. petimus igitur: ne annalem nunc Q. Ennij, sed  
duodecim tabulas legi arbitrare; et quid sit in ea lege prole-  
tarius, si vis, interpretare. Ego vero, inquit ille, dicere atque  
interpretari hoc debere si ius Faunorum & Aboriginũ di-

432. *A. GELLII NOCT. ATT.*  
diciſſe. Sed enim cū PROLETARII. & ASSIDVI,  
& SANATES. & VADES. & SVBVADES,  
& VIGINTI. QVINQVE. ASSES. & TALIO-  
NES, FVRTORVM. QVE. QVAESTIO. CVM.  
LANCE. ET. LICIO. euauerit; omniſque illa  
duodecim tabularum antiquitas, niſi in legis actionibus  
centum uir alium cauſarum, lege Ebutia lata, conſopita  
ſit: ſtudium ſcientiamque ego preſtare debeo iuris & le-  
gum, uocumque earum quibus utimur. tum forte qua-  
dam Iulium Paulum poetam memoria noſtra doctiſſi-  
mum prateruentem conſpeximus. is à nobis ſalutatus ro-  
gatusque uti de ſententia deque ratione iſtius uocabuli nos  
doceret, Qui in plebe, inquit, Romana tenuiſſimi  
pauperrimique erant, neque amplius quam millequin-  
gentum aris in cenſum deferrebant, proletarij appellati  
ſunt. qui uerò nullo aut perquam paruo are cenſebantur,  
capitecenſi uocabantur. extremus autem cenſus capite-  
cenſorum aris fuit CCCLXXX. Sed quoniam res pecuniaque  
familiaris obſidis uicem pignorisque eſſe apud rempubli-  
cam uidebatur; amorisque in patriam fides quadam in ea  
firmamentumque erat: neque proletarij neque capitecen-  
ſi milites, niſi in tumultu maximo, ſcribebantur; quia  
familia pecuniaque his aut tenuis aut nulla eſſet. proleta-  
riorum tamen ordo honeſtior aliquanto & re & nomine  
quam capitecenſorum fuit nam & aſperis rei publicae tem-  
poribus, cum iuuentutis inopia eſſet, in militiam tumultu-  
uariam legebantur; armaque uis ſumtu publico prabe-  
bantur; & non capitis cenſione, ſed proſperiore uocabulo  
à munere officioque prolis edenda appellati ſunt, quod cum  
re familiari parua minus poſſent rempublicam inuare,  
ſubolis tamen gignenda copia ciuitatem frequentarent.  
Capitecenſos autem primus C. Marius, ut quidam ſerunt,  
bello Cimbrico diſſicillimis rei publicae temporibus, uel potius,  
ut Saluſtius

ut Sallustius ait bello Iugurthino, milites scripsisse traditur, cum id factum antè in nulla memoria exstaret. ASSIDVVS in duodecim tabulis, aut pro locuplete & facile facienti dictus ab assibus, id est, ere danda, cum id tempora rei publicae postularent; aut à muneris pro familiari copia facienda assiduitate. verba autem Sallustij in historia Iugurthina de C. Mario consule & de capitecensis haec sunt. Ipse interea milites scribere, non more maioram nec ex classibus; sed, ut lubido cuiusque erat, capitecensos plerosque. id factum alij inopia bonorum, alij per ambitionem consulis memorabant, quod ab eo genere celebratusque actusque erat: & homini potentiam quærenti egentissimus quisque oportunissimus.

## CAPVT XI.

Historia ex Herodoti libris sumpta de Psyllorum interitu, qui in syrtibus Africanis colebant.

**G**ENS in Italia Marforum orta esse fertur à Circa filio: propterea Marsis hominibus, quorum duntaxat familia cum externis cognationibus nondum etiam permixta corruptaque sunt, vi quadam genitili datum est, ut serpentium virulentorum domitores sint, & in centionibus herbarumque succis faciant medelarum miracula. Hac eadem vi præditos esse quosdam videmus, qui Psylli vocantur, quorum super nomine & genere cum in veteribus litteris quaesivissem; in quarto denique Herodoti libro fabulam de Psyllis hanc inuenimus. Psyllos quondam fuisse in terra Africa conterminos Nasamonibus: Austrumque in finibus eorum quodam in tempore perquam validum ac diutinum fluisse: eo flatu aquam omnem in

locis, in quibus colebant, exaruisse: Pnyllos re aquaria defectos eam iniuriam grauius Austro succensuisse; decretumque fecisse, uti armis sumtis ad Austrum, proinde quasi ad hostem; iure belli, res repetitum proficiscerentur: atque ita profectis ventum Austrum magno spiritus agmine venisse obuiam; eosque uniuersos, cum omnibus copiis armisque, cumulis montibusque harenarum superuectis operuisse: eo facto Pnyllos ad unum omnis interisse: itaque eorum fines à Nasamonibus occupatos.

## CAPVT XII.

De his vocabulis quæ Cloatius Verus aut satis commode aut nimis absurde & illepide ad origines linguæ Græcæ redigit.

**C**loatius Verus in libris, quos inscripsit Verborum à Græcis tractorum, non pauca hercule dicit curiose & sagaciter conquisita, neque non tamen quadam futilia & friuola. Errare, inquit, dictum est ἀπὸ τοῦ ἐρρέειν; uersumque infert Homeri, in quo id uerbum est.

ἔρρ' ἐκ νόου θάσων ἐλέγχισε ζώντων.

item alucinari factum scripsit, ex eo quod dicitur Græcè ἀλύειν: unde elucum quoque esse dictum putat, a, littera in, e, uersa, tarditatem quamdam animi & stuporem, qui alucinantibus plerumque usu uenit. item fascinum appellat, quasi βάστανον, & fascinare esse quasi βασταίνειν. commodè hæc sanè omnia & conducenter. sed in libro quarto, Fenerator, inquit, appellatus est, quia φαινεστέρος, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ἐπὶ τὸ χρεστότερον, quoniam id genus hominum speciem ostendent humanitatis, & commodè esse uideantur inopibus



nummos desiderantibus: idque dixisse ait Hypsicratem quempiam grammaticum; cuius libri sanè nobiles sunt super his, quæ à Græcis accepta sunt. siue hoc autem ipse Cloatius siue nescio qui alius nebulo effutiuit; nil potest dici infulsius. fenerator enim, uti M. Varro in libro tertio de sermone Latino scripsit, à fenore est nominatus. fenus autem dictum à fetu & quasi fetura quadam pecuniæ parientis atque incrementis. iccirco & M. Catonem & ceteros aetatis eius feneratorum sine, a, littera pronuntiasse tradit, sicuti fetus ipse & fecunditas appellata.

## CAPVT XIII.

Quid sit municipium & quid à colonia differat & quid sint municipes, quæque sit eius vocabuli ratio ac proprietas, atque inibi quod diuus Hadrianus in senatu de iure atque vocabulo municipum verba fecit.

**M**unicipes & municipia, verba sunt dictu facilis & vsu obuia; & neuiquam reperias, qui hac dicit, quin scire se planè putet quid dicat. sed profecto aliud est; aliud dicitur. quotus enim ferè nostrum est qui cum ex colonia ex populo Romano sit, non & se municipem esse & populares suos municipes esse dicat? quod est à ratione & à veritate longè auersum. sic a deo & municipia quid & quo iure sint, quantumque à colonia differant, ignoramus: existimamusque meliore conditione esse colonias, quam municipia. de cuius opinionis tam promiscæ erroribus D. Hadrianus, in oratione quam de Italicensibus unde ipse ortus fuit in senatu habuit, peritiss-

simè differuit : mirarique se ostendit , quod & ipsi Itali-  
censes, & quadam item alia municipia antiqua , in qui-  
bus Vticenses nominat , cum suis moribus legibusque vi-  
possent , in ius coloniarum mutare gestiuerint. Praenesti-  
nos autem refert maximo opere à Tiberio imperatore petisse  
oraſſeque , ut ex colonia in municipij statum redigeretur ;  
idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuisse , quod in  
eorum finibus , sub ipso oppido , ex capitali morbo reualuis-  
set. Municipales ergo sunt ciues Romani ex municipiis ,  
legibus suis & suo iure utentes , muneris tantum cum po-  
pulo Romano honorarij participes , à quo munere capeſſen-  
do appellati videntur , nullis aliis necessitatibus neque  
vlla populi Romani lege adstricti , ni , inquam , populus eo-  
rum fundus factus est . primos autem municipales sine suf-  
fragij iure Carites esse factos accepimus ; concessumque illis ,  
ut ciuitatis Romanae honorem quidem caperent , sed nego-  
tiis tamen atque oneribus vacarent ; pro sacris bello Gallico  
receptis custoditisque. hinc tabula Carites appellata , ver-  
sa vice ; in quas censores referri iubebant , quos nota causa  
suffragiis priuabant. Sed Colonia aũ alia necessitudo est.  
non enim veniunt extrinsecus in ciuitatem , nec suis radi-  
cibus nituntur , sed ex ciuitate quasi propagatae sunt ; &  
iura institutaque omnia populi Romani non sui arbitrij  
habent. quae tamen condicio cum sit magis obnoxia & mi-  
nus libera ; potior tamen & praestabilior existimatur , pro-  
pter amplitudinem maiestatemque populi Romani , cuius  
istae coloniae quasi effigies paruae simulachraque esse qua-  
dam videntur : & simul quia obscura obliterataque  
sunt municipiorum iura , quibus uti iam per ignorantiam  
non queunt .

## CAPVT XIII.

Quod M. Cato differre dixit *festinare* & *properare*, & quam incommodè Verrius Flaccus vim verbi quod est *festinat* interpretatus sit.

**F**estinare & properare idem significare atque in eandem rem dici videntur. sed M. Cato id differre existimat: eaque hoc modo diuisa. sunt verba ipsius ex oratione, quam de suis virtutibus habuit. Aliud est properare, aliud festinare. qui vnum quid mature transigit, is properat: qui multa simul incipit, neque perficit; is festinat. Verrius Flaccus rationem dicere volens differentia huius, Festinat, inquit, à fando dicitur: quoniam isti ignauiores, qui nihil perficere possunt, plus verborum quam operæ habent. sed id nimis coactum atque absurdum videtur: neque tanti momenti esse potest prima in utroque verbo littera, ut propter eam vnâ tam diuersa verba festinare & fari eadem videri debeant. commodius autem propriusque visum est, festinare, esse quasi fessum esse. nam qui multis simul rebus properandis desessus est, is iam non properat sed festinat.

## CAPVT XV.

Quid Theophrastus mirum de perdicibus scriptum reliquerit, & quid Theopompus de leporibus.

**T**heophrastus philosophorum peritissimus omnes in Paphlagonia perdices bina corda habere dicit, Theopompus in Bisaltia lepores bina iecora.

## CAPVT XVI.

*Agrippas à partus ægri & improsperi vitio appellatos; deque his deabus, quæ vocantur Prosa & Postuerta.*

**Q***uorum in nascendo non caput sed pedes primi existerant (qui partus difficillimus ægerrimusque habetur) Agrippæ appellati; vocabulo ab ægritudine & pedibus conficto. esse autem pueros in utero Varro dicit capite infimo nixos, sursum pedibus elatis; non ut hominis natura est, sed ut arboris. nam pedes cruraque arboris appellat ramos, caput stirpem atque caudicem. quando igitur, inquit, contra naturam forte conuersi in pedes; brachiis plerumque diductis retineri solent: ægriusque tunc mulieres enituntur. huius periculi deprecandi gratia aræ statutz sunt Romæ duabus Carmentibus: quarum vna Postuerta nominata est, Prosa altera; à recti peruersique partus & potestate & nomine.*

## CAPVT XVII.

*Quæ ratio vocabuli sit agri Vaticanani.*

**E***t agrum Vaticanum & eiusdem agri deum præsidem appellatum acceperamus à vaticinis, quæ vi atque instinctu eius dei in eo agro fieri solita essent. sed præter hanc causam M. Varro, in libris diuinarum, aliam esse tradit istius nominis rationem. nam sicut Aius, inquit, deus appellatus, araque ei statuta est, quæ est infima noua via, quod in eo loco diuinit<sup>9</sup> vox edita erat: ita Vaticanus deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ iniçia. quoniam pueri, simul atque*

parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est: idcircoque vagire dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis.

## CAPVT XVIII.

Lepida quædam memoratu & cognitu de parte geometriæ, quæ ὀπίκη appellatur, & item alia quæ κενονική, & tertia itidem, quæ dicitur μετρική,

**P**ars quædam geometriæ ὀπίκη appellatur, quæ ad oculos pertinet; pars altera, quæ ad auris, κενονική vocatur, quæ musici, ut fundamento artis suæ, utuntur. Vtraque harum spatijs & intervallis linearum & ratione numerorum constat. ὀπίκη facit multa demiranda, id genus, ut in speculo vno imagines vnius rei plures appareant: item ut speculum in loco certo positum nihil imaginet, aliorum translaturum faciat imagines. item, si rectus speculum spectes, imago fiat tua huiusmodi, ut caput deorsum videatur, pedes sursum. reddit etiam causas ea disciplina, cur istæ quoque visiones fallant; ut, quæ in aqua conspiciuntur, maiora ad oculos fiant; quæ procul ab oculis sunt, minora. κενονική autem longitudines & altitudines vocis emetitur. longior mensura vocis ῥυθμὸς dicitur, altior μέλ &. Est & alia species geometriæ, quæ appellatur μετρική: per quam syllabarum longarum & brevium & mediocrium iunctura & modus congruens cum principijs geometriæ aurium mensura examinetur. Sed hæc, inquit M. Varro, aut omnino non discimus; aut prius desistimus, quam intelligamus cur discenda sint. voluptas autem, inquit, vel utilitas taliū disciplinarum in post-principiis existit, cū

perfectæ absolutæque sunt: in principiis vero ipsæ ineptæ & insuaues videntur.

## CAPUT XIX.

Sumta historia ex Herodoti libro super fidicine Arione.

**C**Eleri admodum & cohibili oratione, vocumque falso tereti & candido, fabulam scripsit Herodotus super fidicine illo Arione. Vetus, inquit, & nobilis Arion cantator fidibus fuit. is loco & oppido Methymnaus, terra atque insula omni Lesbios fuit. Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum amatumque habuit artis gratia. is inde à rege proficiscitur terras inclutas Siciliam atque Italiam visere. ubi eò venit, aurisque omnium mentisque in utriusque terra urbibus demulsi: in questibus istis & voluptatibus amoribusque hominum fuit. Is tum postea, grandi pecunia & re bona multa copiosus, Corinthum instituit redire. nauem igitur & nauitas, venotiores amicioresque sibi, Corinthios delegit. sed eo Corinthios homine accepto, nauique in altum prouecta, praeda pecuniæque cupidos cepisse consilium de necando Arione. tum illum ibi, pernicie intellecta, pecuniam ceteraque sua ut haberent dedisse: vitam modo sibi ut parcerent orauisse. nauitas precum eius harum commiseritum esse illactenus; ut ei necem asferre per vim suis manibus temperarent; sed imperauisse ut iam statim coram defiliret præceps in mare. Homo, inquit, ibi territus, spe omni vita perditâ, id unum postea orauit; ut, priusquam mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi omnia indumenta, & fides capere, & canere carmen casus illius sui consolabile. feros & immanes nauitas prolubium tamen audiendi subit. quod orauerat

impetrat . atque ibi mox de more cinctus , amictus , ornatus , stansque in summa puppis foro , carmen , quod orthium dicitur , voce sublatissima cantauit . Ad postrema cantus , cum fidibus ornatuque omni , sicut stabat canebatque , iecit sese procul in profundum . nauita , haud quaquam dubitantes quin perisset , cursum , quem facere cœperant , tenuerunt . sed nouum & mirum & piuum facinus contigit . Delphinum repente inter undas adnauisse , fluitantique sese homini subdidisse , & dorso super fluctus edito vectauisse ; incolumique cum corpore & ornatu Tanarum in terram Laconicam deuexisse . tum Arionem prorsus ex eo loco Corinthum petiuisse ; talemque Periandro regi , qualis Delphino vectus fuerat , inopinanti sese obtulisse : eique rem , sicuti acciderat , narrauisse . regem isthac parum credidisse : Arionem , quasi falleret , custodiri iussisse : nauitas requisitos , ablegato Arione , dissimulanter interrogasse , et quid audissent in iis locis , unde venissent , super Arione : eos dixisse , hominem , cum inde irent , in terra Italia fuisse ; eumque illic bene agitare , & studiis delectationibusque urbiū florere ; atque in gratia pecuniaque magna opulentum fortunatumque esse . tum inter hac eorum verba Arionem cum fidibus & indumentis , cum quibus se in salum eiacularat , exstitisse : nauitas stupefactos conuictosque ire inficias non quisse : eam fabulam dicere Lesbios & Corinthios : atque esse fabulae argumentum , quod simulachra duo aenea ad Tanarum viscerentur , delphinus vehens & homo insidens .

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
SEPTIMVS DECIMVS.

CAPVT I.

Quod Gallus Asinius, & Largius Licinius sententiam Ciceronis reprehenderunt ex oratione quam dixit pro M. Cælio: & quid aduersus homines stolidissimos pro eadem sententia vere digneque dici possit.

**V***T* quidam fuerunt monstra hominum, qui de diis immortalibus impias falsasque opiniones prodiderunt: ita non nulli tam prodigiosi tanque vecordes exstiterunt (in quibus sunt Gallus Asinius & Largius Licinius, cuius liber etiam fertur infando titulo, Ciceromastix) ut scribere ausi sint M. Ciceronem parum integrè atque improprie atque inconsiderate locutum. atque alia quidem, quæ reprehenderunt, neque dictu neque auditu digna sunt. sed enim in hoc, in quo sibi met ipsi præter cetera esse visi sunt verborum pensitatores subtilissimi, cedò, quale id sit consideremus. M. Cicero pro M. Cælio ita scripsit. Nam quod obiectum est de pudicitia; quodque omnium accusatorum non criminibus sed vocibus maledictisque celebratum est: id numquam tam acerbè feret M. Cælius, ut eum pæniteat non deformem esse natum.



non existimant verbo proprio esse usum, quod ait, pæniteat; atque id prope ineptum etiam esse dicunt. nam pænitere, inquit, tum dicere solemus; cum, quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere; sententiamque in eis nostram demutamus. neminem autem recte ita loqui, pænitere sese quod natus sit, aut, pænitere quod mortalis sit, aut quod ex offeso forte vulneratoque corpore dolorem sentiat: quando istiusmodi rerum nec consilium sit nostrum nec arbitrium; sed ea ingratis nostris vi ac necessitate naturæ nobis accidant. sic hercle, inquit, non voluntarium fuit M. Cælio quali forma nasceretur; cuius eum dixit non pænitere, tamquam in ea causa res esset, ut rationem caperet pænitendi. Est hæc quidem, quam dicunt, verbi huius sententia; & pænitere nisi in voluntarijs rebus non probe dicitur; tametsi antiquiores verbo ipso alio quoque modo usitati sunt; & pænitet ab eo quod est pænè & à pænuria dixerunt: sed id aliorum pertinet, atque alio in loca dicitur. Nunc autem sub hac eadem significatione, quæ vulgò nota est, non modò ineptum hoc non est, quod M. Cicero dixit; sed festivissimum adeo & facetissimum est. nam cum aduersarij & obtrectatores M. Cælii, quoniam erat pulchro corpore, formam eius & faciem in suspiciones impudicitia accerferent: illudens Cicero tam absurdam criminatorem, quod formam, quam natura fecerat, vitio darent; eodem ipso errore, quem illudebat, sciens usus est: & non pænitet, inquit, M. Cælium non deformem esse natum: ut vel hac ipsare, quod ita dicebat, opprobret aduersariis ac per facetias ostentaret facere eos deridiculum, quod proinde Cælio formam crimini darent.

quasi arbitrium eius fuisset quali forma nasceretur.

## CAPVT II.

Verba quædam ex Q. Claudii annalium primo cursim in legendo notata.

**C**um librum veteris scriptoris legebamus; conabamur postea memoria vegetanda gratia indipisci animo ac recensere, quæ in eo libro scripta essent in utrasque existimationes, laudis aut culpa adnotamentis digna: eratque hoc sane quam utile exercitium ad conciliandas nobis, ubi venisset usus, verborum sententiarumque elegantium recordationes. velut hæc verba, ex Q. Claudij primo annali, quæ meminisse potui, notavi. quem librum legimus biduo proximo superiore. Arma, inquit, plerique abiiciunt; atque inermi inlatebrant sese. inlatebrant verbum poeticum visum est, sed non absurdum neque asperum. Ea, inquit, dum fiunt; Latini subnixo animo. subnixo, quasi sublimi & supra nixo, verbum bene significans & non fortuitum; demonstratque animi altitudinem fiduciamque. quoniam, quibus innitimur ipsi quasi erigimur attollimurque. Domus, inquit, suas quæque ire iubet; & sua omnia frunisci. frunisci rari quidem fuit in ætate M. Tullij ac deinceps infra rarissimum; dubitatumque est ab imperitis antiquitatis, an Latinum foret: non modo autem Latinum, sed incundius amœniusque etiam verbum est fruniscor quam fruor: & ut fatiscor à fateor, ita fruniscor factum est à fruor. Q. Metellus Numidicus, qui castè purèque lingua usus Latina videtur, in epistola quæ exsul ad Domitios misit, ita scripsit. Illi verò omni iure atque honestate interdicti: ego neque aqua neque igni careo; & summa gloria fruniscor. Nominus in Attellana, quæ Parcus inscripta est, hoc verbo ita

utitur.

Quod magnopere quaesiverunt, id frunisci non queunt.

Qui non parsit, apud se frunitus est.

Et Romani, inquit, multis armis & magno com-  
 meatu praedaeque ingenti copiantur. copiarum ver-  
 bum castrense est: nec facile id reperias apud civilium cau-  
 sarum oratores; ex eademque figura est, qua lignantur  
 & pabulantur & aquantur. Sole, inquit, occaso.  
 Sole occaso non insuavi venustate est, si quis aurem ha-  
 beat non sordidam nec proculcatam. in duodecim autem  
 tabulis verbum hoc ita scriptum est. ANTE. MERI-  
 DIEM. CAUSAM. CONICIUNTO. POST.  
 MERIDIEM. PRAESENTI. LITEM. ADDI-  
 CITO. SOL. OCCASVS. SUPREMA. TEM-  
 PESTAS. ESTO. Nos, inquit, in medium relin-  
 quemus. vulgus in medio dicit. nam vitium esse isthuc  
 putant; & si dicas in medium ponere, id quoque esse so-  
 laecom putant. sed probabilius significantisque sic dici vi-  
 debitur, si quis ea verba non incuriose introspeciat. Graece  
 quoque θεῖραι εἰς μέσον, vitium id non est. Postquam  
 nunciatum est, inquit, ut pugnatum esset in Gal-  
 los: id civitas graviter tulit. in Gallos mundius sub-  
 tiliusque est, quam cum Gallis aut contra Gallos.  
 nam pinguiora haec absolutioraque sunt. Simul, inquit,  
 forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia,  
 confidentia pariter praecellebat; ut facile intelli-  
 geretur magnum viaticum ex se atque in se ad  
 rempublicam euertendam habere. magnum via-  
 ticum pro magna facultate & paratu magno nouè posi-  
 tum est: videturque Gracos secutus, qui ἐξόδιον à sumtu  
 viae ad aliarum quoque rerum apparatus traducunt; ac saepe  
 ἐξωδίαζον pro eo dicunt, quod est, instituc & instrue.

Nam M. *inquit*, Manlius, quem Capitolium ferè  
 nasse à Gallis supra ostendi, cuiusque operam cū  
 M. furio Dictatore apud Gallos cumprimè for-  
 tem atque exsuperabilem respublica sensit. appri-  
 mè crebrius est; cumprimè rarius; traductumque ex eo  
 est, quod cumprimis dicebant, pro eo quod est, in pri-  
 mis. Nihil sibi, *inquit*, diuitias opus esse. nos diui-  
 tiis dicimus. sed vitium hoc orationis nullum est, ac ne id  
 quidem est, quod figura dici solet. recta enim ista hac ora-  
 tio est. & veteres compluscule ita dixerunt. nec ratio dici  
 potest, cur rectius sit diuitis opus esse, quam, diui-  
 tias; nisi si qui grammaticorum noua instituta, ut  
 δευερω̄ν ἰεε̄, obseruant. Nam hæc, *inquit*, maximè  
 veisatur deorum iniquitas, quod deteriores sunt  
 incolumiores: neque optimū quemquā internos  
 sinunt diurnare. *inuitate dixit* diurnare, pro, diu vi-  
 uere. *sed ex ea figuratiōe est, qua dicimus* perennare.  
 Cum his, *inquit*, confermonabatur. sermōnari ru-  
 sticius videtur, sed rectius; sermōcinari crebrius est sed  
 corruptius. Sese, *inquit*, ne id quoque, quod tum sua-  
 deret. facturum esse. ne id quoque, *dixit*, pro, ne id  
 quidam; infrequens nunc in loquendo, sed in libris vete-  
 rum celeberrimum. Tanta, *inquit* sanctitudo fani est,  
 ut numquam quisquam violare sit ausus. sancti-  
 tas quoque & sanctimonia non minus Latine dicun-  
 tur: sed nescio quid maioris dignitatis est verbum sancti-  
 tudo: sicuti M. Cato in L. Veturium duritudinem quā  
 duriciā dicere grauius putabat. Qui illius, *inquit*,  
 impudentiā norat & duritudinē. Cū tātus, *inquit*,  
 arrabo penes Samnites populi Romani esset. ar-  
 rabonē *dixit* sescentos obsides; & id maluit quam  
 pignus dicere: quoniam vis huius vocabuli in ea sententiā  
 grauior acriorque est. sed nunc arrabo in sordidis verbis

haberi cœptus: ac multo videtur sordidius arxa. quãquam arxa quoque veteres saepe dixerint; & compluriens Labe-rius. Misericordias, inquit, vitas exegerunt: & hic mi- mus in otis, inquit, consumtus est. elegantia utriubi- que ex multitudine iuramenti quaesita est. Cominius, in- quit, qua escenderat descendit atque verba Gallis dedit. verba Cominiũ dedisse Gallis dicit, qui nihil quic- quam cuiquam dixerat. neque eum Galli, qui Capitolium obsidebant, escendentem viderant. sed, verba dedit, haud secus posuit, quam si tu dicas, latuit atque obrepfit. Conualles, inquit, & arboreta magna erant. arbo- reta, ignobilius verbum est, arbuſta celebratius. Puta- bant, inquit, eos qui foris atque qui in arce erant inter se commutationes & consilia facere. com- mutationes, id est, collationes communicatio- nesque non vsitate dixit; sed non hercle inscite nec inele- ganter. Hæc ego non pauca interim super eo libro, quorum memoria post lectionem suppetierat mihi, notavi.

## CAPVT III.

Verba M. Varronis ex libro quinto & vicẽsimo humanarum, quibus contra opinionem vul- gariam interpretatus est Homeri versum.

**I**N sermonibus fortè, quos de temporibus rerum ad vsus hominum repertarum agitabamus, adolescens qui piam non indoctus sparti quoque vsum in terra Gracia diu in- cognitum fuisse dixit; multisque post Ilium captum tem- pestatibus ex terra Hispania aduectum riserunt hoc ad il- ludendum ex his qui ibi aderant vnus atque alter, ma- le homines litterati; quod genus à pœgius Græci ap- pellant: atque eum, qui id dixerat, librum legisse Homeri aiebant, cui versus hic fortè deesset:

*Kaì δὴ δῖος σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλωτας.*  
*sum ille prorsum irritatus, Non, inquit, in eo libro versus,*  
*sed vobis plane magister defuit, si creditis in eo versu sparta*  
*id significare, quod nos spartum dicimus. maiorem illi*  
*risum subjiciunt: neque id destiterunt, nisi liber ab eo pro-*  
*latus esset M. Varronis vicesimus quintus humanarum. in*  
*quo de isto Homeri verbo à Varrone ita scriptum est. Ego*  
*sparta apud Homerum non plus spartum signi-*  
*ficare puto, quam σπάρτους, qui dicuntur in agro*  
*Thebano nati. in Græcia sparti copia modo cœ-*  
*pit esse ex Hispania: neque ea ipsa facultate vsi*  
*Liburni. sed hi pleraq. naues loris suebāt; Græci*  
*magis cannabo & Itupa ceterisque fatiuis rebus,*  
*à quibus σπάρτα appellabant. Quod cum ita Varro di-*  
*cat; dubito hercle an posterior syllaba in eo verbo, quod*  
*apud Homerum est, acienda sit: nisi quia voces huiusmodi,*  
*cum ex communi significatione in rei certæ proprietatem*  
*concedunt, diuersitate accentuum seperantur.*

## CAPVT IIII.

Quid Menander poeta Philemoni poetæ dixerit,  
 à quo sæpe indigne in certaminibus comœ-  
 diarum superatus est; & quod sapissime Eu-  
 ripides in tragœdia ab ignobilibus poetis vi-  
 ctus est.

**M**enander à Philemone nequaquam pari scriptore  
 in certaminibus comœdiarum ambitu gratiaque  
 & fictionibus sæpenumero vincebatur. cum cum forte  
 habuisset obuiam, *Quæso, inquit, Philemo, bona venia,*  
*dic mihi; cum me vincis non erubescis?* Euripidem quoque  
 M. Varro ait, cum quinque & septuaginta tragœdias scri-  
 psisset, in quinque solis vicisse, cum eum sæpe vincerent ali-  
 quos

qui poeta ignavissimi. Menandrum autem alij centum octo, partim centum novem comœdiâs reliquisse ferunt. sed Apollodori, scriptoris celebratissimi hos de Menandro versus legimus, in libro qui Chronica inscriptus est.

Κηφιστεὺς ὧν ἔκ Διοπίδου πατρὸς

Πρὸς τοῖς ἑκατὸν πέντε γράφας δέματ' ἔξ

Ἐλίπε πενήκοντα καὶ δυοῖν ἑτῶν.

Existis tamen centum & quinque omnibus solis eum octo vicisse idem Apollodorus eodem in libro scripsit.

## CAPVT V.

Nequaquam esse verum, quod minutis quibusdam rhetoricæ artificibus videatur M. Ciceronem in libro, quem de amicitia scripsit, vitioso argumento vsum ἀμφοῖσβητέμενον ἀντὶ ἐμολογυμένῃ posuisse totumque id consideratius tractatum exploratumque.

**M**. Cicero in dialogo, cui titulus est *Lælius* vel de amicitia, docere volens amicitiam non spe expectationeque utilitatis neque præcij mercedisque causa colendam; sed, quo ipsa per sese plena virtutis honestatisque sit, expetendam diligendamque esse; etiam si nihil opis nihilque emolumentum ex ea percipi queat. hac sententia atque his verbis, usus est; eaque dicere facit C. Lælium sapientem virum, qui P. Africani fuerat amicissimus. Quid enim Africanus indigens mei? nec ego quidem illius. sed ego admiratione quadam virtutis eius, ille vicissim opinione fortasse non nulla, quam de meis moribus habebat, me dile-

xit, auxit beniuolentiam consuetudo. sed quamquam utilitates multæ & magnæ consecutæ sunt: non sunt tamen ab earum spe causæ diligendi profectæ. vt enim benefici liberalesque sumus, non vt exigamus gratiam: neque enim beneficium feneramur; sed natura propensi ad liberalitatem sumus: sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis eius fructus in ipso amore inest, expetendam putamus. *Hoc cum legeretur in cætu forte hominum doctorum: rhetoricus quidam sophista utriusque linguæ callens, haud sanè ignobilis, ex istis acutulis & minutis doctoribus qui τεχνικοί appellantur, atque in differendo tamen non impiger, usum esse exist. mabat argumento M. Tullium non probo neque apodictico, sed eiusdem quæstionis cuius esset ea ipsa res de qua quæreretur: verbisque id vitium Græcis appellabat, quod accepisset ἀμοιβητούμενον ἀπὸ ὁμολογουμένων. nam beneficos, inquit, & liberales sumus ad confirmandum id quod de amicitia dicebat: cum ipsum illud & soleat queri & debeat, quisquis liberaliter & benigne facit qua mente quoque consilio benignus liberalisque sit, vtrum quia mutuam gratiam speret, & eum, in quem benignus sit, ad parem gratiam prouocet, quod facere plerique omnes videntur; an quia natura sit beniuolus; benignitasque eum per sese ipsa & liberalitas deleat sine vlla recipiendæ gratiæ procuratione. quod est omnium ferme rarissimum. argumenta autem censebat aut probabilia esse debere, aut perspicua & minimè controuersa; idque apodixin vocari dicebat cum ea quæ dubia aut obscura sunt, per ea quæ ambigua non sunt illustrantur. atque, vt ostenderet beneficos liberalesque, ad id, quod de amicitia quæreretur, quasi argumentum exemplumve*



sumi non oportere, Eodem, inquit, simulachro eademque rationis imagine amicitia inuicem pro argumento sumi potest; si quis affirmet homines beneficos liberalesque esse debere non spe aliqua compendij, sed amore & studio honestatis. poterit enim consimiliter ita dicere. namque ut amicitiam non spe utilitatis amplectimur; sic benefici liberalesque non gratia recipienda studio esse debemus. poterit sane, inquit, ita dicere: sed neque amicitia liberalitati neque liberalitas amicitia prabere argumentum potest, cum de utroque pariter quaratur. Hac ille rhetoricus artifex dicere quibusdam videbatur peritè & scienter. sed videlicet eum vocabula rerum vera ignorauisse. nam beneficium & liberalem Cicero appellat, ita ut philosophi appellandum esse censent, non eum qui, ut ipse ait, beneficia feneratur; sed qui benigne facit nulla tacita ratione ad utilitates suas redundante. non ergo obscuro neque ambiguo argumento usus est, sed certo atque perspicuo. siquidem qui verè beneficus liberalisque est, qua mente bene aut liberaliter faciat non queritur. alijs enim longè nominibus appellandus est, si, cum talia facit, sui potius quam alterius iuuandi causa facit. processisset autem argutatori isti forsasse reprehensio, si Cicero ita dixisset: Ut enim benefice liberaliterque facimus, non ut exigamus gratiam. videretur enim benefice facere etiam in non beneficum cadere posse, si id per aliquam circumstantiam fieret, non per ipsam perpetuè benignitatis constantiam. sed cum beneficos liberalesque dixerit; neque alijsmodi isti sunt quam cuius esse eos supra diximus, inlatis, quod aiunt, pedibus & verbis reprehendit doctissimi hominis orationem.

## CAPVT VI.

Falsum esse; quod Verrius Flaccus in secundo librorum, quos de obscuris M. Catonis composuit, de seruo recepticio scriptum reliquit.

**M**. Cato Voconiam legem suadens verbis hisce usus est. Principio vobis mulier magnam dotem attulit. tum magnam pecuniam recipit quam in viri potestatem non committit. eam pecuniam viro mutuam dat. postea, vbi irata facta est, seruum recepticium sectari atque flagitare virum iubet. *querebatur seruus recepticius quid esset. libri statim quasi allatique sunt Verrij Flacci de obscuris Catonis. In libro secundo scriptum inuentum est, recepticium seruam, dici nequam & nulli precij; qui, cum venum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium receptusque sit. propterea, inquit, seruus eiusmodi sectari maritum & flagitare pecuniam iuebatur; ut eo ipso dolor maior & contumelia grauior viro fieret, quod eum seruus nihili petenda pecunia causa compellaret. Cum pace autem cumque venia istorum, si qui sunt qui Verrij Flacci auctoritate capiuntur, dictum hoc sit. recepticius enim seruus in ea re, quam dicit Cato, aliud omnino est quam Verrius scripsit. atque id cuius facile intellectus est. res enim proculdubio sic est. Quando mulier dotem marito dabat; tum quae ex suis bonis retinebat, neque ad virum tramittebat, ea recipere dicebatur. sicuti nunc quoque in venditionibus, quae excipiuntur neque veneunt. quo verbo Plautus quoque in Trinummio usus est, in hoc versu:*

Posticulum hoc recepit cum ædis vendidit.

*id est*; cum ædis vendidit, particulam quamdam, quæ post eas ædis erat, non vendidit, sed retinuit. *Ipse etiam Cato mulierem demonstrare locupletem volens, Mulier, inquit, & magnam dotem dat & magnam pecuniam retinet. ex ea igitur re familiari, quam sibi dote data retinuit, pecuniam viro mutuan dat. eam pecuniam cum viro forte irata repetere instituit, apponit flagitatorem seruum recepticum, hoc est, proprium seruum suum, quem cum pecunia reliqua receperat, neque dederat dote sed retinuerat. non enim seruo mariti imperare hoc mulierem fas erat, sed proprio suo. Plura dicere, quibus hoc nostrum tuear, supersedeo. ipsa enim sunt per sese euidencia, & quod à Ferrio dicitur & quod à nobis. utrum ergo videbitur cuique verius, eo utatur.*

## CAPVT VII.

Verba hæc ex Atinia lege. **QVOD. SVBREPTVM. ERIT. EIVS. REI. AETERNA. AVCTORITAS. ESTO.** P. Nigidio & Q. Scæuolæ visa esse non minus de præterito, quam de futuro cauisse.

**L**egis veteris Atinia verba sunt. **QVOD. SVBREPTVM. ERIT. EIVS. REI. AETERNA. AVCTORITAS. ESTO.** Quis aliud putet in hisce verbis, quam de tempore tantum futuro legem loqui? sed Q. Scæuola patrem suum & Brutum & Manilium viros apprime doctos quasisse ait dubi-

tasseque, utrumne in post-facta modo furta lex vale-  
 ret, an etiam in ante-facta quoniam SVBREPTVM:  
 ERIT. utrumque tempus videretur ostendere tam  
 prateritum quam futurum. itaque P. Nigidius ciuita-  
 tis Romana doctissimus super dubitatione hac eorum  
 scripsit in tertiovicefimo grammaticorum commenta-  
 riorum: atque ipse quoque idem putat incertam esse  
 temporis demonstrationem. sed angustè perquam & ob-  
 scure differit; ut signa rerum ponere videas, ad subsi-  
 dium magis memoriae suae quam ad legentium discipli-  
 nam. Videbatur tamen hoc dicere: verbum, ESSE,  
 & ERIT, quando per sese ponuntur; habent at-  
 que retinent tempus suum. cum vero praterito iugan-  
 tur; vim temporis sui amittunt, & in prateritum  
 contendunt. cum enim dico, in campo est, in co-  
 mitio est; tempus instans significo. item cum dico,  
 in campo erit; tempus futurum demonstro. at cum  
 dico, factum est, scriptum est, subreptum est;  
 quamquam, est, verbum temporis sit praesentis; con-  
 funditur tamen cum praterito, & praesens esse definit:  
 sic igitur, inquit, etiam istud, quod in lege est; si di-  
 midas seperesque duo verba haec, SVBREPTVM, &  
 ERIT, ut sic audias subreptum, tamquam cer-  
 tamen erit, aut, sacrificium erit: tum videbi-  
 tur lex in post-futurum loqui. si verò copulatè permix-  
 teque dictum intelligas, ut subreptum erit non  
 duo sed vnum verbum sit, idque unita patiendi declina-  
 tione sit: tunc hoc verbo non minus prateritum tempus o-  
 stenditur quam futurum.

## CAPVT VIII.

In sermonibus apud mensam Tauri philosophi quæri agitarique huiusmodi solita; cur oleum sæpe & facile, vina rarius congelascant, acetum haud fere vniquam; & quod aquæ fluviorum fontiumque durentur, mare gelu non durentur.

**P**hilosophus Taurus accipiebat nos Athenis cæna plerumque ad id diei, ubi iam vesperauerat. id enim est tēpus istic cœnandi frequens. eius cœnæ fundus & fundamentum omne erat aula una lentis Ægyptiæ, & cucurbita inibi minutim casa. Ea quodam die ubi paratis & expectantibus nobis allata atque imposita mensa est; puerum iubet Taurus oleum in aulam indere. erat is puer genere Atticus ad annos maxime natus octo, festiuissimis ætatis & gentis argutiis scatens. guttum Samium oretenus imprudens inanem, tamquam si inesset oleum, affert: conuertitque eum: & ut solitum est, circumegit per omnem partem aulae manuum. nullum inde ibat oleum. adspicit puer guttum atrocibus oculis stomachabundus; & concussum vehementius iterum in aulam vertit. idque cum omnes sensim atque summissim rideremus: tum puer Gracè, & id quidem perquam Atticè, μή γελᾶτε, inquit, ἐν τῷ οὐλαίον, ἀλλ' ἔκ' ἴσε οἶα φρίκη παρὰ ὄρθρον γέρονε τήμερον, κέκρυς' ἄλλωται. Verbero, inquit, ridens Taurus, nonne is curriculo atque oleum petis? sed cum puer foras emtum isset; nihil ipse ista mora offensior Aula, inquit, oleo indiget; & ut video, intolerandum feruit. cohibeamus manus: atque interea, quoniam puer nunc admonuit solere oleum congelascere, consideremus cur oleum sæpe & facile stet; vina rarenter

congelaſcant. atque adſpici me, & iubet quid ſentiam dicere. Tum ego reſponſi coniectare me, vinum idcirco minus cito coaleſcere, quod ſemina quedam caldoris in ſe haberet; eſſetque natura ignitius: ob eamque rem dictum eſſe ab Homero αἰθονα οἶνον, non, ut alij putarent, propter colorem. Eſt quidem, inquit Taurus, ita ut diciſ. nam ferme conuenit vinum, ubi potum eſt, caleſcere corpora. ſed non ſecus quoque oleum caloriſicum eſt: neque minorem vim in corporibus calefactandis habet. ad hoc, ſi iſta hæc, quæ calidiora ſunt, difficilius gelu coguntur; congruens eſt ut, quæ frigidiora ſunt, facile cogantur. acetum autem omnium maxime frigoriſicum eſt: atque id nunquam tamen concreſcit. num igitur magis cauſa oleo coaguli celerioris in leuitate eſt? faciliora enim ad coeundum videntur, quæ leuiora leuioraque ſunt. præterea id quoque ait quæri dignum; cur flumorum & fontium aquæ gelu durentur; mare omne incongelabile ſit: tametſi Herodotus, inquit, hiſtoriæ ſcriptor contra omnium ferme, qui hæc quaſiuerunt, opinionem, ſcribit mare Boſphoricum, quod Cimmericum appellatur, earumque partium mare omne, quod Scythicum dicitur, gelu ſtringi & conſiſtere. Dum hæc Taurus: interea puer venerat & aula deſerbuerat; tempuſque eſſe cœperat edendi & tacendi.

## CAPVT IX.

De notis litterarum quæ in C. Cæſaris episto-  
lis reperiuntur, deque aliis clauſtiniſtis lit-  
teris ex vetere hiſtoria petitiſ: & quid ſcyta-  
le ſit Laconica.

**L**ibri ſunt episto-  
larum C. Cæſaris ad C. Oppium &  
Balbum Cornelium, qui res eius abſentis curabant in

his epistolis, quibusdam in locis, inueniuntur litteræ singulariæ sine coagmentis syllabarum; quas tu putes positas incondite. nam verba ex his litteris confici nulla possunt. erat autem conuentum inter eos clandestinum de commutando situ litterarum; ut in scripto quidem alia alia locum & nomen teneret, sed in legendo locus cuique suus & potestas restitueretur. quænam vero pro qua scriberetur ante iis, sicuti dixi, complacebat, qui hanc scribendi latebram parabant. Est adeo Probi grammatici commentarius satis curiosè factus de occulta litterarum significatione epistolarum C. Casaris scriptarum. Lacedæmonij autem veteres, cum dissimulare & occultare litteras publicè ad imperatores suos missas volebant, ne, si ab hostibus ea captæ forent, consilia sua noscerentur; epistolas id genus factas mittebant. surculi duo erant teretes, oblunguli, pari crassamento eiusdemq. longitudinis, derasi atque ornati consimiliter. unus imperatori in bellum proficiscenti dabatur: alterum domi magistratus cum iure atque cum signo habebant. quando usus venerat litterarum secretiorum; circum eum surculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei satis erat, complicabant, volumine rotundo & simplici; ita ut ora adiuncta undique & coherentes lori, quod plicabatur, coirent. litteras deinde in eo lora per transversas iuncturarum oras, versibus à summo ad imum proficiscentibus, inscribebant. id lorum litteris ita perscriptis reuolutum ex surculo imperatori commenti illius conscio mittebant. resolutio autem lori litteras truncas atque mutilas reddebat; membraque earum & apices in partis diuersissimas spargebat. propterea si id lorum in manus hostium inciderat; nihil quicquam coniectari ex eo scripto quibat. sed ubi ille, ad quem erat missum, acceperat; surculo compari, quem habebat,

capite ad finem, proinde ut debere fieri sciebat, circumplicabat: atque ita litteræ per ambitum eundem surculi coalescentes rursum coibant; integramque & incorruptam epistolam & facilem legi præstabant. hoc genus epistolæ Lacedæmonij  $\sigma\upsilon\tau\alpha\lambda\lambda\omega$  appellant. Legebamus id quoque in veterè historia rerum Pœnicarum, virum indidem quæmpiam illustrem (sive ille Hasdrubal, sive quis alius est, non retineo) epistolam scriptam super rebus arcanis hoc modo abscondisse. pugillaria noua nondum etiam cera illita accepisse; litteras in lignum incidisse; postea tabulas, uti solitum est, cera sanlesuisse; easque tabulas tamquam non scriptas, cui futurum id prædixerat, misisse; eum deinde ceram derassisse, litterasque incolumes ligno incisas legisse. Est & alia in monumentis rerum Græcarum profunda quadam & inopinabilis latebra barbarico astu excogitata. Histieus nomine fuit, loco natus in terra Asia non ignobili. Asiam tunc tenebat imperio rex Darius. is Histieus, cum in Persis apud Darium esset, Aristagoræ cuiusdam res quasdam occultas nuntiare furtiuo scripto volebat. comminiscitur opertum hoc litterarum admirandum. seruo suo diu oculos agros habenti capillum ex capite omni, tamquam medendi gratia, deradit; caputque eius leue in litterarum formas compungit. his litteris, quæ voluerat, perscripsit: hominem postea, quoad capillus adolesceret, domo continuit. ubi id factum est; ire ad Aristagoram iubet. & cum ad eum, inquit, veneris; mandasse me dicito, ut caput tuum, sicut nuper egomet feci, deradat. seruus, ut imperatum erat, ad Aristagoram venit, mandatumque domini affert. atque ille id non esse frustra ratus, quod erat mandatum, fecit. ita litteræ perlatæ sunt.



## CAPVT X.

Quid de versibus Virgilij Fauorinus existimabit, quibus in describenda flagrantia montis Aetnae Pindarum poetam secutus est: collataque ab eo super eadem re vtriusque carmina & diiudicata.

**F**auorinum philosophum, cum in hospitio sui Antiatem villam aestu anni concessisset; nosque ad eum videndum Roma venissemus, memini super Pindaro poeta & Vergilio in hunc ferè modum disserere. Amici, inquit, familiaresque P. Vergilij in his, quae de ingenio moribusque eius memoriae tradiderunt, dicere eum solitum ferunt, parere se versus more atque ritu vrsino. namque, ut illa bestia fetum ederet ineffigiatum informemque, lambendoque id postea, quod ita edidisset, conformaret & fingeret; promae ingenij quoque sui partus recentes rudi esse facie & imperfecta; sed deinceps tractando colendoque reddere iis se oris & vultus liniamenta. Hoc virum iudicij subtilissimi ingenue atque verè dixisse res, inquit, iudicium facit. nam, quae reliquit perfecta expolitaque, quibusq. imposuit census atque dilectus sui supremam manum, omni poeticae venustatis laude florent: sed quae procrastinata sunt ab eo ut post recenserentur, & absolui, quoniam mors praeuenterat, nequiverunt; nequaquam poetarum elegantissimi nomine atque iudicio digna sunt. itaque cum morbo oppressus aduentare mortem videret; petiuit orauitque à suis amicissimis impensè, ut *Aeida*, quam nondum satis elimasset, adolerent. in his autem, inquit, quae videntur retractari & corrigi debuisse, is maxime locus est, qui de monte *Aetna* factus est. nam cum Pindari veteris poetae carmen,

quod de natura atque flagrantia montis eius compositum est, amulari vellet: eiusmodi sententias & verba molitus est, ut Pindaro quoque ipso, qui nimis opima pinguique esse facundia existimatus est, insolentior hoc quidem in loco tumidiorque sit. atque uti vosmetipsos, inquit, eius quod dico arbitros faciam; carmen Pindari, quod est super monte Aetna, quantum est mihi memoria, dicam.

Τὰς ἐρεύρονται μὲν ἀπλά-

τε πυρός ἀγνόταται

Ἐκ μυχῶν παραίποταμοὶ

Δ' αἰμέραισι μὲν προχέοντι ῥόον κρηνῶν

Αἰθῶν, ἀλλ' ἐν ὄρεσσι πέτρας

Φοίνισα κυλινδομένα φλόξ ἐς βαθεῖ-

αν φέρει πόντος πλάκῃ σὺν πατάγῳ.

Κεῖνο δ' ἀφάισιο κρηνῆς, ἔρπετον

Δεινοτάτης ἀναπέμ-

πει, τέρας μὲν θαυμάσιον προσδέ-

σθαι, θαῦμα ἴκαὶ παριόν-

των ἀκῶσαι.

Audite nunc, inquit, Vergilij versus; quos inchoasse eum verius dixerim quam fecisse.

Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens

Ipse; sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,  
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem

Turbine fumantem piceo & candente fauilla,  
Attollitque globos flammarum & sidera lambit.

Interdum scopulos auulsaque viscera montis  
Erigit eructas, liquefactaque saxa sub auras  
Cum gemitu glomerat, fundoque exaestuatur  
imo.

Iam principio, inquit, Pindarus veritati magis obsecutus, id dixit quod res est, quodque istic vsu veniebat quodque oculis videbatur, interdum fumare Aetnam, noctu flammigare. Vergilius autem, dum in strepitu sonituque verborum conquirendo laborat, utrumque tempus nulla discretione facta confundit. atque ille, Græcos quidem fontes *imitatus*, ignis eructare & fluere amnis fumi, & flammarum fulua & tortuosa volumina in plagas maris ferre, quasi quosdam igneos amnes, luculentè dixit. at hic noster, atram nubem turbine piceo & fauilla fumantem, *ῥόον καὶ τὴν αἰθρῶν* interpretari volens, crasse & immodicè congesit: globos quoque flammarum, quod ille *ἔρρως* dixerat, duriter & *ἀνώγως* transtulit. item quod ait, sidera lambit; vacanter hoc etiam, inquit, accumulavit & inaniter. neque non id quoque inenarrabile esse ait, & propemodum insensibile; quod nubem atram fumare dixit turbine piceo & fauilla candente. non enim fumare, inquit, solent neque atra esse, quæ sunt candentia: nisi si candente dixit peruolgate & improprie pro feruenti fauilla, non pro ignea & relucente. nam candens scilicet est à candore dictum, non à calore. quod saxa autem & scopulos eructari & erigi, eosdèq. ipsos statim liquefieri & gemere atque glomerari sub auras dixit; hoc, inquit, nec à Pindaro scriptum, nec umquam fando auditum; & omnium, quæ monstra dicuntur, monstruosissimum est.

Lup. Sap. de l. 1.  
not. ad Aquil. l. 1.  
miles. p. 155 n. 9  
vult imitua

## CAPVT XI.

Quod Plutarchus in libris symposiacis opinione Platonis de habitu atque natura stomachi fistulæque eius, quæ *τὸ γαστήρ* dicitur aduersum Erasistratum medicum tutatus est auctoritate adh. bita antiqui medici Hippocratis.

**E**T Plutarchus & alij quidam docti viri reprehēsum esse ab Erasistrato nobili medico Platonem scripsere; quod potum dixit defluere ad pulmonem, coque satis humectato demanare per eum, quia sit rimosior, & confluerre inde in vesicam: errorisque istius fuisse Alcæum ducem, qui in poematis suis scriberet;

Τέτυζε πνεύμωνας οἰνῶ. τὸ γὰρ ἄσπον δειτέλλεται.

ipsum autem Erasistratum dicere duas esse quasi canaliculas quasdam vel fistulas; easque ab oris faucibus proficisci deorsum: per earumque alteram deduci delabique in stomachum esculenta omnia & poculenta; ex coque ferri in ventriculum, qui Græcè appellatur ἡ κείτω κοιλία; atque ibi subigi degerique: ac deinde aridiora ex his recrementa in alium conuenire, quod Græcè κοιλὸν dicitur, humidiora per renes in vesicam. per alteram autem fistulam, quæ Græcè nominatur τετραχῆια ἀρτηρία, spiritum à summo ore in pulmonem, atque inde rursus in os & in naris commeare; perque eandem viam vocis quoque fieri meatum: ac, ne potius cibusque aridior, quem oporteret in stomachū ire, procideret ex ore, labereturque in eam fistulam, per quam spiritus recipitur, eaque offensione intercluderetur animæ via; impositam esse arte quadam & ope natura inde apud duo ista foramina, quæ dicitur ἐπιλωτρίς, quasi claustra quadam mobilia, conuenientia vicissim & resurgentia; eamque ἐπιλωτρίδα inter edendum bibendumque operire atque protegere τὴν τετραχῆια ἀρτηρίαν, ne quid ex esca potuue incideret in illud quasi aestuantis animæ iter; ac propterea nihil humoris influere in pulmonem ore ipso arteria commænitō. Hæc Erasistratus medicus aduersus Platonem. Sed Plutarchus, in libro Symposiacarum, auctorem Platonis sententiæ Hippocratem dicit fuisse; idemque esse opinatos & Philistiona Lo-

erum & Dioxippum Hippocraticum veteres medicos & nobiles; atque illā, de qua Erasistratus dixerit, ἐμυλωτρίδα non idcirco in eo loco constitutam, ne quid ex potu influeret in arteriam (nam pulmōni quoque fouendo rigandoque utiles necessarioque humores videri) sed appositam quasi moderatricem quamdam arbitramque prohibendi admiscendive, quod ex salutis usu foret; uti edilia quidem omnia defenderet ab arteria depalleretque in stomachi viam; potum autem partiretur inter stomachum & pulmōnem, & quod ex eo admitti in pulmōnem per arteriam deberet, non rapidum id neque uniuersum sed quadam quasi obice sustentatum ac repressum sensim paulatimque transmitteret; atque omnem reliquum in alteram stomachi fistulam deriuaret.

## CAPVT XII.

De materiis infamibus, quas Græci ἀδύξαι appellant, à Fauorino exercendi gratia disputatis.

**I**nfames materias, siue quis mauult dicere inopinabiles, quas Græci ἀδύξαι ὑποθέσταις appellant, & veteres adorti sunt non sophistæ solum sed philosophi quoque; & noster Fauorinus oppidò quam libens in eas materias dicebat, vel ingenio expurgificando ratus idoneas vel exercendis argutis vel edomandis usu difficultatibus. sicuti cum Thersitæ laudes quasiuit, & cum febrim quartis diebus recurrentem laudauit; lepida sane multa & non facilia inuentu in utramque causam dixit; eaque scripta in libris reliquit. sed in febris laudibus testem etiam Platonem produxit; quem scripsisse ait, qui quartanam passus conualuerit viresque integras reciperauerit, fidelius cōstantiusque postea valiturus: atque inibi in isdem laudibus non hercle hac sententiola inuenustè lusit, uersus, in-

quit, est longo hominum auro probatus:

*Ἄλλοτε μὴ τυχὴ πέλει ἡμεῖς, ἄλλοτε μήτηρ.*  
 eo versu significatur, non omni die bene esse posse; sed isto bene, atque alio male. quod cum ita sit, inquit; ut in rebus humanis bene aut male vice alterna sit: hæc biduo medio interuallata febris, quanto est fortunatioꝝ in qua est μίαν μὴ τυχὰ, δ'ὐο μὴ τέρεις?

CAPVT XIII.

*Quin*, particula quot qualesque varietates significationis habeat, & quam sæpe in veterum scriptis obscura sit.

**Q**uin, particula quam grammatici coniunctionem appellant, varijs modis sententijsque connectere orationem videtur. aliter enim dici putatur, cum quasi increpantes vel interrogantes vel exhortantes dicimus; quin venis? quin legis? quin fugis? aliter cum ita confirmamus; Non dubium est quin M. Tullius omnium sit eloquentissimus. aliter autem, cum sic componimus; quod quasi priori videtur contrarium; Non idcirco causas Ilocrates nõ defendit, quin id utile esse & honestum existimavit. à quo illa significatio non abhorret, quæ est in tertiâ Origine M. Catonis: Haud eos, inquit, eo postremum scribo, quin populi & boni & strenui sient. in secunda quoque Origine M. Cato non longè secus hac particula usus est. Neque satis, inquit, habuit quod eam in occulto vitauerat, quin eius famam prostitueret. præterea animaduertimus *Quadrigarium* in octavo annaliũ particula ista usum esse obscurissimè. ipsius verba posuimus. Romã venit. vix superat quin triumphus decernatur. itẽ in sexto annali eiusdem verba hæc sũnt. pæ-  
 nè

nè factum est, quin castra relinquerent atque cederent hosti. *Non me autem praterit dicere aliquem posse de summo pectore, nihil esse in his verbis negotii. nam, quoniam, utrobique positum pro, ut; planissimumque esse si ita dicas: Romam venit. vix superat ut triumphus decernatur. item alio in loco: Pæne factum est ut castra relinquerent atque cederent hosti; sed utantur sanè, qui tam expediti sunt, perfugii commutationum in verbis qua non intelliguntur: utantur tamè, ubi id facere poterunt verecundius. hanc vero particulam, de qua dicimus, nisi quis didicerit compositam copulatamque esse, neque vim tantum coniungendi habere, sed certa quadam significatione factam; numquam profecto rationes ac varietates istius comprehensurus est. quod quia longioris dissertationis est, poterit, cœsi otium est, reperire hoc in P. Nigidij commentariis, quos Grammaticos inscripsit.*

## CAPVT XIII.

Sententiæ ex Publii mimis selectæ lepidiores.

**P**ublius mimos scriptitavit; dignusque habitus est, qui suppar Laberio iudicaretur. C. autem Casarem ita Laberii maledicentia & arrogantia offendebat, ut acceptiones & probationes sibi esse Publij quam Laberij mimos prædicaret. huius Publij sententiæ feruntur pleraque lepida, & ad communem usum commendatissima. ex quibus sunt ista singulis versibus circumscripta; quas libitum hercle est adscribere.

Malum est consiliũ, quod mutari non potest.

Beneficium dando accepit qui digno dedit.

Feras non culpes quod vitari non potest.

Cui plus licet quã par est, plus vult quã licet.

Comes facundus in via pro vehiculo est.  
 Frugalitas inferta est tumoris boni.  
 He. edis fletus sub persona risus est.  
 Furor fit læsa sapius patientia.

----- improbe

Neptunum accusat, qui iterum naufragium  
 facit.

Ita amicum habeas, posse vt fieri hunc inimi-  
 cum putes.

Veterem ferendo iniuriam vites nouam.

Numquam periculum sine periculo vincitur.

Nimium altercando veritas amittitur.

Pars beneficii est, quod petitur si bellè ne-  
 ges.

C A P V T X V.

Quod Carneades academicus elleboro stomachū  
 purgauit scripturus aduersus Zenonis stoici  
 decreta: deque natura medelaque ellebori cā-  
 didi & nigri.

**C**Arneades academicus, scripturus aduersum stoi-  
 ci Zenonis libros, superiora corporis elleboro candi-  
 do purgauit; ne quid ex corruptis in stomacho humoribus  
 ad domicilia vsque animi redundaret, & constantiam  
 vigoremque mentis labefaceret. tanta cura tantoque appa-  
 ratu sui vir ingenio præstanti ad refellenda, quæ scripserat  
 Zeno, aggressus. id cum in historia Græca legissem; quod  
 ellebo. o candido scriptum erat, quid esset quasiui. tum  
 comperi duas species ellebori esse discerniculo coloris insi-  
 gnes, candidi & nigri. eos autem colores non in semine  
 ellebori, neque in virgultis, sed in radice dignosci:  
 candido stomachum & ventrem superiorem vomitioni-



bus purgari; nigro aluum, quæ inferior vocatur, dilui: utriusque hanc esse vim, ut humores noxios, in quibus causæ morborum sunt, extrahant. esse autem periculum ne, inter causas morborum, omni corporum via patefacta, ea quoque ipsa in quibus causa viuendi est, exinaniantur; amissoque omni naturalis alimonia fundamento homo exhaustus intereat. Sed elleborum sumi posse tutissimè in insula Anticyra Plinius Secundus, in libris naturalis historiae, scripsit: propterea Liuium Drusum, qui tribunus plebi fuit, cum morbum, qui comitialis dicitur, pateretur, Anticyram nauigasse, & in ea insula elleborum bibisse ait; atque ita morbo liberatum. præterea scriptum legimus, Gallos in venatibus tingere elleboro sagittas; quod his icta exanimata, fera teneriores ad epulas fiant; sed propter ellebori contagium vulnera ex sagittis facta circumcidere latius dicuntur.

## CAPVT XVI.

Anates Ponticas vim habere venenis detergendis potentem; atque inibi de Mithridati regis in id genus medicamento sollertia.

**A**nates Ponticas dicitur edundis vulgo venenis vitare. scriptum etiam à Læneo Cn. Pompeij liberto, Mithridatem illum Ponti regem medicinae rei & remedium id genus sollertem fuisse: solitumque earum sanguinem miscere medicamentis, quæ digerendis venenis valent: eumque sanguinem vel potentissimum esse in ea confectione: ipsum autem regem, assiduo talium medelarum usu, à clandestinis epularum insidiis cauisse: quin & scientem quoque ultro & ostentandi gratia ventrum rapidum & velox sæpenumero hausisse; atque id tamen

*sine noxa fuisse. quamobrem postea, cum prælio victus in ultima regni refugiisset & mori decrevisset, venena violentissima festinanda necis frustra expertus, suo se ipse gladio transegit. huius regis antidotus celebratissima est, quæ Mithridatios vocatur.*

## CAPVT XVII.

Mithridatem Ponti regem quinque & viginti gentium linguis locutum, Quintumque Ennium tria corda habere sese dixisse, quod tres linguas percalluisset, Græcam, Oscam, Latinam.

**Q** Ennius tria corda habere sese dicebat, quod loqui Græcè & Oscè & Latine sciret. Mithridates autè Ponti atque Bithyniæ rex inclutus, qui à Cn. Pompeio bello superatus est, quinque & viginti gentium, quas sub ditione habuit, linguas percalluit: earumque omnium gentium viris haud umquam per interpretem collocutus est: sed ut quemque ab eo appellari usus fuit, proinde lingua & oratione ipsius, non minus scite quam si gentilis eius esset, locutus est.

## CAPVT XVIII.

Quod M. Varro C. Sallustium historiæ scriptorè deprehensum ab Annio Milone in adulterio scribit, & loris cæsum pecuniaque data dimidium.

**M**. Varro in litteris atque vita fide homo multa & gravis, in libro, quem inscripsit Pius aut de pace, C. Sallustium scriptorem seria illius & senera ora-

tionis, in cuius historia notiones censorias fieri atque exerceri videmus, in adulterio deprehensum ab Annio Milone loris bene casum dicit, & cum dedisset pecuniam dimissum.

## CAPVT XIX.

Quid Epictetus philosophus dicere solitus sit hominibus nequã & impuris disciplinas philosophiæ studiose tractantibus; & quæ duo verba obseruanda præceperit omnium rerum longe salubria.

**F**Auorinum ego audiui dicere Epictetum philosophum dixisse, plerosque istos, qui philosophari viderentur, philosophos esse huiuscemodi ἀνευ τῶ ἀπάθειν, μέχει τῶ λέγειν: id significat, factus procul, verbis tenuis. iam illud est vehementius quod Arrianus solitum eum dicitare in libris, quos de dissertationibus eius composuit, scriptum reliquit. Nam cum, inquit, animaduernerat hominem pudore amisso, importuna industria, corruptis moribus audacem, confidentem linguam ceteraque omnia præterquam animum procurantem, istiusmodi, inquit, hominem cum viderat studia quoque & disciplinas philosophiæ contrectare & physica adire & meditari dialectica, multa que id genus theoremata suspicari sciscitarique: in clamabat deum atque hominum fidem, ac plerumque inter clamandum his eum verbis increpabat. ἀνθρωπε πῶ βάλλεις, σκέψαι εἰ κερῖθαρται τὸ ἀγγεῖον, ἀν γὰρ εἰς τὴν οἴησιν αὐτὰ βάλλεις, ἀπαύλετο ἢ ἦν σαπῆ, οὖρον, ἢ ὄξος γένοιτο αὐτῷ, ἢ τὸ τούτων χεῖρον. nihil profecto his verbis grauius, nihil verius; quibus declarabat maximus philosophorum litteras atque doctrinas philosophiæ, cum in hominem falsum atque degenerem

tamquam in vas spurcum atque pollutum influxissent, verti, mutari, corrumpi, & quod ipse κυνικώτερον, urinam fieri, aut si quid est urina spurcius. Præterea idem ille Epictetus, quod ex eodem Fauorino audiimus, solitus dicere est, duo esse vitia multo omnium grauissima ac tæterrima, intolerantiam & incontinentiam; cum aut iniurias, quæ sunt ferendæ, non toleramus neque ferimus; aut à quibus rebus voluptatibusque nos tenere debemus, non tenemus. itaque, inquit, si quis hæc duo verba cordi habeat; eaque sibi imperanda atque obseruando curet: is erit pleraque impeccabilis; vitamque viuet tranquillissimam. verba duo hæc dicebat, ἀνέχεσθαι καὶ ἀπέχεσθαι.

## CAPVT XX.

Verba sumpta ex symposio Platonis numeris conagmentisque verborum scite modulate apteque exercendi gratia in Latinam orationem versa.

**S**ymposium Platonis apud philosophum Taurum legebatur. verba illa Pausaniæ inter conuiuias amorem vice sua laudantis: ea verba ita prorsum amauimus, ut meminisse etiam studuerimus. sunt adeo, quæ meminimus, verba hæc. πάντα γὰρ περὶ ξίς ὡς δὲ ἔχει. αὐτὴ ἐστὶν ἑαυτῆ περὶ τοιούτων, οὐτε καλὴ, οὐτε αἰσχρὴ. οἷον νῦν ἡμεῖς ποιεῖμεν ἢ πίνειν ἢ ἀδειν ἢ διαλέγεσθαι. οὐκ ἔστι τοῦτων αὐτὸ κατ' αὐτὸ καλὸν ἐδὲν, ἀλλ' ἐν τῇ περὶ ξίς, ὡς αὐτὴ περὶ ξίς τοιούτων ἀπέβη. καλῶς μὲν γὰρ παραπτόμενον καὶ ὀρθῶς καλὸν γίγνεται. μὴ ὀρθῶς δ' αἰσχρὸν. οὐτω δὲ καὶ τὸ ἔρως, καὶ ὁ ἔρως, ἔπειτα ἔστι καλὸς, ἐπεὶ ἀξίος ἐγκωμιάζεσθαι, ἀλλ' ὁ καλῶς προτρέπων ἔρως.

Hæc verba ubi lecta sunt; atque ibi Taurus mihi, Hæc, inquit, tu rhetorifice (sic enim me in principio recens in diatribam acceptum appellitabat, existimans eloquentiæ unius extundenda gratia Athenas venisse) videsne, inquit, ἐν ὅμοιαις crebrum & coruscum & conuexum, breuibusque & rotundis numeris cum quadam æquali circumactione deuinctum? habesne nobis dicere in libris rhetorum vestrorum tam apte tamque modulatè compositam orationem? sed hos, inquit, tamen numeros censeo videas ὁ δὲ πᾶσι πᾶσι. ad ipsa enim Platonis penetrabilia ipsarumque rerum pondera & dignitates pergendum est; non ad vocularum eius amœnitatem nec ad verborum venustates deuersitandum. Hæc admonitio Tauri, de orationis Platonica modulis, non modo non repressit sed instinxit etiam nos ad elegantiam Græcæ orationis verbis Latinis affectandam: atque vti quadam animalium parua & vilia ad imitandum sunt, quas res cunque audierint viderintve, petulantia; proinde nos ea, quæ in Platonis oratione demiramur, non amulari quidem; sed lineas umbrasque facere quasiuimus & ausi sumus. velut ipsum hoc est, quod ex illis isdem verbis eius effinximus. Omne, inquit, omnino factum sic sese habet. neque turpe est quantum in eo est, neque honestum: velut est quas facimus nunc ipsi res, bibere, cantare, disserere; nihil namque horum ipsum ex sese honestum est. quale cum fieret modo factum est, tale existit. si rectè honestèque factum est; tum honestum fit: sin parum rectè; turpe fit. sic amor non honestus omnis neque omnis laude dignus; sed qui facit nos vt honestè amemus.

## CAPVT XXI.

Quibus temporibus post Romam cōditam Græci Romanique illustres viii floruerint ante secundum bellum Karthaginienſium,

**V**T conſpectum quemdam ætatum antiquiſſimarum, item virorum illuſtrium, qui in hiſ ætatibus nati fuiſſent, haberemus; ne in ſermonibus fortè inconſpectum aliquid, ſuper ætate atque vita clarorum hominum, temerè diceremus: ſicuti ſophiſta ille ἀπαίδευτος, qui publicè nuper diſſerens Carneadem philoſophum à rege Alexandro Philippi ſibio pecunia donatum & Panatium Stoicū cū ſuperiore Africano vixiſſe dixit: Vt ab iſtiuſmodi, inquam, temporum ætatumque erroribus cauercmus, excerpebamus ex libris, qui chronici appellantur, quibus temporibus flouriſſent Græci ſimul atque Romani viri, qui vel ingenio vel imperio nobiles inſigneſque poſt conditam Romam fuiſſent ante ſecundum bellum Karthaginienſium: eaſque nunc excerptiones noſtras varijs diuerſiſque in locis factas curſim digeſimus. neque enim id nobis negotium fuit, vt acri atque ſubtili cura excellentium in vtraque gente hominum οὐχ ἁπορις μὲν componeremus, ſed vt noctes iſtæ quadamtenus hiſ quoque hiſtoria floſculis leniter iniectis aſpergerentur. ſatis autem viſum eſt in hoc commentario de temporibus paucorū hominum dicere: ex quorum ætatibus de pluribus quoque, quos non nominaremus, haud difficilis coniectura fieri poſſet. incipiemus igitur à Solone claro: quoniam de Homero & Heſiodo inter omnes ferè ſcriptores conſtitit, ætatem eos egiſſe vel iſdem ferè temporibus; vel Homerum aliquanto antiquiorem: vtrumque tamen ante Romam conditam vixiſſe Siluijs Albæ regnantibus, annis poſt bellum Troianum, vt Caſ-

fuis in primo annalium de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit, plus centum atque sexaginta, ante Romam autem conditam, ut Cornelius Nepos in primo Chroniconum de Homero dixit, annis circiter centum & sexaginta. Solonem ergo accepimus unum ex illo nobili numero sapientum leges scripsisse Atheniensium, Tarquinio Prisco Romæ regnante, anno regni eius tricesimo tertio. Servio autem Tullo regnante Pisistratus Athenis tyrannus fuit, Solone autem in exilium voluntarium profecto; quoniam id ei prædicenti non creditum est. postea Pythagoras Samius in Italiam venit, Tarquinij filio regnum obtinente; cui cognomentum Superbus fuit. isdemque temporibus occisus est Athenis ab Hermodio & Aristogitone Hipparchus Pisistrati filius, Hippie tyranni frater. Archilochum autem Nepos Cornelius tradit, Tullo Hostilio Romæ regnante, iam tum fuisse poematis clarum & nobilem. ducentesimo deinde & sexagesimo anno post Romam conditam, aut non longe amplius, victos esse ab Atheniensibus Persas memoria traditum est, pugna illa incluta Marathonia, Miltiade duce: qui post eam victoriam damnatus à populo Atheniensi in vinculis publicis mortem obiit. tum Æschylus Athenis tragediarum poeta celebris fuit. Romæ autem istis ferme temporibus tribunos & adiles tum primum per seditionem sibi plebes creavit. ac non diu post Cn. Marcius Coriolanus, exagitatus vexatusque à tribunis plebi, ad Vulscos, qui tum hostes erant, à republica descivit; bellumque populo Romano fecit. post deinde paucis annis Xerxes rex ab Atheniensibus & pleraque Græcia, Themistocle duce, navali prælio, quod ad Salamina factum est, victus fugatusque est. atque inde anno fere quarto, Menenio Agrippa M. Heratio Pulvillo consulibus, bello Veiente, apud fluvium Cremeram, ab his sex trecenti patricij Fabij cum familijs suis, univèrsi ab ho-

sibus circumuenti perierunt. iuxta ea tempora Empedo-  
 cles Agrigentinus in philosophia naturalis studio flo-  
 ruit. Roma autem per eas tempestates decemviros legibus  
 scribundis creatos constitit; tabulasque ab his primo decem  
 conscriptas, mox alias duas additas. bellum deinde in terra  
 Græcia maximum Peloponnesiacum, quod Thucydides me-  
 moria mandauit, cœptum est, circa annum ferè, post con-  
 ditam Romam, trecentesium vicesimum tertium. qua  
 tempestate Oulus Postumius Tubertus dictator Roma fuit.  
 qui filium suum, quod contra suum dictum in hostem pu-  
 gnauerat, securi necauit. hostes tum populi Romani fue-  
 rant Eidenates. itaque inter hæc tempora nobiles celebres-  
 que erant Sophocles ac deinde Euripides tragici poeta, &  
 Hippocrates medicus, & Democritus philosophus: quibus  
 Socrates Atheniensis natus quidem posterior fuit; sed qui-  
 busdam temporibus isdem vixerunt. iam deinde, tribunis  
 militaribus consulari imperio rempublicam Roma regen-  
 tibus, ad annum ferè conditæ urbis trecentesium qua-  
 dragesimum septimum, triginta illi tyranni præpositi sunt  
 à Lacedæmonijs Atheniensibus: & in Sicilia Dionysius  
 superior tyrannidem tenuit. paucisque annis post, Socrates  
 Athenis capitis damnatus est, & in carcere veneno ne-  
 catus. ea ferè tempestate Roma M. Furius Camillus dicta-  
 tor fuit, & Peios cepit. ac post non longo tempore bellum  
 Senonicum fuit. tum Galli Romam præter Capitolium ce-  
 perunt. neque multo postea Eudoxus astrologus in terra  
 Græcia nobilitatus est: Lacedæmonique ab Atheniensibus  
 apud Corinthum superati, duce Phormione: & M. Man-  
 lius Roma, qui Gallos in obsidione Capitolijs obrepentis per  
 ardua depulerat, conuictus est consilium de regno occupan-  
 do inisse; damnatusque capitis saxo Tarpeio, ut M. Varro  
 ait, præceps datus, ut Cornelius autem Nepos scriptum  
 reliquit, verberando necatus est. eoque ipso anno, qui erat



post reciperatam urbem septimus, Aristotelem philosophum natum esse memoria mandatum est. aliquot deinde annis post bellum Senonicum, Thebani Lacedaemonios, duce Epaminonda, apud Leuctra superauerunt: ac breui post tempore, in urbe Roma, lege Licinij Stolonis consules creari etiam ex plebe cepti, cum antea ius non esset nisi ex patricijs gentibus fieri consules. circa annum deinde urbis condita quadragesimum Philippus Amynta filius Alexandri pater regnum Macedoniae adeptus est: inque eo tempore Alexander natus est: paucisque inde annis post Plato philosophus ad Dionysium Siciliae tyrannum posteriorem profectus est. post inde aliquanto tempore Philippus apud Charoneam praelio magno Athenienses vincit. tum Demosthenes orator ex eo praelio salutem fuga quasiuit: cumque id ei, quod fugerat, probrose obijceretur; versu illo notissimo elusit;

Αὐτὸς, inquit, ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχίσεται.

postea Philippus ex insidijs occiditur: & Alexander regnum adeptus ad subigendos Persas in Asiam atque in orientem transgressus est. alter autem Alexander, cui cognomentum Molosso fuit, in Italiam venit bellum populo Romano factururus. iam enim fama virtusque felicitatis Romanae apud exteras gentes enitescere inceperat. sed, prius, quam bellum faceret, vita decessit. Eum Molossum, cum in Italiam transiret, dixisse accepimus, se quidem ad Romanos ire quasi in ἀνὲρ ποίηται; Macedonem esse ad Persas quasi in ὑπάρχοντα. postea Macedo Alexander pleraque parte orientali subacta, cum annos undecim regnauisset, obiit mortis diem. neque ita longe post Aristoteles philosophus & post aliquanto Demosthenes vita functi sunt: isdemque ferme tempestatibus populus Romanus graui ac diutino Samnitium bello confictatus est: consulesque Tib. Veturius & Sp. Postumius in locis iniquis a-

pud Caudium, à Samnitibus circumuallati ac sub iugum  
 missi, turpi fœdere facto discesserunt: ob eamque causam  
 populi iussu Sānitibus per feciales dediti recepti non sunt.  
 post annum deinde urbis conditæ quadringentesimum fe-  
 rē & septuagesimum bellum cum rege Pyrrho sumtum  
 est. ea tempestate Epicurus Atheniensis & Zeno Citien-  
 sis philosophi celebres erant: eodemque tempore C. Fabri-  
 cius Luscinus & Q. Amilius Papus censores Romæ fue-  
 runt; & P. Cornelium Rufinum, qui bis consul & di-  
 ctator fuerat, senatu mouerunt: causamque isti nota sub-  
 scripserunt, quod eum comperissent argenti facti cœna  
 gratia decem pondo libras habere. Anno deinde post Ro-  
 mam conditam quadringentesimo fermè nonagesimo, con-  
 sulibus Appio Claudio, cui cognomentum Caudex fuit,  
 Appij illius Cæci fratre & M. Fulvio Flacco, bellum ad-  
 uersum Pœnos primum cœptum est. neque diu post, Calli-  
 machus poëta Cyrenensis Alexandria, apud Ptolemaum  
 regem, celebratus est. annis deinde postea paulo pluribus  
 quam viginti, pace cum Pœnis facta, consulibus Claudio  
 Centone Appij Cæci filio & M. Sempronio Tuditano, pri-  
 mus omnium L. Liuius poëta fabulas docere Romæ cœpit,  
 post Sophoclis & Euripidis mortem annis plus ferè cen-  
 tum & sexaginta, post Menandri annis circiter quinquaginta  
 duobus. Claudium & Tuditanū Consules sequuntur  
 Q. Valerius & C. Manilius: quibus natum esse Q. Enniū  
 poëtam M. Varro, in primo de poëtis libro, scripsit: eumque,  
 cum septimū & sexagesimum annum ageret, duodecimū  
 annalem scripsisse; idque ipsum Ennium in eodem libro  
 dicere. Anno deinde post Romam conditam quingente-  
 simo undecicesimo Sp. Caruilius Ruga primus Romæ de  
 amicorum sententia diuortium cum uxore fecit, quod ste-  
 rilis esset, iurassetque apud censores uxorem se liberūm  
 quarendorum causa habere, eodemque anno Cn. Nauius

poëta fabulas apud populum dedit; quem M. Varro, in libro de poëtis primo, stipendia fecisse ait bello Pœnico primo; idque ipsum Nauium dicere in eo carmine, quod de eodem bello scripsit. Porcius autem Licinius serius poëticam Romæ cœpisse dicit in his versibus:

Pœnico bello secundo Musa pinnato gradu


Intulit sese bellicosam in Romuli gentem feram.

ac deinde annis ferè post quindecim bellum aduersus Pœnos sumtum est: atque non nimium longè M. Cato orator in ciuitate & Plautus poëta in scena floruerunt. isdemque temporibus Diogenes stoicus & Carneades academicus & Critolaus peripateticus ab Atheniensibus, ad senatum populi Romani, negotij publici gratia, legati sunt. neque magno interuallo postea Q. Ennius, & iuxta Cæcilius & Terentius, ac subinde & Pacuuius, & Pacuuius iam sene Accius, clariorque tunc in poëmatibus eorum obtrectandis Lucilius fuit. sed progressi longius sumus; cum finem proposuerimus annotatiunculis istis bellum Pœnorum secundum.

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
DVODEVICESIMVS.

CAPVT I.

Disputationes à philosopho stoico & contra  
à peripatetico, arbitro Fauorino, factæ:  
quæsitumque inter eos, quantum in per-  
ficienda vitâ beata virtus valeret; quan-  
tumque esset in iis quæ dicuntur extra-  
nea.

 *M*Amiliares Fauorini erant duo quidam non  
in celebres in urbe Roma philosophi. eorum  
fuit unus peripatetica disciplina sectator, al-  
ter stoica. his quondam ego acriter atque con-  
stante pro suis utrimque decretis propugnantis, cum es-  
semus unâ omnes Ostiæ cum Fauorino, interfui. ambu-  
labamus autem in litore cum iam aduesperasceret, astate  
anni noui. atque ibi stoicus censebat & vitam beatam ho-  
minum virtute animi sola, et miseriam summam malitiâ  
sola posse effici, etiâ si cetera bona omnia, quæ corporalia et  
externa appellarentur, virtuti deessent; malitiâ adessent.  
ille contra peripateticus miseriam quidem vitam vitis a-  
nimi & malitiâ sola fieri concedebat; sed ad complendos  
omnes vitam beatam numeros virtutem solam nequaquam  
satis esse existimabat. quoniam & corporis integritas sa-  
nitasque, & honestus modus formæ, & pecunia familia-  
ris, & bona existimatio, ceteraque omnia corporis & for-  
tuna bona necessaria viderentur perficiendæ beatæ vitæ.

reclamabat hoc in loco stoicus; & tamquam duas ille res diuersus poneret, mirabatur: quod, cum essent malitia & virtus duo contraria, vita misera & beata quoque aequè contraria; non seruaret in utrisque vim & naturam contrarij: & ad miseriam quidem vitæ conficiendam satis valere malitiam solam putaret; ad præstandam verò vitam beatam non satis virtutem solam esse diceret. atque id maximè disidere neque conuenire dicebat, quod, qui profiteretur vitam nullo pacto beatam effici posse si virtus sola abesset, idem contra negaret beatam fieri vitam cum sola virtus adesset; & quem daret haberetque virtuti absentem honorem, eundem petenti atque præsentem adimeret. Tum peripateticus perquam hercle festiue, Rogo te, inquit, cum bona venia respondeas, an existimes esse vini amphoram cum abest ab eà vnus congius? Hoc ubi accepit stoicus; Minimè, inquit, vini amphora dici potest ex qua abest congius. hoc ubi accepit peripateticus; vnus igitur, inquit, congius amphoram fatere dici debet: quoniam cum deest ille vnus, non fit vini amphora; & cum accessit, fit amphora: quod si id dicere absurdum est vno congiio solo fieri amphoram; itidem absurdum est vna sola virtute vitam fieri beatam dicere; quoniam cum virtus abest, beata esse vita numquam potest. tum Fauorinus adspiciens peripateticum, Est quidem, inquit, argutiola hæc; qua de congiio vini usus es, exposita in libris: sed vt scis captio magis lepida, quam probum aut simile argumentum videri debet. congius enim, cum deest, efficit quidem ne sit iustæ mensuræ amphora; sed cum accedit & adiicitur, non ille vnus facit amphoram, sed supplet. virtus autem, vt isti dicunt, non accessio neque supplementum, sed sola ipsa vitæ beatæ instar est; & propterea vitam beatam ipsa sola vna cum adest facit. Hæc atque alia quædam minuta magis & nodosa, tamquam apud arbitrum Fauorinum, in suam uter-

que sententiam conferebant. sed cum iam prima fax notis & densiores esse tenebrae cœpissent : persecuti Favorinum in domum ad quam devertebat discessimus.

## CAPUT II.

Cuiusmodi quaestionum certationibus Saturnalia ludicra Athenis agitare soliti sumus; atque inibi inspersa quaedam sophilimata & ænigmata oblectatoria.

**S**aturnalia Athenis agitabamus hilarè prorsum & modestè, non, ut dicitur, remittentes animum. (nam remittere, inquit Musonius, animum quasi amittere est) sed demulcentes eum paulum atque laxantes iucundis honestisque sermonum illectationibus. Conueniebamus autem ad eandem cœnam complusculi, qui Romani in Graciam veneramus; quique easdem audiciones eosdemque doctores colebamus. tum qui cœnulam ordine servabat præmium soluendæ quaestionis ponebat librum veteris scriptoris vel Græcum vel Latinum, & coronam è lauro plexam; totidemque res quærebat quot homines istic eramus. cumque eas omnis exposuerat; rem locumque dicendi fors dabat. quaestio igitur soluta corona & præmio donabatur; non soluta autem tramittebatur ad eum, qui fortitò successerat. idque in orbem vice pari servabatur. si nemo dissoluebat quaestionis eius nodum; præmium ipsum & corona deo, cuius id festum erat, dicabatur. quærebantur autem res huiusmodi, aut sententia poëtae veteris lapidè obscura non anxie, aut historia antiquioris requisitio, aut decreti cuiuspiam ex philosophia perperam inuulgati purgatio, aut captionis sophisticæ solutio, aut inopinatio variorisque verbi indagatio, aut tempus item in verbo perperico obscurissimum. itaque nuper quaesita esse memini

numero

numero septem: quorum prima fuit enarratio horum ver-  
suum, qui sunt in satyris Q. Ennij, vno multifariam ver-  
bo concinniter implicati. quorum exemplum hoc est.

Nam qui lepidè postulat alterum frustrat;  
Quem frustra iatur, frustra eum dicit frustra  
esse.

Nam qui sese frustrari quem frustra sentit,  
Qui frustratur, is frustra est, si non ille est  
frustra.

Secunda quaestio fuit, quonam modo audiri atque accipi  
deberet, quod Plato in ciuitate, quam in libris suis condi-  
dit, *κοινὰς τὰς γυναικας* esse censuit; & premia viris for-  
tibus summisque bellatoribus posuit sauiationes puerorum  
& puellarum. Tertio in loco hoc quaesitum est, in quibus  
verbis captionum istarum fraus esset, & quo pacto distin-  
gui resoluique possent. Quod non perdidisti habes:  
cornua non perdidisti: habes igitur cornua. item  
altera captio. Quod ego sum id tu non es: homo  
igitur tu non es. Quaesitum id quoque ibi est, quae esset  
huius quoque sophismatis resolutio. Cum mentior &  
mentiri me dico, mentior an verum dico? postea  
quaestio ista haec fuit. Quam ob causam patricij Me-  
galensibus mutitare soliti sint, plebes Cereali-  
bus? secundum ea quaesitum hoc est; verbum, verant,  
quod significat, vera dicunt, quisnam veterum poëta-  
rum dixerit? Sexta quaestio fuit asphodelum cuiusmodi  
verbum sit, quod Hesiodus in isto versu posuerit.

Οὐδ' ἔσσην ἐν μάλαχῃ, τὲ καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειρα:

& quid item Hesiodus se dicere sentiat, cum dimidium  
plus esse toto dicit. Postrema quaestionum omniū haec fuit;  
scripserim, venerim, legerim, cuius temporis verba  
sint, praeteriti an futuri, an vtriusque. Haec ubi ordine,  
quo dixi, proposita atque singulis sorte ductis disputata ex-

planataque sunt : libris coronisque omnes donati sumus; nisi ob unam questionem, quæ fuit de verbo, verant. nemo enim tum commemoraret dictum esse à Q. Ennio id verbum in decimotertio annalium in isto versu.

Satin vates verant ætate in agunda?

Corona igitur huius questionis deo feriarum istarum Saturno data est.

### C A P V T I I I .

Quid Aeschines rhetor in oratione, qua Timarchum de impudicitia accusauit, Lacedæmonios statuisse dixerit super sententiâ probatissima quam improbatissimus homo dixisset.

**A**eschines vel acerrimus prudentissimusque oratorum, qui apud conciones Atheniensium floruerunt; in oratione illa saua criminosaque & virulenta, qua Timarchum de impudicitia grauius insigniterque accusauit nobile & illustre consilium Lacedæmoniis dedisse dicit virum indidem ciuitatis eiusdem principem virtute atque ætate magna præditum. Populus, inquit, Lacedæmonius de summa republica sua, quidnam esset utile et honestum, deliberabat. tum exsurgit, sententiæ dicendæ gratiâ, homo quispiam turpitudine pristina vitæ defamatissimus, sed lingua tunc atque facundia nimium quantum præstabilis. consilium, quod dabat quodque oportere fieri suadebat, acceptum ab vniuersis & complacitum est: futurumque erat ex eius sententiâ populi decretum: ibi unus ex illo principum ordine, quos Lacedæmonij ætatis dignitatisque maiestate tamquam arbitros & magistrōs disciplina publica verebantur, commoto irritatoque animo exsilit: &, Quenam, inquit, Lacedæmonij ratio, aut qua tandem



spes erit, urbem hanc & hanc rempublicam saluam in-  
pugnabilemque esse diuinus posse, si huiuscemodi antea-  
ta vite hominibus consiliarius utemur? quod si proba ista  
hac & honesta sententia est; quaeso vos, non sinamus  
eamde dehonestari turpissimi auctoris contagio. atque ubi  
hoc dixit, elegit virum fortitudine atque iustitia prater  
alios praestantem, sed inopi lingua & infacundum; ius-  
sitque eum, consensu petituque omnium, eandem illam  
sententiam disertum viri cuiuscumodi posset verbis dicere; ut  
nulla prioris mentione habita scitum atque decretum po-  
puli ex eius unius nomine fieret, quod ipsum denuo dix-  
erat. atque ita, ut suaserat prudentissimus senex, fa-  
ctum est. sic bona sententia mansit. turpis auctor muta-  
tus est.

## CAPVT IIII.

Quod Sulpicius Apollinaris praedicantem quem-  
dam à sese vno Sallustij historias intelligi il-  
lusit, quaestione proposita, quid verba ista apud  
Sallustium significarent; perincertum stolidior an  
varior.

Cum iam adolescentuli Roma praetextam & pueri-  
lem togam mutassent; magistrosque iam nobismet-  
ipsi exploratores quaereremus: in Sandaliario forte apud  
librarios fuimus; cum ibi in multorum hominum caetu  
Apollinaris Sulpicius, vir in memoria nostra prater a-  
lios doctus, iactatorem quempiam & venditorem Sal-  
lustiana lectionis irrisit illusitque genere illo facetissima  
disimulationis, qua Socrates ad sophistas utebatur. nam  
cum ille se unum & unicum lectorem esse enarratorem-  
que Sallustij diceret; neque primam tantum cutem ac ste-

*A. GELLII NOCT. ATT.*  
 ciem sententiarum sed sanguinem quoque ipsum ac medullam verborum eius eruere atque introspicere penitus prædicaret. tum Apollinaris amplecti venerarique se doctriñas illius dicens, Per, inquit, magister optime, exoptatus mihi nunc venis cum sanguine & medulla Sallustij verborum. hesterno enim die quærebat ex me, quidnam verba eius hæc in quarto historiarum libro de Cn. Lentulo scripta significant; de quo incertum fuisse ait stolidiorne esset an vanior: eaque ipsa verba, uti sunt à Sallustio scripta, dixit. At Cn. Lentulus patriciae gentis, collega eius cui cognomentum Clodiano fuit, perincerti in stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emtoribus bonorum remiserat, exigenda promulgavit. quæsitum ergo ex se Apollinaris neque id se dissolvere potuisse asseverabat, quid esset vanior & quid stolidior: quoniam Sallustius sic ea sperasse atque opposuisse inter se vidcretur, tamquam diversa ac dissimilia, nec eiusdem utraque vitij forent: ac propterea petebat, uti se doceret significationes utriusque vocis & origines. Tum ille rictu oris labearumque ductu contemni à se ostendens & rem de qua quæreretur & hominem ipsum qui quæreret, Priscorum, inquit, & remotorum ego verborum medullas & sanguinem, sicuti dixi, perspicere & elicere solco; non istorum quæ proculcata vulgo & protrita sunt. ipso illo quippe Cn. Lentulo stolidior est & vanior, qui ignorat eiusdem stultitiæ esse vanitatem & stoliditatem. sed ubi hoc dixit: media ipsa sermonum reliquit; & abire cæpit. nos deinde eum tenebamus; urgebamusque, & cum primis Apollinaris; ut de vocabulorū istorum vel differentia vel, si ei ita videretur, similitudine plenius apertiusque disereret; & ut ne sibi invideret discere volenti orabat. atque ille, se iã plane illud ratus, negotium sibi esse causatur, et digreditur.

nos autem postea ex Apollinari didicimus vanos proprie dici, non, ut vulgus diceret, desipientes aut hebetes aut ineptos, sed ut, veterum doctissimi dixissent, mendaces & infidos & leuia inaniaque pro grauibus & veris astutissimè componentes: stolidos autem vocari non tã stultos & excordes, quam tãtros & molestos & illepidos, quos Græci  $\mu\omicron\chi\theta\upsilon\pi\omicron\upsilon\varsigma$  καὶ  $\phi\omicron\sigma\tau\iota\chi\omicron\upsilon\varsigma$  dicerent. etyma quoque harum vocum & origines scriptas esse dicebat in libris Nigidianis. quos requisitos ego & repertos cum primarum significationum exemplis, ut commentariis harum nocturnum inferrem, notavi; & intulisse iam me aliquo in loco commentationibus istis existimo.

## CAPVT V.

Quod Q. Ennius in septimo annali quadrupes eques, ac non, quadrupes equus vt legunt multi, scriptum reliquit.

Cum Antonio Iuliano rhetore, viro hercle bono & facundia florentis, complures adolescentes familiares eius Puteolis æstuarum ludum & iocum in litteris amœnioribus & in voluptatibus pudicis honestisque agitabamus. atque ibi tunc Iuliano nuntiatur ἀνερῶσιν quemdam, non indoctum hominem, voce admodum scita & canora Ennij annales legere ad populum in theatro. Eamus, inquit, auditum nescio quem istum Ennianistam. hoc enim se ille nomine appellari volebat. Quem cum iam inter ingentes clamores legentem inuenissemus (legebat autem librum ex annalibus Ennij sc̄p̄imum) hos eum primum versus perperam pronuntiantem audiuimus;

Denique vi magna quadrupes equus atque elephant

Proiiciunt sese.

neque postea multis versibus additis, celebrantibus eum laudantibusque omnibus, discessit. Tum Iulianus egrediens e theatro, Quid vobis, inquit, de hoc anagnosta & de quadrupede equo videtur? sic enim profecto legit.

Denique vi magna quadrupes equus atque elephanti

Proiiciunt sese.

& quid putatis, si magistrum praefectoremque habuisset alicuius aeris, quadrupes equus, dicturum fuisse, ac non quadrupes eques? quod ab Ennio ita scriptum relictumque esse nemo unus litterarum veterum diligens dubitavit. cumque aliquot eorum, qui aderant, quadrupes equus, apud suum quisque grammaticum legisse se dicerent; & mirarentur quidnam esset, quadrupes eques; Vellem vos, inquit, optimi iuvenes, tam accurate Q. Ennium legisse, quam P. Vergilius legisset: qui hunc eius versum secutus in Georgicis suis equitem pro equo posuit his in versibus;

Frena Pelethronij Lapihae gyrosque dedere

Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis

Insultare solo & gressus glomerare superbos.

in quo loco, equitem, si quis modo non inscite ineptèque argutior sit, nihil potest accipi aliud nisi, equum. plethraque enim veterum atas & hominem equo insidentem & equum qui insideretur equitem dixerunt. propterea equitare etiam, quod verbum e vocabulo equitis inclinatum est, & homo equo utens & equus sub homine gradens dicebatur. Lucilius adeo vir adprime lingua Latina sciens equum equitare dicit his versibus.

Quis hinc currere equum nos atque equitare videmus

His equitat curritque oculis.

*Sed enim contentus, inquit, ego his non fui: & ut non turbida fidei nec ambigua sed ut pura liquentisque esset equusne an eques Ennius scriptum reliquisset; librum summa atque reuerenda vetustatis, quem serè constabat Lampadionis manu emendatum, studio precioque multo vnus versus inspiciendi gratia conduxit: & eques, non, equus, scriptum in eo versu inueni. Hac tum nobis Iulianus & multa alia eruditè simul & affabiliter dixit. sed eadem ipsa post etiam in peruulgatis commentariis scripta offendimus.*

CAPUT VI.

Quod Aelius Melissus, in libro cui titulum fecit, de loquendi proprietate, quem cum ederet cornu esse copia dicebat, re scripsit neque dictu neque auditu dignam; cum differre matronam & matrem-familias existimauit differentia longe vanissima.

**A**elius Melissus in nostra memoria fuit Roma summi quidem loci inter grammaticos & temporis; sed maiore in litteris erat iactantia & coquiseia quam opera. is præter alia, quæ scripsit compluria, librum composuit, ut tunc videbatur cum est editus, doctrinæ inclutæ. ei libro titulus est ingentis cuiusdam illecebræ ad legendum scriptus. quippe est, de loquendi proprietate. quis adeo existimet loqui se recte atque proprie posse, nisi illas Melissi proprietates perdidicerit? ex eo libro hæc verba sunt. Matrona est, quæ semel peperit; quæ sapius, materfamilias: sicuti sus quæ semel peperit; porcetra quæ sapius.

utrum autem hoc de matrona ac de matrefamilias Melissus excogitauerit ipse & coniectauerit; an scriptum ab alio quo legerit, hariolis profecto est opus nam de porcetra habet sane auctorem Pomponium in *Atellana*, quæ hoc eodem vocabulo inscripta est. sed matronam non esse appellatam, nisi quæ semel peperit, neque matrefamilias nisi quæ sepius, nullis veterum scriptorum auctoritatibus confirmari potest. enimvero illud impendio probabilius est, quod idonei uocum antiquarum enarratores tradiderunt, matronam dictam esse proprie, quæ in matrimonium cum viro conuenisset, quoad in eo matrimonio maneret, etiam si liberi nondum nati forent: dictamque esse ita à matris nomine non adeptam iam, sed cum spe & omine mox apiscendi. unde ipsum quoque matrimonium dicitur. matrem autem familias appellatam esse eam solam, quæ in mariti manu mancipioque aut in eius, in cuius maritus manu mancipioque esset. quoniam non in matrimonium tantum sed in familiam quoque mariti & in sui heredis locum uenisset.

## CAPUT VII.

Quem in modum Fauorinus tractauerit intempesium quemdam de verborum ambiguitatibus quaerentem: atque ibi quot significationes capiat concio.

**D**omitio homini docto celebrique in urbe Roma grammatico; cui cognomen Insano factum est, quoniam erat natura intractabilior & morosior. ei Domitio Fauorinus noster cum forte apud fanum Carmentis obuiam uenisset; atque ego cum Fauorino essem: Quæso, inquit, te magister dicas mihi, nam erraui; quod, um uellem *ἄμυρογίας* Latine dicere, conciones dixi:

dubito quippe & requiro, an veterum eorum, qui electius locuti sunt, pro verbis & oratione dixerit quis concionem. tum Domitius voce atque vultu atrocior, Nulla, inquit, prorsus bona salutis spes reliqua est; cum vos quoque philosophorum illustrissimi nihil iam aliud quam verba auctoritatesque verborum cordi habeatis. mittam autem librum tibi in quo id reperias quod quaris. ego enim grammaticus vita iam atque morum disciplinas quero: vos philosophi mera estis, ut M. Cato ait, mortuaria glosaria. namqui colligitis lexicidia, res tetras & inanes & friuolas, tamquam mulierum voces praeficarum. atque utinam, inquit, muti omnes homines essemus! minus improbitas instrumenti haberet. cumque digressi essemus: Non tempestive, inquit Favorinus, hunc hominem accessimus. videtur enim mihi ἐπισημαίνεσθαι. scitote, inquit, tamen in imperiis istam, quae μελαγχολία dicitur, non parvis nec abiectis ingeniis accidere; ἀλλὰ εἴ γε δὸν πὶ τὸ πάθος τῶ τοῦ ἠρωϊκόν; & veritates plerumque fortiter dicere sed respectu non habere μήτε καὶ μήτε μέγεθ vel ipsum quale hoc existimatis, quod nunc de philosophis dixit? nonne, si id Antisthenes aut Diogenes dixisset, dignum memoria visum esset? misit autem paulo post Favorino librum quem promiserat. Verrij, inopinor, Flacci erat. in quo scripta ad hoc genus quaestiones pertinentia haec fuerunt. senatum dici & pro loco & pro hominibus; civitatem & pro loco & pro oppido & pro iure quoque omnium & pro hominum multitudine; tribus quoque & decurias dici & pro loco & pro iure & pro hominibus: concionem autem tria significare, locum & verba suae gestumque, unde verba fierent. sicut M. Tullius, in oratione quae inscripta est contra concionem Q. Metelli, Escendi, inquit, in concionem: concursus est populi factus sicut idem

M. Tullius in Oratore ait; Conciones sæpe exclamare vidi cū aptè verba cecidissent. etenim expectant aures ut verbis colligetur sententia. item significare cœtum populi assistentis, item orationem ipsam quæ ad populum diceretur. exempla in eo libro scripta non erant. sed nos postea Favorino desideranti harum omnium significationum monumenta & apud Ciceronem, sicuti supra scripsi, & apud elegantissimos veterum reperta exhibuimus. Id autem quod potissimum expetebat, concionem esse dictam pro verbis & oratione, docui titulo Tulliani libri, qui à M. Cicerone inscriptus est; Contra concionem Q. Metelli. quo nihil profectò significatur aliud, quam ipsa, quæ à Metello dicta est, oratio.

## CAPUT VIII.

Ὀμοιότεια καὶ ὁμοιόπρωτα atque alia id genus, quæ ornamenta orationis putantur, inepta esse & puerilia Lucilii quoque versibus declarari.

Ὀμοιότεια καὶ ἰσοκατάληκτα καὶ περίσσα καὶ ὁμοιόπρωτα, ceteraque huiusmodi scitamenta, quæ isti ἀπειρόκαλοι, qui se Isocratio videri volunt, in collocandis verbis immodicè faciunt & rancidè, quam sint insubida & inertia & puerilia facetissimè hercle significat in quinto satyrarum Lucilius. nam ubi est cum amico conuestus, quod ad se agrotum non viseret; hæc ibidem addit festiuiter.

Quo me habeam pacto, tametsi non quæris  
docebo;

Quādo in eo numero mansi, quo in maxima  
nunc est



Pars hominum, vt periisse velis, quem nolueris cum

Visere debueris. hoc, NOLVERIS, & DEBVERIS, te

Si minus delectat quod ἀτεχρον *Isocratiū est*; ὀχληρῶδες que simul totum ac συμμετρικῶδες:  
Non operam perdo. Si tu hic. \*\*.

## CAPVT X.

Quid significet apud M. Catonem verbum, *insecenda*; quodque *insecenda* potius legendum sit, quam quod plerique existimant *insequenda*.

**I**N libro vetere, in quo erat oratio M. Catonis de Ptolemao contra Thermum, sic scriptum fuit. Sed si omnia dolo fecit; omnia auaritiæ atque pecuniæ causa fecit, eiusmodi scelera nefaria, quæ neque *insecenda* fanda neque *legenda* audiuimus: supplicium pro factis dare oportet. *insecenda* quid esset *quæri ceptum*, tum, ex his qui aderant, alter litterator fuit, alter litteras sciens. hi duo inter sese dissentiebāt. & grammaticus quidem contendebat, *insequenda* enim scribi, inquit, debet, non, *insecenda*. quoniam *insequens* significat: dictumque est *inseque*, quasi, *perge dicere & insequere*. itaque ab Ennio scriptum in his versibus:

Inseque musa manu Romanorum indupera-  
tor

Quod quisque in bello gessit cum rege Phil-  
lippo.

alter autem ille eruditior nihil mendosum, sed rectè atque integrè scriptum esse perseuerabat; & Velio Longo non homini indocto fidem esse habendam: qui in commentario, quod fecisset de usu antiqua locutionis, scripserit nō *inse-*

que legēdum apud Ennium, sed inferre; ideoque à veteribus, quas narrationes dicimus, infectiones, esse appellatas: Varronem quoque versum hanc Plauti de Menachinis,

Hæc nihilo mihi videntur esse sectius quam somnia,

sic enarrasse; nihilo magis narranda esse quam si ea essent somnia. hæc illi inter se certabant. Ego arbitror & à M. Catone insecenda & à Q. Ennio insecē scriptum sine, v, littera. offendi enim in bibliotheca Patrensi librum veræ vetustatis Linij Andronici, qui inscriptus est ὁδὸς αἰα. in quo erat versus primus, cum hoc verbo. sine v, littera.

Virum mihi Casmœna insecē versutum; factus ex illo Homeri versu:

ἀνδρα μοι ἔνεπε μῦσα πολύτροπον.

illi igitur ætatis & fidei magna libro credo. nam quod in versu Plautino est, sectius quam somnia; nihil in alteram partem plus argumenti habet. Etiam si veteres autem non insecē, sed insecē dixerunt, credo quia erat lenius leniusque: tamen eiusdem sententiæ verbum videtur. nam & sequo & sequor & item secta & sectio consuetudine loquendi differunt: sed qui penitus inspexerit, origo & ratio utriusque una est. doctores quoque & interpretes vocum Græcarum ἀνδρα μοι ἔνεπε μῦσα, καὶ, ἔσπετε νῦν μοι μῦσαι; dictum putant quod Latine insecē dicitur. namque in altero, n, geminum, in altero, p, esse tralatum dicunt. sed etiam ipsum illud ἔπει, quod significat verba aut versus, non aliunde esse dictum tradunt, quam ἀπὸ τῆς ἑπεῖς καὶ εἰπεῖν. eadem ergo ratione antiqui nostri narrationes sermonesque infectiones appellauerunt.

## CAPVT X.

Errare istos, qui in exploranda feбри pulsus venarum pertentari putant, non arteriarum.

**I**N Heredis c. v. villam, qua est in agro Attico, loco qui appellatur Cephisia, aquis & lucis & nemoribus frequentem aestu anni medio concesseram. ibi alio mihi cita & accedente feбри rapida decubueram. Eo Caluissius Taurus philosophus & alij quidam sectatores eius, cum Athenis visendi mei gratia venissent: medicus, qui tum in his locis repertus assidebat mihi, narrare Tauro cœperat quid incommodi paterer; & quibus modulis quibusque interuallis accederet febris decederetque. tum in eo sermone, cum iam me sinceriore corpusculo factū diceret, Potēs, inquit, Tauro, τὴν quoque id ipsum comprehendere εἰς αὐτὴν αὐτῶν τῆς φλεβός; quod nostris verbis profectò ita dicitur, si attigeris venam illius. Hanc loquendi imperitiam, quod venam pro arteria dixisset, cum in eo docti homines, qui cum Tauro erant, tamquam in minime utili medico offensus, atque id murmure & vultu ostenderent: tum ibi Taurus, ut mos eius fuit, satis leniter Certi, inquit, sumus vir bone, non ignorare te quid vena appelletur, & quid arteria; quod venæ quidem suapte vi immobiles sint, & sanguinis tantum demittendi gratia explorentur; arteria autem motu atque pulsu suo habitum & modum februm demonstrant: sed, ut video, peruolgatè magis quam inscitè locutus es. non enim te solum sed alios quoque itidem errantis audiui venam pro arteria dicere. fac igitur ut experiamur elegantiorē esse te in medendo, quam in dicendo; & cum dijs bene volentibus opera tua sistas hunc nobis sanum atque validum quam citissime. Hoc ego postea cum in me-

dico reprehensum esse meminissim; existimaui non medico solum sed omnibus quoque hominibus liberis liberaliterque institutis turpe esse, ne ea quidem cognouisse ad notitiam corporis nostri pertinentia, quæ non altius occultiusque remota sunt; & quæ natura nobis tuenda valetudinis causa & in promptu esse & in propatulo voluerit: ac propterea, quantum temporis habui subsicini, medicina quoque liberos attigi, quos arbitrabar esse idoneos ad docendum; & ex his, cum alia pleraque ab isto humanitatis usu non aliena, tum de venis quoque & arterijs didicisse videor ad hunc fermè modum. vena est conceptaculum sanguinis, quod ἀγγείον medici vocant, mixti confusique cum spiritu naturali; in quo plus sanguinis est, minus spiritus. arteria est conceptaculum spiritus naturalis mixti confusique cum sanguine; in quo plus spiritus est, minus sanguinis. σφυγμός autem est intentio motus & remissio in corde & in arteria naturalis non arbitraria. à medicis autem veteribus oratione Græca ita definitus est; σφυγμός ἐστιν διαστολή καὶ συστολή ἀδία βέτος ἀρτηρίας καὶ νεφύλας.

## CAPVT XI.

Verba ex carminibus Furii Antiatis inscitè à Casellio Vindice reprehensa, versusque ipsi, in quibus ea verba sunt subscripti.

**N**on hercle idem sentio cum Casellio Vindice grammatico, ut mea opinio est, haud quaquam inrudito. verum hoc tamen petulanter inscitèque; quod Furium veterem poetam dedecorasse linguam Latinam scripsit huiusmodi vocum fictionibus, quæ mihi quidem neque abhorre à poetica facultate visæ sunt, neque dictu profatæque ipso tætra aut insuauis esse; sicuti sunt quæ-

*Sturnalibus Athenis alea quadam festiua & honesta lusitabamus huiuscemodi. ubi conueneramus complurisculi eiusdem studij homines; ad lauandi tempus captiones, quæ sophismata appellantur, mente agitabamus; easque quasi talos aut tesserulas in medium vice sua quisque iaciebamus. captiois soluta aut parum intellectæ premium pœnave erat nummus sestertius unus. hoc are collecto, quasi manuario, cœnula curabatur omnibus, qui eum lusum lusseramus. erant autem captiones ad hoc ferè exemplum; tametsi Latina oratione non satis scitè ac panè etiam illepidè exponuntur. quod nix est, hoc grando non est. nix autem alba est. grando igitur alba non est. item aliud non dissimile. quod homo est, hoc non est equus. homo autem animal est. equus igitur animal non est. dicere ergo debebat, qui ad sophisma diluendum ac refellendum ritu aleatorio vocatus erat, in qua parte quoque in verbo captio foret; quid dari concedique non porteret. nisi dixerat; nummo singulo multabatur. ea multa cœnam iuuabat. libet autem dicere, quam facetè Diogenes sophisma id genus, quod supra dixi, à quodam dialectico ex Platonis diatriba per contumeliam propositum remuneratus sit. nam cum ita rogasset dialecticus: quod ego sum, id tu non es, & Diogenes annuisset: atque ille addidisset; homo autem ego sum: tum id quoque assensus esset, & contra dialecticus ita conclusisset; homo igitur tu non es: hoc quidem, inquit Diogenes, falsum est. & si verum id fieri vis, à me incipe.*

--- Exi tu Daue,  
 Age, sparge; mundum esse hoc vestibulum  
 volo.

Venus ventura est nostra. non hoc pulueret.  
*in Asinaria quoque contemples dicit, pro contem-*  
*pleris.*

Mecum caput contemples, si quidem è re cõ-  
 sultas tua.

*Cn. Vellius in annalibus.* Postquam tempestas seda-  
 uit; Atherbal tauum immolauit. *M. Cato in Origini-*  
*nibus,* Eodem conuenæ complures ex agro acces-  
 sitauere. eo res eorum auxit. *Varro in libris, quos ad*  
*Marcellum de lingua Latina fecit.* In priore verbo  
 graues profodia, quæ fuerunt, manent. reliquæ  
 mutant. mutant, *inquit elegantissimè pro,* mutantur.  
*potest etiam id quoque ab eodem Varrone in VII. Diui-*  
*narum similiter dictum videri.* Inter duas filias re-  
 gum quid mutet, inter Antigonam & Tulliam  
 est animum aduertere. *Verba autem patiendi pro a-*  
*gentibus, in omnibus fermè veterum scriptis, reperiuntur:*  
*ex quibus sunt pauca ista, quæ nunc meminimus.* Mu-  
 neror te, *pro,* munero, & significor, *pro,* significo,  
 & sacrificor, *pro,* sacrifico, & assentior, *pro,*  
 assentio, & fenerator, *pro,* fencero, & pignercor, *pro,*  
 pignero. & alia istiusmodi pleraque, *proinde ut in leo-*  
*gendo fuerint obuia, notabuntur.*

CAPVT XIII.

Quali talione Diogenes philosophus vsus sit  
 pertétatus a dialectico quodam sophismatio  
 impudenti.

rum, scripsit obseruasse se in versu hexametro ; quod omni-modo quintus semper verbum finiret ; & quod priores quinque semipedes aequae magnam vim haberent in efficiendo versu, atque alij posteriores septem : idque ipsum ratione quadam geometrica fieri differit.

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
VNDEVICESIMVS.

CAPVT I.

Responsio cuiusdam philosophi interrogati  
quam ob causam maris tempestate pailu-  
erat.

**N**AVIGABAMVS, Casiopeia ad Brun-  
disium. mare Ionium violentum & vastum  
& iactabundum. nox deindeque diem pri-  
mum secuta est : in ea ferè tota ventus à la-  
tere sauiens nauem undis compleuerat. tum postea com-  
plorantibus nostris omnibus atque in sentina satis agenti-  
bus dies quidem tandem illuxit : sed nihil de periculo  
neque de sauitia amissum. quin turbines etiam crebri-  
ores, & caelum atrum, & fumigantes globi, & figu-  
ra quadam nubium metuenda, quas τὸν ὄντων vocabant,  
impendere imminereque ac depresso nauem videban-  
tur. in eadem fuit philosophus in disciplina stoica cele-  
bratus, quem ego Athenis cognoueram non parua virum

## CAPVT XIII.

Quid sit numerus hemiolios, quid epitritos: & quod vocabula ista nō facile nostri auli sunt vertere in linguam Latinam.

**F**igura quaedā numerorum, quas Græci certis nominibus appellant, vocabula in lingua Latina non habent. sed qui de numeris Latinè scripserunt, Græca ipsa dixerunt. fingere autem nostra, quoniam id absurdè futurum erat, noluerunt quale eum fieri nomen posset hemiolio numero aut epitrito? est autem hemiolios, qui numerum aliquem in sese habet, dimidiumque eius: ut tres ad duo, quindecim ad decem, triginta ad viginti. epitritos est, qui habet totum aliquem numerum & eiusdem partem tertiam: ut quatuor ad tres, duodecim ad nouem, quadraginta ad triginta. hæc autem notare meminisseque non esse abs re visum est: quoniam, vocabula ista numerorum nisi intelliguntur, rationes quedam subtilissimæ in libris philosophorum scriptæ percipi non queunt.

## CAPVT XV.

Quod M. Varro in herois versibus obseruaerit rem nimis anxie & curiosæ obseruationis.

**I**n longis versibus, qui hexametri vocantur, item in senarijs, animaduenterunt metrici duos primos pedes item extremos duo habere posse singulos integras partes orationis; medios haud umquam posse: sed constare eos semper ex verbis aut diuisis aut mixtis atque confusis. Marcus etiam Varro, in libris disciplina-



senferint. vel potius, inquit lege: & facilius credideris si legas, & memineris magis. atque ibi coram ex sarcinula sua librum protulit Epicteti philosophi quintum διαλέξεων; quas ab Arriano digestas congruere scriptis Ζήνωνος & Chrysippi non dubium est. in eo libro Græca scilicet oratione scriptum ad hanc sententiam legitur. Visa animi, quas παντασίας philosophi appellant, quibus mens hominis prima statim specie accidentis animum rei pellitur, non voluntatis sunt neque arbitraria; sed vi quadam sua inferunt sese hominibus. noscenda probationes autem, quas συγκαταθέσεις vocant, quibus eadem visa noscuntur ac diiudicantur; voluntaria sunt fiuntque hominum arbitratu. propterea cum sonus aliquis formidabilis aut calor aut ex ruina aut repentinus nescius periculi nuntius vel quid aliud eiusmodi factum; sapientis quoque animum paulisper moueri, & contrahi, & pallefcere neoesum est, non opinione alicuius mali præcepta; sed quibusdam motibus rapidis & inconsultis officium mentis atque rationis præuertentibus. mox tamen ille sapiens ibidem τὰς τοιαύτας παντασίας, visa isthac animi sui terrificata non approbat; hoc est, οὐ συγκατατίθεται, οὐδὲ ἀποσπᾶ δ' ὀξείας, sed abijcit respuitque: nec ei metuendum esse in his quicquam videtur. Atque hoc inter insipientis sapientisque animum differre dicunt, quod insipiens, qualia sibi esse primo animi sui pulsiva visa sunt seua & aspera, talia esse vero putat; & eadem incepta, quæ quasi iure metuenda sint, sua quoque assensione approbat, καὶ ἀποσπᾶ δ' ὀξείας. hoc enim verbo Stoici, cum super ista re disserunt, vtuntur. sapiens autem, cum breuiter & strictim colore atque vultu motus est, οὐ συγκατατίθεται; sed

auctoritate, satisque attentè discipulos iuvenes continen-  
 tem. Eum tunc in taniis periculis inque illo tumultu  
 cæli marisque requirebam oculis; scire cupiens quonam  
 statu animi & an interritus intrepidusque esset. atque  
 ibi hominem conspiciamus impavidum & extrilidū plo-  
 raturus quidem nullos, sicuti ceteri omnes, nec ullas eius-  
 modi voces cientes, sed coloris & vultus turbatione  
 non multum à ceteris differentem. At ubi calum eni-  
 tuit, & deseruit mare, & ardor ille periculi defla-  
 grauit: accedit ad stoicum Græcus quissiam diues ex  
 Asia, magno, ut videbamus, cultu paratuque rerum  
 & familiæ; atque ipse erat multis corporis animique  
 delicijs diffuens. Is quasi illudens, Quid hoc est, in-  
 quit, ô philosophe, quod, cum in periculis essemus, timui-  
 sti tu & palluisti? ego neque timui neque pallui. &  
 philosophus aliquantum cunctatus an respondere ei con-  
 ueniret, Si quid ego, inquit, in tanta violentia tempe-  
 statum videar paulum pauesactus; non tu istius resra-  
 tione audienda dignus es. sed tibi sane Aristippus ille  
 pro me responderit: qui, in simili tempore à simillimo  
 tui homine interrogatus quare philosophus timeret, cum  
 ille contra nihil metueret; non eandem esse causam si-  
 bi atque illi respondit. quoniam is quidem esset non ma-  
 gno opere sollicitus pro anima nequissimi nebulonis; ip-  
 sum autem pro Aristippi anima timere. his tunc verbis  
 stoicus diuitem illum Asiaticum à sese amolitus est. sed  
 postea cum Brundisium aduentarem, mollitique ef-  
 sent venti maris: percunctatus eum sum, quanam illa  
 ratio esset pavoris sui, quam dicere ei supersedisset, à quo  
 fuerat non satis dignè compellatus. atque ille mihi pla-  
 cide & comiter, Quoniam, inquit, audiendi cupidus  
 es, audi quid super isto breui quidem sed necessario &  
 naturali pauore maiores nostri conditores sectæ stoica

sibus præuinētus. cetera ex tribus alijs sensibus proficiscētes hominum esse tantum propria videntur. Verba super hac re Aristotelis philosophi adscripsi; ut vel auctoritas clari atque incluti viri tam infamibus nos voluptatibus deterreret.

Διὰ τί οἱ κατὰ τὴν τῆ ἀφῆς ἢ γούσεως ἢ διονίω γυγομένω ἀνὺπερβάλλωσιν, ἀκρατεῖς λέγονται. οἱ τε γὰρ πᾶσι τὰ ἀφροδίσα, ἀκόλαστοι, οἱ τε πᾶσι τὰς τῆς τροφῆς ἀπολαύσεις. τῶν δὲ κατὰ τὴν τροφῆν, ἀπ' ἐνίων μὲν ἐν τῇ γλώτῃ τὸ ἡδύ· ἀπ' ἐνίων δὲ, ἐν τῷ λάρυγγι. διὸ καὶ φιλόξενος μετὰ τῷ λάρυγγι εὐχετο ἔχειν. οἱ δὲ κατὰ τὴν ὄψιν καὶ τὴν ἀκοῶν, οὐκέτι. ἢ διὰ τὸ τὰς ἀπὸ τούτων γινομένης ἡδονὰς, κοινὰς εἶναι ἡμῖν καὶ πῶς ἄλλοις ζώοις; ἄτε οὐδ' οὔσαι καὶ ναὶ, ἀπιμόταται εἰσὶ· διὸ καὶ μάλιστ' ἢ μόναι ἐπὸνείδισοι. ὥστε τὸν ὑπὸ τούτων ἠπώμενον ἄεζομεν, καὶ ἀκρατῆ καὶ ἀκόλαστον λέζομεν, διὰ τὸ ὑπὸ τῶν χειρίσων ἡδονῶν ἠπῶσθαι. οὐσῶν ὅτ' αἰσθήσεων πέντε, τὰ ἄλλα ζῶα ἀπὸ δύο μόνων τῶν ποσειρημένων ἠδέται, κατὰ δὲ τὰς ἄλλας ἢ ὅλως οὐχ ἠδέται, ἢ καὶ συμβεβηκὸς τῷ πάχει. *Uc. Quis igitur habēs aliquid humani pudoris, voluptatibus istis duabus coëmundi atque comedendi, quæ sunt homini cum sue atque a sino communes, gaudeat? Socrates quidem dicebat multos homines propterea velle viuere ut ederent & biberent; se bibere atque esse ut viueret. Hippocrates autem, diuina vir scientia, de coitu Venereo ita existimabat, partē esse quamdam morbi terribissimi, quem nostri comitalem dixerunt. namque ipsius verba hæc traduntur, τὴν συνουσίαν εἶναι μυχρὰν ἐπιληψίαν.*

## CAPVT III.

Quod turpius est frigide laudari; quam acerbius vituperari.

statum vigoremque sententia sua retinet, quam de huiusmodi visis semper habuit ut de minimè metuendis, sed fronte falsa & formidine inani territantibus. Hæc Epictetum philosophum ex decretis Stoicorum sensisse atque dixisse in eo quo dixi libro legimus: annotandâque esse idcirco existimauimus, ut rebus fortè id genus, quibus dixi, obortis; pauescere sensim & quasi albescere, non insipientis esse hominis neque ignaui putemus; & in eo tamen breui motu naturali magis infirmitati cedamus, quàm, quod esse ea qualia visa sunt, censeamus.

## CAPUT II.

Ex quinque corporis sensibus duos esse cum belluis maxime communes.

Quinque sunt hominû sensus, quos Græci αἰσθήσεις appellant, per quos voluptas animo aut corpori quaeri videtur; gustus, tactus, odoratus, visus, auditus. ex his omnibus quæ immodice voluptas capitur, ea turpis atque improba existimatur. sed enim quæ nimia ex gustu atque tactu est, ea voluptas, sicuti sapientes viri censuerunt, omnium rerum fœdissima est; eosque maxime, qui duabus istis belluinis voluptatibus sese dediderunt, grauissimi vitij vocabulis Græci appellant, vel ἀκολάσους, vel ἀνεγκτεῖς. nos eos vel incontinentes dicimus vel intemperantes. ἀκολάσους enim, si interpretari coactius velis, nimis id verbum insolens erit. istæ autem voluptates duæ. gustus atque tactus, id est. libidines in cibos atque in venerem prodigæ, solæ sunt hominibus communes cum bestijs: & idcirco in pecudum ferorumque animalium numero habetur, quisquis est is ferinis volupta-

**I**N Tiburte rus concesseramus hominis amici diuitis, æstate anni flagrantissima, ego & quidam alij æquales & familiares mei, eloquentiæ aut philosophiæ sectatores. erat nobiscum vir bonus ex peripatetica disciplina, bene doctus, & Aristotelis unice studiosissimus. is nos aquam multam ex diluta niue bibentis coercebat seueriusque increpabat. adhibebat nobis auctoritates nobilium medicorum & cum primis Aristotelis philosophi rei omnis humanæ peritissimi: qui aquam niualem frugibus sane & arboribus fecundam diceret, sed hominibus potu nimio insalubrem esse; tabemque & morbos sensim atque in diem longam visceribus infeminare. hæc quidem ille ad nos prudenter & beniuole & assiduè dictitabat. Sed cum bibenda niuis pausa fieret nulla: promit è bibliotheca Tiburti, quæ tunc in Herculis templo satis commode instructa libris erat, Aristotelis librum; eumque ad nos adfert. & huius saltem, inquit; viri sapientissimi verbis credite; ac desinite valetudinem vestram profligare. in eo libro scriptum fuit deterrimam esse potu aquam è niue; itemque solidius latiusque concretam esse eam, quam  $\kappa\rho\upsilon\varsigma\alpha\lambda\lambda\omicron\nu$  Græci appellant: causaque ibi adscripta est huiusmodi. quoniam, cum aqua frigore aëris duratur & coit, necesse est fieri vaporatorem, et quamdam quasi auram tenuissimam exprimi ex ea & emanare. id autem, inquit, in ea leuissimum est, quod euaporatur. manet autem, quod est grauius & sordidius & insalubrius: atque id pulsu aëris verberatum in modum coloremque spumæ candidæ oritur. sed aliquantum, quod est salubrius, diffuari atque euaporari ex niue, iudicium illud est, quod minor fit illa, quæ ante fuerat, quam concreset. verba ipsa Aristotelis ex eo libro pauca sumsi & adscripsi.

$\Delta\iota\alpha\ \tau\grave{\alpha}\ \pi\acute{\alpha}\rho\omicron\ \chi\iota\omicron\nu\omicron\varsigma\ \kappa\grave{\iota}\ \kappa\rho\upsilon\varsigma\alpha\lambda\lambda\omicron\nu\ \upsilon\delta\alpha\tau\alpha\ \rho\alpha\upsilon\lambda\lambda\acute{\alpha}\ \acute{\epsilon}\sigma\iota\nu\ ;\ \omicron\pi\iota$

**T**urpius esse dicebat Favorinus philosophus exigue atque friuolè laudari, quam insectanter & grauius vituperari. Quoniam, inquit, qui maledicit & vituperat, quanto id acerbius facit, tam maxime ille pro iniquo & inimico ducitur, et plerumque propterea fidem non capit. sed qui infecunde atque ieiune laudat; destitui à causa videtur: & amicus quidem creditur ei quem laudare vult, sed nihil posse reperire quod iure laudet.

## CAPVT IIII.

Quamobrem venter repentino timore effluat; quare etiam ignis vrinam laceffat.

**A**ristotelis libri sunt, qui problemata physica inscribuntur, lepidissimi & elegantiarum omne genus referti. in his querit, quam ob causam eueniat, ut quibus inuasit repentinus rei magnæ timor, plerumque aluo statim cita fiant. item querit, cur accidat, ut eum, qui propter ignem diutius stetit, libido vrinae laceffat. ac de aluo quidem inter timendum pro na atque præcipiti causam esse dicit, quod timor omnis sit algificus, quem ille appellat *ψυχροπικνω*; qui vi frigoris sanguinem calidoremque omnem de summa corporis cute cogat penitus & depellat: faciatque simul uti, qui timent, sanguine ex ore decedente pallefcant. Is autem, inquit, sanguis & caldor in vltima coactus mouet plerumque aluum & incitat. De vrina celebra ex igni proximo facta, verba hæc posuit. τὸ δὲ πῦρ διαχολᾷ τὸ πεπιρὸς ὡππερ ὁ ἥλιος τὴν χίονα.

## CAPVT V.

Ex Aristotelis libris sumtum, quod niuis aqua potui pessima sit, & quod ex niue crystallus concreatur.

**I**N agro Vaticano Iulius Paulus, poëta, vir bonus & rerum litterarumque veterum impensè doctus, hereditolum tenue possidebat. eò saepe nos ad sese vocabat; & olusculis pomisque satis comiter copiosèque inuitabat. atque ita molli quodam tempestatis autumnæ die ego & Iulius Celsinus, cum ad eum cœnassemus & apud mensam eius audissemus legi Leuij Alcestin, rediremusque in urbem, sole iam ferè occiduo: figuras habitusque verborum nouè aut insigniter dictorum in Leuiano illo carmine ruminabamur; & ut quæque vox indidem digna animaduerti subuenerat, qua nos quoque possemus uti, memorie mandabamus. erant autem verba, quæ tunc suppetebant, huiuscemodi;

Corpore, inquit, pectoreque vndique obeso,  
ac mente exfensa, tardigenulo senio oppressum.

obesum hic notauimus propriè magis, quam vsitatè dictum, pro exili atque gracilenso. vulgus enim ἀχύρωσ vel ἄντιρροσιν obelum pro pingui atque vberi dicit. item notauimus, quod oblitteram gentem, pro, oblitterata dixit. item quod hostes qui fœdera frangerent, fœdifragos, non, fœderifragos, dixit. item quod rubentem auroram, pudoricolorem appellauit, & Memnonem nocticolorem. item quod fortè, dubitanter & ab eo quod est fileo, filenta loca dixit, & puluerulenta, & pestilenta, &, carendum tui est, pro, te; quodque magno impete, pro, impetu, itè quod, forte scere, posuit, pro fortè fieri; quodque dolèuā pro dolore et auens pro libens, itè curis intolerantibus, pro, intolerandis quodque manciolis, inquit, tenellis, pro, manibus, & quis tam siliceo? item, fuere, inquit, impendio in fit, id est, impensè fieri incipit; quodque accipitret, posuit pro, iaceret. His nos inter

viam verborum Leuianorum annotatiunculis oblectabamus. cetera enim, quæ videbantur nimium poetica & prosæ orationis vsu alieniora, prætermisimus: veluti fuit, quod de Nestore ait trifæclisenex, & dulcioreloquus, item quod de tumidis magnisque fluctibus inquit, multigrumis, & flumina gelu concreta tegmine esse onychino dixit; & quæ multiplicia ludens composuit: quale illud est quod vituperones suos subducti supercilii carptores appellauit.

## CAPUT VIII.

Quæstio an harena, celum, triticum pluralia inueniantur: atque inibi de quadrigis, inimicitis, nonnullis præterea vocabulis; an singulari numero compeiantur.

**A**dolescentulus Roma, prius quam Athenas concederem, quando erat à magistris auditionibusque obeundis otium, ad Frontonem Cornelium visendi gratia pergebam; sermonibusque eius purissimis bonarumque doctrinarum plenis fruebar. nec umquam factum est, quotiens eum vidimus loquentemque audiuimus, quin rediremus ferè cultiores doctioresque. veluti fuit illa quadam die sermocinatio illius, leui quidem de re sed à Latina tamen linguæ studio non abhorrens. nam cum quispiam familiaris eius benè eruditus homo, & tum poeta illustris, liberatum esse se aquæ intercutis morbo diceret, quod harenis calentibus esset vsus: tum illudens Fronto, Morbo quidem, inquit, cares; sed verbi vitio non cares. Caius enim Casar ille perpetuus dictator Cn. Pompeij socius, à quo familia & appellatio Casarum deinceps propagata est, vir ingenij præcellentis, sermonis præter alios



*sua aetatis castissimi, in libris, quos ad M. Ciceronem de analogia conscripsit, harenas vitiose dici existimat; quod harena numquam multitudinis numero appellanda sit, sicuti neque cælum neque triticum: contra autem quadrigas, etiam si currus unus equorum quatuor iunctorum agmen unum sit, plurativo semper numero descendas putat; sicut arma & mœnia & comitia & inimicitias; ni quid contra ea dicis pœtarum pulcherrime, quò & te purges & non esse id vitium demonstras? De cælo, inquit ille, & tritico nō inficias eo, quin singulo semper numero dicenda sint, neque de armis & mœnibus & comitiis quin figura multitudinis perpetua censeantur: videbimus autem post de inimiciis & quadrigis. ac fortassean de quadrigis veterum auctoritati concessero. inimicitiam tamen, sicut inscientiam & impotentiam & iniuriam, quæ ratio est quamobrem C. Caesar vel dictam esse à veteribus vel dicendam à nobis non putat? quando Plautus lingua Latina decus deliciam quoque ē vixōs dixerit, pro deliciis?*

*Mea, inquit, voluptas, mea delicia.*

*inimicitiam autem Q. Ennius in illo memoratissimo libro dixit.*

*Eo, inquit, ingenio natus sum: amicitiam*

*Atque inimicitiam in fronte promptam gero.*

*sed enim harenas parum Latine dici, quis, oro te, alius aut scripsit aut dixit? ac propterea peto, ut si C. Caesaris liber præ manibus est, promi iubeas: ut, quam confidenter hoc dicat, aestimari à te possit. tunc, prolato libro de analogia primo, verba hæc ex eo pauca memoria mandavi. nam cum prædixisset neque cælum triticumve neque harenam multitudinis significationem pati; Num tu, inquit, harum rerum natura accidere arbitra-*

ris, quod vnam terram & plures terras & urbem & vrbes & imperium & imperia dicamus; neque quadrigas in vnam nominis figuram redigere neque harenam in multitudinis appellatione conuertere possimus? his deinde verbis lectis sibi Fronto ad illum poëtam, Videtur ne tibi, inquit, C. Casar de statu verbi contra te satisque apertè satisque constanter pronuntiasse? Tum permotus auctoritate libri poëta, Si à Casare, inquit, ius provocandi foret: ego nunc ab hoc Casaris libro provocassem. sed quoniam ipse rationem sententiae suae reddere supersedit; nos te nunc rogamus, ut dicas quam esse causam vitii putes, & in quadriga dicenda & in harenis. Tum Fronto ita respondit. Quadrigæ semper, et si multiugæ non sunt, multitudinis tamen numero tenentur: quoniam quatuor simul equi iuncti quadrigæ quasi quadriugæ vocantur. neque debet prorsus appellatio equorum plurium includi in singularis numeri unitatem; eandemque ibi rationem habendam, sed in specie dispari. nam cum harena singulari numero dicta multitudinem tamē & copiam significet minimarum, ex quibus constat, parvium; indoctè & inscitè harenæ dici videntur; tamquam id vocabulum indigeat numeri amplitudine, cum ei singulariter dici ingenta sit naturalis sui multitudo. sed hæc ego, inquit, dixi, non ut huius sententiae legisque fundus subscriptorque fierem; sed ut ne Casaris viri docti opinionem à se quòd in tot destituerem. nam cum cælum semper *ἐν ἑξῆς* dicatur, mare & terra non semper, & pulvis, ventus, & fumus, non semper: cur inducias & ceremonias scriptores veteres non numquam singulari numero appellauerunt; ferias & nundinas & inferias & exsequias numquam? cur mel & vinum atque id genus cetera, numerum multitudinis capiunt; lac non capiat? quare,

inquam, ista omnia & enucleari & excuti ab hominibus negotiosis in ciuitate tam occupata non queunt. Quin his quoque ipsis, quæ iam dixi, demoratus vos esse video, alium, opinor, negotio destinatos. ite ergo nunc; & quando forte erit otium, querite an quadrigam & harenas dixerit è cohorte illa dumtaxat antiquiore vel oratorum aliquis vel poetarum, id est, classicus assiduusque aliquis scriptor, non proletarius. Hæc quidem Fronto requirere nos iussit vocabula: non ea re, opinor, quod scripta esse in nullis veterum libris existimaret; sed ut nobis studium lectitandi in querendis rarioribus verbis exerceret. Quod unum ergo rarissimum videbatur, inuenimus quadrigam numero singulari dictam in libro satyrarum M. Varronis, qui inscriptus est, Ex demetricus. harenas autem *πλῆθω πικρῶς* dictas minore studio querimus; quia præter C. Casarem, quod equidem meminerim, nemo id doctorum hominum dedit.

## CAPVT IX.

Antonij Iuliani in conuiuio ad quosdam Græcos lepidissima responsio.

**A**dolescens è terra Asia, de equestri loco, læta indolis, moribusque & fortuna bene ornatus, & ad rem musicam facili ingenio ac libenti, cœnam dabat amicis ac magistris, sub urbe in rusculo, celebrandæ lucis annuæ, quam principem sui vitæ habuerat. Venerat tum nobiscum ad eandem cœnam Antonius Iulianus rhetor, docendis publicè iuuenibus magister, Hispano ore, florentisque homo facundiæ, & rerum litterarumque veterum peritus. is, ubi edulibus finis, & poculus mox sermonibus tempus fuit, desiderauit exhiberi, quos habere eum adolescentem sciebat, scitissimos utriusque sexus,

qui canerent voce & qui psallerent. ac, postea quam introduciti pueri puellaeque sunt, iucundum in modum Ανακρεόντεια pleraque, & Sapphica, & poetarum quoque recentium ἐλεγεῖα quadam erotica dulcia & venusta iecinerunt. Obiectati autem sumus, praeter multa alia, versiculis lepidissimis Anacreontis senis: quos equidem scripsi; ut interea labor hic vigiliarum & inquietudine paulisper vocum atque modulorum acquiesceret.

Τὸν ἄργυρον τρεῦσας

Ἡρασε μοι ποίησιν

Πανοπίαν μὲν οὐχί.

(Τι γὰρ μάχαισι καί μοι;)

Πετήριον δὲ κοίλιν

Ὅσον δ' αὖθι βάλανον.

Ποίει δέ μοι κατ' αὐτὸ

Μήτ' ἄπρα μήθ' ἀμάζας,

Μὴ συγνὸν Ωρίωνα.

(Τί Πλειάδεωσι καί μοι;

Τὶ δ' ἄπρασι Βοώτῳ;

Ποίησον ἀμπέλοις μοι

Καὶ βότρυας κατ' αὐτὸ

Καὶ χυσοῖς πατουῶτας

Ὅμοσ' χαλῶ Λυαίῳ

Ἐρωτὶ καὶ Βάδυλλον.

Tum Graeci plusculi, qui in eo conuiuio erant, homines amoeni & nostras quoque litteras haud incuriosè docti, Iulianum rhetorem laceffere insectarique adorti sunt tantquam prorsus barbarum & agrestem; qui ortus terra Hispania foret, clamatorque tantum & facundia rabi-  
da iurgiosaque esset; eiusque linguae exercitationes doce-  
ret, quae nullas voluptates nullamque mulcedinem Vene-  
ris atque Misae haberet: saepeque cum percunctabantur,  
quid de Anacreonte ceterisque id genus poetis setiret, &

ecquis

ecquis nostrorum poetarum tam fluentes carminum delicias fecisset, nisi Catullus, inquit, forte pauca & Calvus et idem pauca. nam Luuius implicata & Hortensius inuenusta, & Cinna ill-pida, & Meronius d'ira. ac deinceps omnes rudia fecerunt atque absona. Tum illi pro lingua patria, tamquam pro aris & focus, an mo irrita o indignabundus, Cedere equidem, inquit, vobis debui vt in tali isotia atque nequitia artium vinceretis, & sicut in voluptatibus cultus atque victus, ita in cantilenarum quoque multis antecretis. sed ne nos, id est, nomen Latinum, tamquam, profecto vastos quosdam & insubidos alexopoditus condemnatis; permittite mihi, quaeso, operire pallio caput, quod in quadam parum pudica oratione Socratem fecisse aiunt; & audite ac discite nostros quoque ant. quiores ante eos, quos nominastis, poetas amasios ac Venerios fuisse. tum resupinus, capite conuelato, voce admodum quam serui versus cecinit Valerij Aeditui veteris poetae, item Porcij Liciij, & Quinti Catulli; quibus mundus, venustus, limatus, pressus, Graecam Latiumve nihil quicquam reperiri p'ro. versus Aeditui:

Dicere cum conor curam tibi Pamphila cordis:

Quid mihi abs te quaeram? verba labris abeunt.

Pet' pectus miserum manat sub do mihi sudor.

Sic tremitus, subditus; duplo ideo, et co.

aque item alios versus eiusdem addidit, non hoc de minus dulces quam priores:

Quid est illud praefers Pl'iletos, qua nil opus nobi?

Ibimus. hoc licet pectore flamma facis.

Iam non potis est vis tuae. stinguere ventis,

Aut imbet caelo candidum precipitum.

At contra hunc ignem Veneris, nisi si Venus  
ipsa,

Nulla sit quæ possit vis alia opprimere.

*item dixit versus Porcij Licinii hosce;*

Custodes ouium teneræque propaginis agnûm

Quæritis ignem? ite huc. quæritis? ignis homo-  
-st.

Si digito attigero : incendam siluam simul  
omnem;

Omne pecus: flamma-st, omnia qua video.

*Q Catulli versus illi fuerunt;*

Aufugit mihi animus. credo, vt solet, ad The-  
otimum

Deuenit. sic est. perfugium illud habet.

Quid si non interdum, ne illanc fugituum

Mitteret ad se intrò, sed magis eliceret?

Ibimus quæ tum. verum ne ipsi teneamur

Formido. quid ago? da Venus consilium.

C A P V T X.

Verba hæc, præter propter, in vsu vulgari prodita etiã  
E. nu. fu. ssc.

**M**Emini me quondam & Celsinum Iulianum Numidam ad Frontonem Cornelium, pedes tunc grauter ægrum, ire & visere, atque ibi, qui introducti sumus, offendimus eum cubantem in scimpodio Graciensi, circum undique sedentibus multis doctrina aut genere aut fortuna nobilibus viris assistebant fabri adium complures balneis nouis molendis adhibiti: ostendebantque depictas in membranulis varias species balnearum. ex quibus cum elegisset vnã formã speciemque operis; interrogauit quantus esset pecuniæ conspectus, ad id to-

tum opus absoluendum. cumque architectus dixisset necessaria videri esse sestertia ferme trecenta : unus ex amicis Frontonis & præter propter, inquit, alia quinquaginta. tum Fronto dilatis sermonibus, quos habere de balnearum sumtu institerat, adspiciens ad eum amicum, qui dixerat quinquaginta esse alia opus præter propter; quid hoc verbi esset, præter propter, interrogauit. atque ille amicus, Non meum, inquit, hoc verbum est; sed multorum hominum quos loquentis id audias. quid autem id verbum significet, non ex me sed ex grammatico quaerendum est. ac simul digito demonstrat grammaticum, haud in celebri nomine Romæ docentem, sedentem. tum grammaticus vsitati peruulgatique verbi obscuritate motus, Quærimus, inquit, quod honore questionis minime dignum est. nam nescio quid hoc præximis plebecium est, & in opificum sermonibus, quam in hominum doctorum, notius. At enim Fronto, iam voce atque vultu intentiore, Itane, inquit, magister dehonestum tibi deculpatumque hoc verbum videtur; quo & M. Cato & M. Varro & pleraque ætas superior ut necessario & Latino vsi sunt? atque ibi Iulius Celsinus admonuit in tragædia quoque Ennii, quæ Iphigenia inscripta est, id ipsum de quo quærebatur scriptum esse, & à grammaticis contaxinari magis solitum; quã enarrari. quocirca statim proferri Iphigeniam Q. Ennii iubet. in eius tragædia choro inscriptos esse hos versus legimus;

Otio qui nescit vti, plus negotij habet

Quam cum est negotium in negotio.

Nam cui quod agat intentum est; nullo negotio

Id agit. studet ibi. mentem atque animum delectat suum.

O. iose in otio animus nescit quid velit.

Hoc idem est: neque domi nunc nos nec militiæ sumus.

Imus huc; hinc illuc; tum illuc ventum est, ire illinc lubet,

Incertè erit animus. præter propter vitam viuitur.

*Hoc ubi lectum est: tum deinde Fronto ad grammaticum iam labentem, Audistine, inquit, magister optime, Ennium tuum dixisti, præter propter, & cum sententia quidem tali, quali seuerissimæ philosophorum esse obiurationes solent: petimus igitur dicas, quoniam de Enniano iam verbo quæritur, qui sit notus huiusce versus sensus:*

Incertè erit animus. præter propter vitam viu tur.

*Et grammaticus sudans multum ac rubens multum, cum id plerique prolixius riderent, exsurgit: & abiens, Tibi, inquit, Fronto postea & ni dicam, ne inscitiores audiant ac discant. atque ita omnes relicta ibi questione verbi consur eximus.*

## CAPVT XI.

Poëti versus Platonis amatorios, quos admodum iuuenis ludit, dum tragædiis contendit.

**C**elebrantur duo isti. Græci versiculi, multorumque doctorum hominum memoria dignantur, quod sint lapidissimi & venustissime breuitatis. neque adeo pauci sunt veteres scriptores, qui eos Platonis esse philosophi affirmant; quibus ille adolescens luserit: cum trigædiis quoque eodem tempore faciendis præluderet.

Τὴν ἰσοχίαν, Ἀγάθωνος οὐδ' ἔχει εἶναι ἔχον.

ἢ λθε γὰρ ἡ τραγωγιῶν εἰς διαβησιμένην.



*Hoc distichon amicus meus οὐκ ἀμείωνος adolescens in pluris versiculos licentius liberiusque vertit. qui quoniam mihi quidem visi sunt nō esse memoratu indigni; subdidi.*

Dum semihulco fauio  
 Meum puellum fauio;  
 Dulcemque florem spuitus  
 Duco ex aperto tramite:  
 Animula ægra & faucia  
 Cucurrit ad labias mihi,  
 Rictumque in oris peruium,  
 Et labra pueri mollia,  
 Rimata itineii transitus,  
 Vt transiliret n̄ titur.  
 Tum si moræ quid plusculæ  
 Fuiisset in cœtu osculi;  
 Amoris igni percita  
 Transillet, & me linqueret:  
 Et mira proisum res foret,  
 Vt ad me fierem mortuus;  
 Ad puerum at intus viuerem.

## CAPVT XII.

Differtatio Herodis Attici supervi & natura doloris, suæque opinionis affirmatio per exemplum indocti rustici, qui cum rubis fructiferas arbores præcidit.

**H**erodem Atticum cōsularem virum Athenis disserentem audiui Græca oratione: in qua ferè omnis memoria nostra uniuersos gravitate atque copia & elegãtia vocum longè præstitit. disseruit autem contra ἀπείθειαν stoicorum, lacepsit us à quodam stoico, tamquam minus sapienter & parum viriliter dolorem ferret ex morte

pueri, quem amauerat. In ea dissertatione, quātulum memini, huiuscemodi sensus est: quod nullus vsquam homo, qui secundum naturam sentiret & saperet, affectionibus istis animi, quas πένθη appellabat, aegritudinis, cupiditatis, timoris, iræ, voluptatis, carere & vacare totus posset; atque, si posset etiam obniti ut totis careret, non ex re id melius. quoniam langueret animus & torperet affectionum quarundam adminiculis, ut necessario plurimum imperio, priuatus. dicebat enim sensus istos motusque animi, qui cum immoderatiores sunt vitia fiunt, innexos implicatosque esse vigoribus quibusdam mentium & alacritatibus. ac propterea, si omnino omnis eos imperitiis conuellamus, periculum esse ne eis adherentes bonas quoque & utiles animi indoles amittamus. moderandos esse igitur & scitè cōsideratèque purgandos censebat; ut ea tantum, quæ aliena sunt contraque naturam videntur & cū perniciæ agnata sunt, detrahantur: ne profectò id accidat, quod cuiusdam Thraco insipienti & rudi in agro quæ emerat, procurando venisse vsu fabula est. Homo Thracus, inquit, ex vltima barbaria, ruris colendi insolens, cum in terras cultioris, humanioris vitæ cupidine, cōmigrasset; fundum mercatus est, oleo atque vino constitutum: qui nihil admodum super vite aut arbore colenda sciret. videt forte vicinum rubos latè atque altè obortas excidentem, fraxinos ad summum propè verticem deputantem, suboles vitium è radicibus caudicum super terram fusas reuellentem, stolones in pomis aut in oleis proceros atque decretos amputantem; acceditque propè, & cur tantam ligni atque frondium cadem faceret percunctatus est. & vicinus ita respōdit. Vt ager, inquit, mūdus purusque fiat; eiusque arbor atque vitis fecundior. Discedit ille à vicino gratias agens, & latus tamquam adeptus rei rusticæ disciplinam. tum falcem ibi ac securim capit; atque ibi homo miser im-

peritus vites suas sibi omnes & oleas detruocat ; comasque arborum latissimas uberrimosque vitium palmites decidit ; & frutesca atque virgulta simul omnia, pomis frugibusque gignendis felicia, cum sentibus & rubis purificandi agri gratia conuellit ; mala mercede doctus audaciam, fiduciamque peccandi imitatione falsa eruditus. Sic, (inquit) isti apathia sectatores, qui videri se esse tranquillos & intrepidus & immobiles volunt ; dum nihil cupiunt, nihil dolent, nihil irascuntur, nihil gaudent ; omnibus vehementioris animi officijs amputatis, in corpore ignaua & quasi eneruata vita consenescent.

## CAPVT XIII,

Quos pumiliones dicimus Græcè *νάνους* appellari.

STabant fortè unà in vestibulo palatij fabulâtes Fronto Cornelius & Festus Postumius & Apollinaris Sulpicius atque ego ibi assistens, cum quibusdam alijs, sermones eorum, quos de litterarum disciplinis habebant, curiosus captabam. tum Fronto Apollinari, Fac me, inquit, oro magister, ut sim certus, an rectè supersederim nanos dicere parua nimis statura homines maluerimque eos pumiliones appellare: quoniam hoc scriptum esse in libris peterum memineram ; nanos autem sordidum esse verbum & barbarum credebam. Est quidem hoc inquit Apollinaris, in consuetudine imperiti vulgi frequens, sed barbarum non est, censeturque lingua Græcæ origine: *νάνους* enim Græci vocauerunt breui atque humili corpore homines paulum supra terram exstâtes. idque ita dixerunt, adhibita quadam ratione etymologia cum sententia vocabuli competente. & si memoria, inquit, mihi non labat, scriptum hoc est in comœdia Aristophanis, cui nomen est, *κλέων*. Fuisset autem verbum hoc à te ciuitate

donatum aut in Latinam in coloniam deductum, si tu eo uti dignatus fores; essetque id impendio probabilius, quam quæ à Laberio ignobilia nimis & sordida in usum linguæ Latinæ introducta sunt. tum Festus Postumius grammaticus cuiusdam Latino, Frentonis familiari, Docuit, inquit, nos Apollinaris nanos verbum Græcum esse. tu nos doce, in quo de mulis aut eculeis humilioribus vulgo dicitur, anne Latinum sit; & apud quem scriptum reperiat. atque ille grammaticus, homo sanè perquam in noscendis veteribus scriptis exercitus, si piaculum, inquit, non committitur præsentem Apollinare quid de voce vlla Græca Latine sentiam dicere; audeo tibi, Feste, querenti respondere; esse hoc verbum Latinum; scriptumque inueniri in poematis Helij Cinnae non ignobilis neque indocti poetæ. versusque eius ipsos dixit, quos, quoniam memoriæ mihi forte aderant, adscripsi.

At nunc me geniana per saliceta  
Binis rheda rapit citata nanis

#### CAPVT XIII.

Contemporaneos fuisse Cæsari & Ciceroni M. Varonem & P. Nigidium aetatis suæ doctissimos Romanos; & quod Nigidii commentationes propter earum obscuritatem subtilitatemque in vulgus non exeunt.

**A**etas M. Ciceronis & C. Cæsaris præstanti facultate viros paucos habuit; doctrinarum autem multiformium variarumque artium, quibus humanitas erudita est, columnina habuit M. Varonem & P. Nigidium. Sed Varonis quidem monumenta rerum ac disciplinarum, quæ per litteras condidit, in propatulo frequentique usu feruntur. Nigidianæ autem commentationes non proinde

*in vulgus exeunt: & obscuritas subtilitasque earum tandem parum utilis derelicta est. sicuti sunt quæ paulo antè legimus in commentarijs eius quos grammaticos inscripsit. ex quibus quedam ad demonstrandum scripturæ genus exempli gratia sumsi. nam cū de natura atque ordine litterarum differeret, quas grāmatici vocales appellat; verba hæc scripsit, quæ reliquimus inenarrata ad exercendam legentium intentionem. A & O semper priuicij es sunt. I & V semper subditæ. E & subit & præit. in Luripo præ t; subit in A Emilio. si quis putat præire v, in his verbis, Valerius, Vennonius, Voluuius; aut I in his, iam pridem, iecur, iocum, iucundum; errabit: quod hæ litteræ cum præiunt ne vocales quidem sunt. item ex eodem libro verba hæc sunt. Inter litteram N & G est alia vis; vt in nomine anguis & angaria & ancora & increpat & incurrit & ingenuus. in omnibus enim his non verum, N, sed adulterinum ponitur. nam, N, non esse linguæ indicio est. nam si ea littera esset; lingua palatum tangeret. Alio deinde in loco ita scriptum. Græcos non tantæ inscitæ arcesso, qui Ou ex O & Y scripserunt, quantæ, qui, ei, ex E & I. illud ei in inopia fecerunt; hoc nulla re subacti.*

A. GELLII NOCTIVM  
ATTICARVM COMMEN-  
TARIVS LIBER  
VICESIMVS.

CAPVT I.

Disceptatio Sex. Cæcili iureconfulti & Fauorini philosophi de legibus duodecim tabularum.

**S**EXTVS Cæcilius, in disciplina iuris atque legibus populi Romani noscendis interpretandisque, scientia vsus auctoritateque illustris fuit. ad eum forte in area Palatina cum salutationem Cæsaris opperiremur, philosophus Fauorinus accessit; collocutusque est nobis multisque aliis presentibus. in illis tunc eorum sermonibus orta mentio est legum decemuiralium; quas decemviri eius rei gratia a populo creati composuerunt in duodecim tabulas. Eas leges cum Sex. Cæcilius, inquisitis exploratisque multarum urbium legibus, eleganti atque absoluta breuitate verborum scriptas diceret; *Sis hoc, inquit Fauorinus, in pleraque earum legum parte, ita uti dicis. non enim minus cupide tabulas istas XII. legi, quam illos decem libros Platonis de legibus. sed quedam istic esse animaduertuntur aut obscurissima, aut dura, aut lenia contra nimis & remissa, aut nequaquam ita, ut scriptum est, consistentia. Obscuritates, inquit Sex. Cæcilius, non assignemus culpæ scribentium, sed inscientiæ non assequentium. quamquam hi quoque ipsi, qui quæ scripta sunt minus percipiunt, culpa vacant. nam longa ætas verba atque mores veteres oblitterauit, quibus verbis moribusque sententiæ legum comprehensa est. trecentesimo quoque anno post Romam conditam tabulæ*

composita scriptaque sunt. à quo tēpore, ad hunc diem, anni esse non longè minus septingenti videntur. durè autem scriptum esse, in istis legibus quid existimari potest? nisi duram esse legem putas, quæ iudicem arbitrumve iure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepisse conuictus est, capite pœnitur: aut quæ furem manifestum, ei cui furtum factum est, in seruitutem tradit; nocturnum autem furem ius occidendi tribuit. dic enim, quæ so, dic vir sapientia studiosissime; an aut iudicis illius perfidiam cōtra omnia iura diuina atque humana iusiurandum suum pecunia vendentis, aut furis manifesti intolerandam audaciã, aut nocturni grassatoris insidiosam violentiã non dignam esse capitis pœna existimes? Noli, inquit Fauorinus, ex me querere, quid ego existimem scis enim solitum esse me pro disciplina sectæ, quam colo, inquirere potius quam decernere. sed non leuis existimator neque aspernabilis est populus Romanus; cui delicta quidem isthæc vindicanda; pœnæ tamen huiusmodi nimis duræ esse visæ sunt. passus enim est leges istas de tam immodico supplicio situ atque senio emori. sicut illud quoque, non humaniter scriptum, improbauit; quod si homo in ius vocatus morbo aut atate æger ad ingrediendum inualidus est, arcera non sternitur: sed ipse aufertur & iumento imponitur, atque ex domo sua ad prætorem in comitium noua funeris facie effertur. quã enim ob causam morbo affectus, & ad respondendum profese non idoneus, iumento adherens in ius aduersario deportatur? Quod vero dixi videri quadã esse impendio molliora: nonnè tibi quoque videtur nimis esse dilutum, quod ita de iniuria pœnienda scriptum est? SI. INIURIAM. FAXIT, ALFRI. VIGINTI. QVINQVF. AERIS. PGENAE. SVNTO. quis enim erit tam inops, quem ab iniuriæ faciendæ lubricine viginti-quinque asses deterreant? itaque cum eam legem

*Q.* Labeo quoque vester in libris, quos ad duodecim tabulas  
 conscripsit, non probaret, *Quidam*, inquit, *Lucius Veratius*  
 fuit, egregie homo improbus atque immani vecordia.  
 is pro delictamento habebat os hominis liberi manus sue  
 palmæ verberare. cum seruus sequebatur cruminam ple-  
 nam a ssum portitans: & , quemcumque depalmauerat,  
 numerari statim secundum duodecim tabulas viginti &  
 quinque asses iubebat. propterea, inquit, praetores postea  
 hanc abolere & relinqui censuerunt; iniuriisque esti-  
 mandis recuperata. oris si daturos edixerunt. Nonnulla au-  
 t. in istis legibus nec consistere quidem, sicuti dixi, visa  
 sunt. velut illa lex talionis: cuius verba, nisi memoria  
 me fallit, haec sunt. S. I. MEMBRVM. RVPIT.  
 NI. CVM. EO. PACIT. TALIO. ESTO.  
 praeter enim ulciscendi accerbitatem; ne procedere quoque  
 exsecutio iustæ talionis potest. nam cui membrum ab alio  
 ruptum est; si ipsi itidem rumpere per talionem velit:  
 quæro an efficere possit rumpendi pariter membri equili-  
 brium. in qua re primum ea difficultas est inexplicabi-  
 lis. Quid si quis membrum, inquit, alteri imprudens ru-  
 perit? quod enim per imprudentiam factum est, retaliari  
 per imprudentiam debet. ictus quippe fortuitus et consul-  
 tus non cadunt sub eiusdem talionis similitudinem. quo-  
 nam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in  
 exsequenda talione non licentiæ ius habet, sed impruden-  
 tiæ? sed & si prudens ruperit; nequaquam patietur aut  
 alteri se laedi, aut latius. quod cuius modi libra atque  
 mensura cauere possit, non reperio. quin etiam si quid plus  
 erit aliterve commissum; res fiet ridicula atrocitatis: ut  
 contraria actio mutua talionis oriatur; & adolescat in-  
 finita quedam reciprocatio talionum. nam de immanita-  
 te illa secandi partiendique humani corporis, si vnus ob  
 pecuniam debitam iudicatus addictusque sit pluribus, non li-



let meminisse; et piget dicere. quid enim videri potest eff-  
 ratius? quid ab hominis ingenio diuersius, quã quod mib. a  
 et artus inopis debitoris breuissimo lamatu distrahebatur,  
 sic nũc bona venũ distrahũtur? Tũ S. x. Cæcilius ample-  
 xus utrique manu Fauorinũ, Tu es, inquit, vnus profecto  
 in nostra memoria non Graiamodo sed Romanæ rei peritiss-  
 simus. quis enim philosophorũ disciplina sua leges ta scitè  
 atque doctè calle, quam leges tu rostras decemvralis per-  
 calluisti? Sed, queso tecum, tamen d. grediare paul. s. fer  
 è curriculum istis d. sputationum vestrarum academicus:  
 omissoque studio, quicquid lubitum est, arguer di. tuendi-  
 que consideres grauius cuiusmodi sint ea, quæ reprehendisti.  
 nec ideo contemnas legum istarum antiquitates, quod ple-  
 risque ipsis iam populus Romanus vti desuerit. non enim  
 profecto ignoras legum oportunitates & medela, pro tem-  
 porum moribus & pro rerum publicarum generibus ac pro  
 utilitatũ presentium rationibus, proque vitiorum, qui-  
 bus medendum est, feruoribus mutari atque flecti: neque  
 vno statu consistere, quia, vt facies celi & maris, ita re-  
 rum atque fortunæ tempestatibus varientur. quid salu-  
 brius visum est rogatione illa Stolonis iugerum de numero  
 præfinito? quid utilius plebiscito Voconio, de coercendis  
 mulierum hereditatibus? quid tam necessarium existima-  
 tum est propulsanda ciuium luxuria, quam lex Licinia et  
 Fannia, aliaque itũ leges sumptuaria? omnia tamen hæc ob-  
 litterata & operta sunt ciuitatis opulentia quasi q. ubi s-  
 dã fluctibus exstuantis. Sed cur tibi esse visa est in huma-  
 na lex omnium, mea quidem sententia, humanissima quæ  
 iumentum dari iubet agro aut seni in ius vocato? et erba  
 sunt hæc de lege. SI. IN. IVS. VOCAT. SI.  
 MORBVS. AEVITAS. VE. VITIVM. ESCIT.  
 QVI. IN. IVS. VOCABIT. IUMENTVM.  
 DATO. SI. NOLET. AR CERAM. NE.

STERNITO. An tu forte morbum appellari hic putas agrotationem grauem cum febris rapida & quercera, iumentumque dici pecus aliquod unicum tergo vehens? ac propterea mihi fuisse humanum existimas agrotum domi suae cubantem iumento impositum in ius rapi? hoc, mihi Fauorine, nequaquam ita est. nam morbus in lege ista non febriculus neque nimium grauis; sed vitium aliquod imbecillitatis atque inualentiae demonstratur: non periculum vitae ostenditur. ceterique morbum vehementiorem vim grauiter nocendi habentem legum istarum scriptores alio in loco, non per se morbum, sed morbum fonticum appellant. iumentum quoque non id solum significat quod nunc dicitur; sed uectabulum etiam, quod adiumentis pecoribus trahebatur, veteres nostri iumentum à iungendo dixerunt: at cetera autem vocabatur plostrum tectum undique & mœnitum; quasi arca quadam magna vestimentis instrata, qua nimis agri aut senes portari cubantes solebant. Quanam tibi igitur acerbitas esse visa est, quod in ius vocato paupertino homini vel inopi, qui aut pedibus forte agris esset, aut quo alio casu ingredi non quiret, plaustrum esse dandum censuerunt; neque in sterni tamen delicatè arceram iusserunt? quoniam satis esset inualido cuiuimodi uectabulum. atque id fecerunt, ne causatio ista agri corporis perpetuam vacationem daret fidem detrectantibus, iurisque actiones declinantibus. sed enim ipsum vide. iniurias factas quinque & viginti assibus sanxerunt. non omnino omnes, mihi Fauorine, iniurias ex isto pauco diluerunt: tamen si & hæc ipsa paucitas assium graue pondus aeris fuit. nam librarius assibus in ea tempestate populus usus est. sed iniurias atrociores, ut de osse fracto, non liberis modo verum etiam seruis factas impensiore damno vindicauerunt. quibusdam autem iniuriis talionem quoque apposuerunt. quam quidem in

talionem, vir optime, iniquius paulo infectatus es; ac ne consistere quidem dixisti, lepida quadam sollertia verborum. quoniam talioni par non sit talio; neque rumpi membrum facile possit ad alterius ruptura (ut ais tu) æquilibrium. verum est, mi Fauorine, talionem rarissimum fieri difficillimè. sed decem viri minuere atque extinguere volentes huiuscemodi violentiam pulsandi atque ledendi eo quoque metu coercendos esse homines putauerunt: neque eius, qui membrum alteri rupisset & pacisci tamen de talione redimenda nollet, tantam esse habendam rationem arbitrati sunt; ut, an prudens imprudensve rupisset, spectandum putarent: aut talionem in eo vel admissim æquiperarent vel in librili perpenderent: sed potius eundem animum eundemque impetum in eadem parte corporis rumpendi, non eundem quoque casum exigere voluerunt. quoniam motus voluntatis præstari possit; casus ictus non possit. quod si ita est, ut dico, ut & ipse æquitatis habitus demonstrat; taliones illæ tuæ reciproca argutiores profecto quam veriores fuerunt. sed quoniam acerbum quoque esse hoc genus pœnæ putas; quæ, obsecro te, ista acerbitas est, si idem fiat in te quod tute in alio feceris; præsertim cum habeas facultatem paciscendi: & non necesse sit pati talionem, nisi eam tu elegeris? quod edictum autem prætorium de æstimandis iniuriis probabilius esse potest? nolo hoc ignores, hanc quoque ipsam talionem ad æstimationem iudicis redigi necessario solitam. nam si reus, qui depecisci noluerat, iudici talionem imperanti non parebat; æstimata lite iudex hominem pecuniâ damnabat. atque ita, si reo & pæctio grauis et acerba talio visa fuerat, seueritas legis ad pecuniâ multam redibat. Restat ut ei, quod de sectione partitioneque corporis immanissimum esse tibi visum est, respondeam. Omnibus quidem virtutum generibus exercendis colendisque populus Romanus è parua

origine ad tantæ amplitudinis instar emicuit. sed omnium maxime atque præcipue fidem coluit, sanctamque habuit tam priuatim quam publicè. sic consules clarissimos viros hostibus confirmandæ fidei publicæ causâ dedit. sic clientem in fidem acceptum cariorem quam propinquos, tuendumque esse contra cognatos censuit. neque peius ullum facinus existimatum est; quam si qui probaretur clientem diuisi habuisse. Hanc autem fidem maiores nostri non modo in officiorum vicibus, sed in negotiorum quoque contractibus sanxerunt, maximeque in pecunia mutuatice vsu atque commercio. adimi enim putauerunt subsidium hoc inopi e temporariæ quo communis omnium vita indiget, si peccata debitorum sine oratione eluderet. confessi igitur æris ac dediti iudicatis triginta dies sunt dati, conquirendæ pecuniæ causâ quam dissoluerent: eosque dies decem viri iuris appellauerunt, velut quoddam iustitium, id est, iuris inter eos quasi interfectionem quam in cessationem quibus diebus nihil cum his agi iure posset post deinde, nisi dissoluerent, ad prætorem vocabantur; & ab eo quibus erant iudicati addicebantur. neruo quoque aut compedibus vinciebantur. sic enim sunt,

AERIS. CONFESSI. REBUS.  
 Q. IVRE. IUDICATIS. TRIGINTA.  
 DIES. IUSTI. SUNTO. POST. DEINDE.  
 MANVS. INIECTIO. ESTO. IN. IVS.  
 DVCITO. NI. IUDICATVM. FACIT.  
 AVT. QVI. ENDO. EO. IN. IVRE. VIN-  
 DICIT. SECVM. DVCITO. VINCITO.  
 AVT. NERVO. AVT. COMPEDIBVS.  
 QVINDECIM. PONDO. NE. MINORE.  
 AVT. SI. VOLET. MAIORE. VINCIO.  
 SI. VOLET. SVO. VIVITO. NI. SVC. VI-  
 VIT. QVI. FM. VINCTVM. HABEBIT.  
 LIBRAS.

LIBRAS. FARRIS. IN. DIES. DATO. SI  
 VOLET. PLVS. DATO. Erat autem ius interea  
 paciscendi, ac, nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies  
 sexaginta. inter eos dies, trinis nundinis continuis, ad præ-  
 torem in comitium producebantur; quantæque pecunia  
 iudicati essent, prædicabatur. tertius autem nundinis ca-  
 pite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venû ibant.  
 sed eam capitis pœnam sancienda, sicut dixi, fidei gratia  
 horrificam atrocitatis ostentu novisque terroribus metuen-  
 dam reddiderunt. nam si plures forent, quibus reus esset  
 iudicatus, secare si vellent atque partiri corpus addicti si-  
 bi hominis permisissent. & quidem verba ipsa legis di-  
 cam, ne existimes inuidiam me istam forte formidare.

TERTIIS. INQUIT, NVNDINIS. PARTIS.  
 SECANTO. SI. PLVS. MINVS. V. E. SE-  
 CVERVNT. SE. FRAVDE. ESTO. Nihil pro-  
 fectò immitius, nihil immanius; nisi, ut re ipsa apparet,  
 eo consilio tanta immanitas pœna denunciata est, ne ad  
 eam umquam perveniretur. addici namque nunc & vin-  
 ciri multos videmus; quia vinculorum pœnam deterri-  
 mi homines contemunt. dissectum esse antiquitus nemi-  
 nem equidem neque legi neque audiui. quoniam sevi-  
 tia ista pœnae contemni non quita est. An putas, Fauo-  
 rine, si non illa etiam ex duodecim tabulis de testimonio  
 falsis pœna aboleuisset; & si nunc quoque, ut antea, qui  
 falsum testimonium dixisse convictus esset, è saxo Tarpeio  
 deiceretur, mentituros fuisse pro testimonio tam multos,  
 quam videmus? acerbitas plerumque ulciscendi maleficij  
 bene atque cautè vivendi disciplina est. historia de Metio  
 Fufetio Albano nobis quoque, non admodum numero istius-  
 modi libros lectitantibus, ignota non est. qui quoniam pa-  
 ctum atque condictum cum rege populi Romani per fide ru-  
 perat binis quadrigis euinctus in diuersa nitentibus lace-

330 M. GELLII NOCT. ATT.  
ratus est. nouum atque asperum supplicium. quis negat?  
sed, quid elegantissimus poëta dicat, vide:

--- At tu d. etis Albane maneres.

Hæc taliaque alia ubi Sex. Cæcilius omnibus qui aderant,  
ipso quoque Fauorino approbante atque laudante, disseruit:  
nuntiatum est Casarem iam salutari; & seperati sum-  
mus.

## CAPVT II.

Vocabulum, *siticinum*, in M. Catonis oratione  
quid significet.

**S**iticines, scriptum est in oratione M. Catonis, qua  
inscribitur: Ne imperium sit veteri ubi nouus  
venerit. Siticines, inquit, & liticines & tubicini-  
nes. Sed Casellius Vindex, in commentariis lectionum  
antiquarum, scire quidem se ait liticines lituo cantare,  
& tubicines tuba: quid istuc autem sit, quo siticines  
cantent, homo ingenue veritatis scire sese negat. Nos au-  
tem in Capitonis Ateï coniectaneis inuenimus, siticines  
appellatos, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est, vita  
functos et sepultos: eosque habuisse proprium genus tubæ,  
à ceterorum differens.

## CAPVT III.

Quam ob causam L. Accius poëta in pragmati-  
cis sicinnistas nebuloso nomine esse d. xerit.

**Q**uos sicinnistas, vulgus dicit, qui rectius locuti sunt,  
sicinnistas, littera, n, gemina dixerunt. sicinnis u-  
erum genus veteris saltationis fuit. saltabundi autem ca-  
nebant quæ nunc stantes canunt. Posuit hoc verbum Ac-  
cius poëta in pragmaticis; appellarique sicinnistas ait

nebuloso nomine: credo propterea nebuloso, quod  
 sicinnium cur diceretur ei obscurum esset.

## CAPVT IIII.

Artificum scenicorum studium amoremque  
 in honestum probrosumque esse: & super ea  
 re verba Aristotelis philosophi adscripta.

**C**omædos quissiam & tragædos & tibicines diues  
 adolescens Tauri philosophi discipulus liberos homi-  
 nes in deliciis atque in delectamentis habebat. id genus  
 autem artifices Græcè appellantur οἱ περὶ τὸν Διόνυσον  
 τεχνῖται. Eum adolescentem Taurus à sodalitatibus con-  
 uictuque hominum scenicorum abducere volens misit ei  
 verba hæc ex Aristotelis libro exscripta, qui προβλήμα-  
 τα ἐγκύκλια inscriptus est: iussitque ut ea quotidie le-  
 gitaret: Διὰ τί οἱ Διονυσιακοὶ τεχνῖται ὡς ἐπὶ τὸ πο-  
 λὺ πονηροὶ εἰσιν. ὅτι ἤκιστα λόγου καὶ φιλοσοφίας κοινωνοῦσι·  
 διὰ τὸ περὶ τὰς ἀναγκασίας τέχνας αὐτῶν τὸ πολὺ μέρος τῆ  
 βίης εἶναι. καὶ ὅτι ἐν ἀκρασίαις τὸν πολὺν χρόνον εἰσιν, ὅτε  
 ὃ ἐν ἀπορίαις. ἀμφοτέρω ὃ φαυλότητος ὡρασκευαστικά.

## CAPVT V.

Exempla epistolarum Alexandri regis & Ari-  
 stotelis philosophi, ita vti sunt edita: eaque in  
 linguam Latinam versa.

**C**ommentationū suarum artiumque, quas discipulis  
 tradebat Aristoteles philosophus regis Alexandri  
 magister, duas species habuisse dicitur. alia erant, quæ no-  
 minabat ἐξωτερικά; alia, quæ appellabat ἀκροατικά.

Ἐξωτερικὰ dicebantur, quæ ad rhetoricas meditati-  
 nes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum noti-  
 tiam conducebant. Ἀχροατικὰ autem vocabantur, in  
 quibus philosophia remotior subtiliorque agitabatur; qua-  
 que ad naturæ contemplationes disceptationes ve dialecti-  
 cas pertinebant. huic disciplinæ, quam dixi ἀχροατικὴν,  
 tempus exercendæ dabat in Lycio matutinum: nec ad eam  
 quemquam temerè mittebat; nisi quorum antè ingenium  
 & eruditionis elementa atque in discendo studium labo-  
 remque explorasset. illas verò ἐξωτερικὰς auditiones exer-  
 citiumque dicendi eodem in loco vesperi faciebat; easque  
 vulgo iuuenibus sine delectu præbebat: atque eum δει-  
 λινὸν καὶ πᾶτον appellabat, illum alterum supra ἐωθινὸν.  
 utroque enim tempore ambulans differebat: librosque suos,  
 earum omnium rerum commentarios, seorsum diuisit; ut  
 alij exoterici dicerentur, partim acroatici. Acroati-  
 cos cum in vulgus ab eo editos rex Alexander cogno-  
 uisset; atque ea tempestate armis exercitæ omnem pro-  
 pe Asiam teneret; regemque ipsum Darium præliis &  
 victoriis urgeret: in illis tamen tantis negociis litteras ad  
 Aristotelem misit, non eum rectè fecisse, quod discipli-  
 nas ἀχροατικὰς, quibus ab eo ipse eruditus foret, libris  
 foras editis inuulgasset. Nam quæ, inquit, alia re presta-  
 re ceteris poterimus, si ea, quæ ex te accepimus, omnium  
 prorsus fient communia? quippe ego doctrina antèire ma-  
 lim, quam copijs atque opulentijs. Rescripsit ei Aristote-  
 teles ad hanc sententiam. Acroaticos libros, quos edi-  
 tos quæreris & non proinde ut arcana absconditos, ne-  
 que editos scito esse neque non editos. quoniam his solis, qui  
 nos audiunt, cognobiles erunt. Exempla utrarumque lit-  
 terarum sumpta ex Andronici philosophi libro subdidi.  
 amavi autem prorsus in utriusque epistola breuitatis ele-  
 gantissimæ filum tenuissimum.



Ἀλέξανδρος Ἀριστοτέλει εὖ παράθην.

Οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας, ἐκδούς τοὺς ἀχροατικὰς τῶν λόγων. πῆνι γὰρ ἐπὶ διοίσμῳ ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καὶ οὗς ἐπαυδέυθημεν λόγους, οὗτοι πάντων ἔσονται κοινοί; ἐγὼ δὲ βελομένην ἂν ταῖς παρὰ τὰ ἄριστα ἐμπειρίας, ἢ ταῖς διωάμοσι διαφέρειν. ἔρρωσο.

Ἀριστοτέλης βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ εὖ παράθην.

Ἐγχαφάς μοι παρὰ τῶν ἀχροατικῶν λόγων, οἰόμενος δεῖν αὐτοὺς φυλάθην ἐν ἀπορρήτοις. ἴδι οὖν αὐτὰς καὶ ἐκδεδομένους καὶ μὴ ἐκδεδομένους. ξυμετοὶ γὰρ εἰσι μόνους τοῖς ἡμῶν ἀκούσασιν. ἔρρωσο.

*Hoc ego verbum ξυμετοὶ γὰρ εἰσιν quærens vno itidem verbo dicere, aliud non reperi, quam quod est scriptum à M. Catone in vj. origine. Itaque ego, inquit, cognobiliorum cognitionem esse arbitror.*

## CAPVT VI.

Quæsitum atque tractatum, vtrum sit rectius dicere, *habeo curam vestri, an, vestrum.*

**P**ercunctabar Apollinarem Sulpicium, cum eum Roma adolescentulus sectarer, qua ratione diceretur; habeo curam vestri, aut misereor vestri: & iste casus, vestri, eo in loco quem videretur habere casum rectum. Is hic mihi ita respondit. *Queris, inquit, ex me, quod mihi quoque est iamdiu in perpetua quaestione. videtur enim non, vestri, oportere dici, sed vestrum: sicut Græci loquuntur, ἐπιμελῆμαι ὑμῶν καὶ κήδομαι ὑμῶν. quo in loco ὑμῶν aptius vestrum dicitur, quam vestri, & habet casum nominandi, vos: quem tu re-*

*Etum appellasti. inuenio tamen, inquit, non paucis in locis nostri atque vestri dictum, non, nostrum aut vestrum. L. Sulla rerum gestarum libro secundo. Quo si fieri potest, ut etiam nunc nostri vobis in mentem veniat; nosque magis dignos creditis, quibus ciuibus quam hostibus utamini; quique pro vobis potius quam contra vos pugnemur; neque nostro, neque maiorum nostrorum merito nobis id continget. Terentius in Phormione.*

Ita plerique ingenio sumus omnes. nostri nosmet pœnitent.

*Afranius in Togata.*

Nescio qui nostri miseritus tandem deus.

*& Laberius in Necyomantia.*

Dum diutius detinetur; nostri oblitus est. *dubium porro, inquit, non est, quin eodem hac omnia casu dicantur; nostri oblitus est, nostri miseritus est; quo dicitur, mei pœnitent, mei miseritus est, mei oblitus est. mei autem casus interrogandi est, quem genitium grammatici vocant; & ab eo declinatur, quod est, ego. huius deinde pluralium est, nos. tui aequè declinatur ab eo, quod est, tu. huius itidem pluralium est, vos. sic namque Plautus declinavit in Pseudulo in hisce versibus.*

Si ex te tacente fieri possem certior here,

Quæ miseris te tam miserè macerent:

Duorum labori ego hominum passissem  
lubens,

Mei te rogandi & tuis respondendi mihi.

*mei enim Plautus, hoc in loco, non ab eo dixit, quod est, meus; sed ab eo quod est, ego. itaque si dicere velis, patrem mei, pro, patrem meum, quo Græci modo τὸν πατέρα μὲν dicunt, inusitatè quidem*

sed rectè profectò, eaque ratione dices, qua Plautus dixit, labori mei, pro, labori meo. hæc autem ipsa ratio est in numero pluratiuo; qua Gracchus, misereri vestrum dixit, & qua M. Cicero contentio vestrum & contentio nostrum dixit; quaque item ratione Quadrigarius in annali vndeicesimo verba hæc posuit. C. Mari, & quando te nostrum & reip. miserebitur? cur igitur Terentius, pænitet nostri, & non, nostrum, & Afranius, nostri miseritus est, non, nostrum? Nihil herclè, inquit, mihi de ista re in mentem venit; nisi auctoritas quadam vetustatis non nimis anxie neque superstitiose loquentis. nam sicuti multifariam scriptum est, vestrorum, pro, vestrum, ut in Plauti Mustellaria in hoc versu,

Verum illud esse maxima pars vestrorum  
intelligit;

cum vellet, maxima pars dicere vestrum: ita non nunquam, vestri, quoque dictum est, vestrum. sed proculdubio qui rectissime loqui volet, vestrum, potius dixerit, quam vestri. & idcirco importunissime, inquit, fecerunt qui in plerisque Sallustii exemplaribus scripturam istam sincerissimam corruerunt. nam cum ita in Catilina scriptum esset: Sæpe maiores vestrum miseriti plebis Romanæ: vestrum obleuerunt, & vestri superscriperunt. ex quo in plures libros menda istius indoles manauit. Hæc memini mihi Apollinarem dicere. eaque tunc ipsa, ita ut dicta fuerant, notavi.

## CAPVT VII.

Quam diuersæ Græcorum sententiæ super numero Niobæ filiorum.

**M**ira & propè adeo ridicula diuersitas fabulæ apud Græcos poëtas deprehenditur, super numero Nio-  
bæ filiorum. nam Homerus pueros puellasque eius bis se-  
nos dicit fuisse, Euripides bis septenos, Sappho bis nouenos,  
Bacchilides & Pindarus bis denos. quidam alii scripto-  
res tres fuisse selos dixerunt.

## CAPVT VIII.

De iis quæ habere *συμπέθειαι* videntur cum luna  
augecente ac senescente.

**A**nnianus poëta in fundo suo, quem in agro Falisco  
possidebat, agitare erat solitus vindemiam hilare  
atque amœniter. ad eos dies me & quosdam item alios fa-  
miliaris vocauit. ibi tum, cœnantibus nobis, magnus o-  
strearum numerus Roma missus est. quæ cum appositæ  
fuisent; & multæ quidem sed inuberes macraque essent:  
Luna, inquit Annianus, nunc videlicet senescit. ea re  
ostrea quoque, sicuti quadam alia, tenuis exsuctaque  
est. cum quæreremus, quæ alia item senescente luna  
tabescerent: Nonne Lucilium, inquit, nostrum memini-  
stis dicere?

Luna alit ostrea & implet echinos, muribus  
fibras

Et pecui addit.

eadem autem ipsa, quæ crescente luna gliscunt, defi-  
ciente contrà luna deficiunt. alurorum quoque oculi ad  
easdem vices luna aut ampliores fiunt aut minores.  
id etiam, inquit, multo mirandum est magis, quod  
apud Plutarchum in IIII in Hesiodum commentario le-  
gi; Cape tum reuivescit & congerminat decedente lu-  
na, contra autem inarescit adolescente. eam causam  
esse dicunt sacerdotes Ægyptij, cur Pelusiotæ cape non

edunt: quia solum olerum omnium contra lunæ aucta  
atque damna vices minuendi & augendi habeat con-  
trarias.

## CAPVT IX.

Qualibus verbis delectari solitus sit Antonius  
Iulianus positus in mimiambis, quos Cn. Ma-  
tius scripsit.

**D**electari mulcerique aures suas dicebat Antonius  
Iulianus fragmentis verborum nouis Cn. Matij,  
hominis eruditi: qualia hæc quoque essent, quæ scripta  
ab eo in mimiambis memorabat.

Sinuque amicum reficere frigidam caldo:

Columbatimque labra conferens labris.

item id quoque iucundè lepideque fictum dictitabat.

Iam tonsiles tapetes ebrii fuco,

Quos concha purpura imbuens venenauit.

item illud.

Dein coquenti vasa cuncta deiecat:

Nequamue scitamenta pipulo poscit.

## CAPVT X.

Quid vocabulum ex iure manum consertum, si-  
gnificet.

## EX. IURE. MANVM. CONSERVTVM.

**E**verba sunt ex antiquis actionibus. quæ, cum le-  
ge agitur & vindictæ contenduntur, dici nunc quoque  
apud prætorem solent. Rogavi ego Romæ grammaticum  
celebri hominem fama & multo nomine, quid hæc ver-  
ba essent. tum ille me despiciens, Aut erras, inquit,  
adolescens aut ludis. rem enim docco grammaticum

538      *A. GELLII NOCT. ATT.*  
*non ius respondeo . si quid igitur ex Vergilio , Plauto ,*  
*Ennio querere habes ; queras licet . Ex Ennio ergo , in-*  
*quam , est magister quod quero . Ennius enim verbis*  
*hisce usus est . cumque ille demiratus aliena hac esse*  
*à poetis , & haud vsquam inueniri in carminibus En-*  
*nij diceret : tum ego hos versus ex octauo annali absen-*  
*tes dixi . nam forte eos tamquam insigniter prater alios*  
*factos memineram .*

Pellitur è medio sapientia . vi geritur res .  
 Spernitur orator bonus . horridus miles a-  
 matur .

Haud doctis dictis certantes sed maledictis  
 Miscent inter sese inimicitias agitantes .  
 Non ex iure manú confertú , sed mage ferro  
 Rem repetunt , regnumque petunt . vadunt  
 solida vi .

*Cum hos versus Ennianos dixissem : Credo , inquit gram-*  
*maticus , iam tibi . sed tu velim credas mihi , Q. En-*  
*nium didicisse hoc non ex poëtica litteris , sed ex iuris*  
*aliquo perito . eas igitur tu quoque , inquit , & discas*  
*unde Ennius didicit . Usus consilio sum magistri , quod*  
*docere me ipse debuerat , à quo discerem pratermon-*  
*strantis . itaque id , quod ex Iureconsultis ex librisque*  
*eorum didici , inferendum his commentariis existima-*  
*ui . quoniam in medio rerum & hominum vitam*  
*qui colunt , ignorare non oportet verba actionum ciui-*  
*lium celebriora . Manum conferere est , de qua re*  
*disceptatur , in re presenti , siue ager siue quid aliud*  
*est , simul aduersarium manu prenderit , in ea re om-*  
*nibus verbis vindicare . vindicia , id est , correptio ma-*  
*nus in re atque in loco presenti , apud prætorem ex duo-*  
*decim tabulis fiebat . in quibus ita scriptum est . S I .*  
*Q V I . I N . I V R E . M A N Y M . C O N S E*

ut is parat. ad  
 3<sup>o</sup> tit. 32<sup>o</sup> ff. cum

R V N T. Sed postquam pratores propagatis Italiae finibus, datis iurisdictionibus, negotiis occupati proficisci vindiciarum dicendarum causa in longinquas res grauabantur: institutum est, contra duodecim tabulas, tacito consensu, ut litigantes non in iure apud pratorem manum confererent, sed ex iure manum confertum vocarent; id est, alter alterum ex iure ad conferendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret: atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terra aliquid ex eo, uti unam glebam, in ius in orbem ad pratorem deferrent; & in ea gleba, tamquam in toto agro, vindicarent. idque Ennius significare volens ait, non, ut ad pratorem solitum est, agi legitimis actionibus, neque ex iure manum confertum, sed bello ferroque & vera vi atque solida. quod videtur dixisse conferens vim illam ciuilem & festucariam, quae verbo diceretur, non quae manu fieret, cum vi bellica & cruenta.

## CAPVT XI

Quid sit *sculna* verbum positum apud M. Varronem.

**P**. *Lauinij liber est non incuriose factus. is inscriptus est, de verbis fordidis. in eo scripsit sculnam vulgo dici, quasi seculnam: quem qui elegantius, inquit, loquuntur, sequestrem appellant. utrumque vocabulum à sequendo factum est: quod eius, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. sculnam autem scriptum esse in logistorico M. Varronis, qui inscribitur, Catus idem Lauinius in eodem libro admonet. Sed quod apud sequestrem depositum erat, sequestro positum per aduerbium dicebant. Cato de Ptolemeo contra Thermum:*

Per deos immortalis, nolite vos sequestro ponere.

Atqui iucundiora alia reperiri queunt. ipse autem ad hoc scripsi, ut liberis quoque meis parata istiusmodi remissiones essent; quando animus eorum, interstitio aliqua negotiorum data, laxari indulgerique potuisset. usi autem sumus ordine rerum fortuito, quem antea in excerpando feceramus. nam proinde ut librum quemque in manus ceperam seu Græcum seu Latinum, vel quid memoratu dignum audieram, ita, quæ libitum erat, cuius generis cumque erant, indistincte atque promisce annotabam: eaque mihi ad subsidium memoria, quasi quoddam litterarum penus, recondebam; ut, quando usus venisset, aut rei aut verbi, cuius me fortè repens oblitus tenuisset, & libri, ex quibus ea sumseram, non adessent; facile inde nobis inuentu atque depromtu foret. facta igitur est in his quoque commentarijs eadem rerum disparilitas, quæ fuit in illis annotationibus pristinis: quas breuiter & indigestè & inconditè annotationibus, tractationibus, lectionibusque varijs feceramus. Sed quoniam longinquis, per hiemem, noctibus in agro, sicuti dixi, terræ Atticæ commentationes hæc ludere ac facere exorsi sumus: idcirco eas inscripsimus, Noctium Atticarum; nihil imitati festiuitates inscriptionum, quas plerique alij vtriusque lingua scriptores in id genus libris fecerunt. nam quia variam & miscellam & quasi confusam doctrinam conquisuerant; eò titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt. namque alij Musarum inscripserunt; alij siluarum; ille κρητων, alius χέρας ἀμαρθετας; quidam lectionis suæ; alius antiquarum lectionum; atque alius πρῶξιδων & item alius ἐγχεσιδων. sunt etiam qui pandectas inscripserunt. sunt autem qui, διαγρίβας. Sunt adeo qui de disciplina regia & de philosophia



& de natura humana. Est qui memoriales titulos  
 fecerit. est qui Studio forum, & de ridiculis, & περι-  
 ποιηλας isopins. est item qui historix naturalis. est  
 qui βιβλιοθήκην; est præ terca qui pratum; est item qui  
 & πομπιδων. est qui scripsit συγγραφήν. sunt item multi qui  
 coniectanea; neque item defunt, qui indices libris suis  
 fecerint aut epistolarum moralium aut epistolica-  
 rum quaestionum aut confusarum; & quaedam alia  
 inscripta nimis lepida, multasque prorsus concinnitates  
 redolentia. Nos verò, ut captus noster est, incuriose & im-  
 meditatè ac prope etiam subrusticè ex ipso loco ac tempore  
 hibernarum vigiliarum, Atticas Noctes, inscripsimus;  
 tantum ceteris omnibus in ipsius quoque inscriptionis lau-  
 de cedentes. quantum cessimus in cura & elegantia scri-  
 ptionis. Sed ne consilium quidem in excerpendis notandis-  
 que rebus idem mihi, quod plerisque illis fuit namque illi  
 omnes, & eorum maximè Græci, multa & varia lectitã-  
 tes, in quas res cumque inciderent, alba, ut dicitur, linea si-  
 ne cura discriminis, solam copiam sectati conuerrebant:  
 quibus in legendis antè animus senio aut radio langueret;  
 quam unum alterumve repererit, quod sit aut voluptati  
 legere, aut cultui legisse, aut usui meminisse. Ego vero, cum  
 illud Heracliti Ephesi viri summè nobilis verbum cordi  
 haberẽ, quod profecto ita est: Introite. nam & hic \*\*\*  
 ipse quidem voluendis transcundisque multis admodum  
 voluminibus, per omnia semper negotiorum intervalla, in  
 quibus furari otium potui, exercitus defessusque sum: sed  
 modica ex ijs, eaque sola accepi, quæ aut ingenia prompta  
 expeditaque ad honestæ eruditionis cupidinem utilium-  
 que artium contemplationem celeri facilique compendio  
 ducerent, aut homines alijs iam vitæ negotijs occupatos à  
 turpi certè agrestique rerum atque verborum imperitia  
 vindicarent. Quæ erunt autem in his commentarijs pauca

quadam scrupulosa & anxia, vel ex grammatica, vel ex dialectica vel etiam ex geometria, quæque erūt item particula remotiora super augurio iure & pontificio; non oportet ea defugere quasi aut cognitu non utilia aut perceptu difficilia. non enim fecimus altos nimis & obscuros in his rebus questionum sinus: sed primitias quasdam & quasi libamenta ingenuarum artium dedimus; quæ virum civiliter eruditum neque audisse umquam neque attigisse, si non inutile at quidem certè indecorum est. ab his igitur, si cui forte non numquam tempus voluptasque erit lucubratiunculas istas cognoscere, petitu impetratumque volumus; ut in legendo, quæ pridem scierint, non afferrentur quasi nota inuulgataque. nam & quid tam remotū in litteris est, quin id tamen complurculi sciant? & satis hoc blandum est, non esse hæc neque in scholis decantata neque in commentarijs protrita, quæ porro noua sibi ignotaque offenderint; æquum esse puto ut sine vano obtreptatu considerent, an minutæ istæ admonitiones paucillule nequaquam tamen sint vel ad alendum studium inhonestæ, vel ad oblectandum frigida fouendumque animum: sed eius seminis generisque sint, ex quo facile adolescant aut ingenia hominum vegetiora, aut memoria adminiculatior, aut oratio solertior, aut sermo incorruptior, aut delectatior motio, aut in ludo liberalior. quæ autem parum plana videbuntur, aut minus plena instructaque; petimus, inquam, ut ea non docendi magis; quam admonendi gratia scripta existiment; & quasi demonstratione vestigiorum contenti persequantur ea post, si libebit, vel libris repertis vel magistris. quæ vero putauerint reprehendenda; his, si audebunt, succenseant, unde ea nos accepimus sed enim, quæ aliter apud alium scripta legerint, ne iam statim temere obstrepant: sed tractationes rerum & auctoritates hominum persistent quot

illi quosue nos secuti sumus. Erit autem id longè optimum, ut, qui in lectitando, scribendo, commentando, numquam voluptates numquam labores ceperunt, nullas hoc genus vigilias vigilarunt, neque ullis inter eiusdem Musæ amulos certationibus disceptationibusque percunctando, scribendo, elimati sunt, sed intemperiarum negotiorumque pleni sunt; abeant à Noctibus his procul; atque alia sibi oblectamenta querant. vetus adagium est, Nihil cum fidibus graculo, nihil cum amaracino sui. Atque etiam, quò sit quorundam maledictorum hominum scauitas & inuidientia irritatior, mutua labor ex Aristophanis choro anapæsta pauca; & quam ille homo festiuissimus fabulæ suæ spectandæ legem dedit, eandem ego commentarijs his legendis dabo; ut ea ne attingat neve adeat profestum & profanum vulgus, à ludo Musico diuersum. Versus legis data hi sunt.

Εὐρημεῖν γῆν καὶ ἔϊσασθαι τοῖς ἡμετέροισι χροσίοις  
 Ὅστις ἀπειρος τῶνδε λόγων, ἢ γλώμη μὴ καταρείοι  
 Ἡ γυνναίων ὄργια μισῶν μὴ τ' ἴδε πω, μὴ τ' ἐχόρευσε.

Volumina commentariorum ad hunc diem viginti iam facta sunt. quantum autem vita mihi deinceps deum voluntate erit, quantumque à tuenda re familiari procurandoque cultu liberorum meorum dabitur otium: ea omnia subsiciua & subsecundaria tempora ad colligendas huiusmodi memoriarum disceptatiunculas conferam. Progredietur igitur numerus librorum, dijs bene iuuantibus, cū ipsius vitæ, quantuli quique fuerint, progressibus. neque longiora mihi dari spatia viuendi volo, quam dum ero ad hanc quoque facultatem scribendi cōmentandique idoneus. Capita rerum, quæ cuique commentario insunt, exposuimus hic uniuersa: ut iam statim declaretur, quid quoue in libro quæri inueniri que possit.

Quali proportionē quibusque collectionibus Plutarchus ratiocinatum esse Pythagoram philosophum dixerit de comprehendenda corporis proceritate, qua fuit Hercules, cum vitam inter homines viueret.

CAP. I.

Ab Herode Attico c. v. tempestiuè depromta in quemdam iactabundum & gloriosum adolescentem, specie tantum philoſophiæ ſectatorem, verba Epicteti Stoici, quibus festiuiter à vero Stoico seiunxit vulgus loquacium nebulonū, qui se Stoicos nuncuparent.

CAP. II.

Quod Chilo Lacedæmonius consiliū anceps pro salute amici cepit; quodque est circumspectè & anxie considerandum an pro vtilitatibus amicorum delinquendum aliquando sit: notatāque inibi & relata quæ & Theophrastus & M. Cicero super ea re scripserunt.

CAP. III.

Quam tenuiter curiosè-que explorauerit Antonius Iulianus in oratione M. Tullii verbi ab eo mutati argutiam.

CAP. IIII.

Quod Demosthenes rhetor cultu corporis atque vestitu probris obnoxio infamique mundicia fuit; quodque item Hortensius orator ob eiusmodi mundicias gestumque in agendo histrionicum Dionysia saltatriculæ cognomento compellatus est.

CAP. V.

Verba ex oratione Metelli Numidici, quam dixit ad populum in césura cum eum ad vxores ducendas adhortaretur; eaque oratio quam ob causam reprehensa, & quem contra in modum defen-

defen-

defensa sit.

CAP. VI.

In hisce verbis Ciceronis ex oratione quinta in Verrem, *Hanc sibi rem sperant presidio futurum*, nequemendam esse neq. vitium; errareque istos qui bonos libros violant & *futuram* scribunt: atque inibi de quodam alio Ciceronis verbo dictum quod probè scriptum perperã mutatur: & asperla pauca de modulis numerisque orationis, quos Cicero auidè sectatus est,

CAP. VII.

Historia in libris Socionis philosophi reperta super Laide meretrice & Demosthene rhetore.

CAP. VIII.

Qui modus fuerit, quis ordo disciplinæ Pythagoricæ; quantumque temporis imperatum obseruatũq. sit dicèdi simul ac tacendi.

CAP. IX.

Quibus verbis compellauerit Fauorinus philosophus adolescentem Cascè nimis & vetustè loquentem.

CAP. X.

Quod Thucydides historiæ scriptor inclutus Lacedæmonios in acie non tuba sed tibiis esse v-fos dicit; verbaque ei<sup>9</sup> super ea re posita: quodq. Herodotus Halyatten regè fidicinaꝝ in procinctu habuisse tradit: atque inibi quædam notata de Gracchi fistula concionatoria.

CAP. XI.

Virgo Vestæ quid ætatis, ex quali familia, & quo ritu quibusque cæremoniis & religionibus, ac quo nomine à pontifice maximo capiatur, & quo statim iure esse incipiat simulatque capta est: quodque, vt Labeo dicit, nec illa intestato cuiquam nec ei intestatæ quisquam iure heres est.

CAP. XII.

Quæsitum in philosophia, quidnam foret in recepto mandato rectius, idne omnino facere

M

quod mandatum est; an non nunquam etiam cōtra, si id speres ei qui mandauit uilius fore: superque ea quaestione expositæ diuersæ sententiæ.

CAP. XIII.

Quid dixerit feceritque C. Fabricius, magna uir gloria magnisque rebus gestis, sed familiæ pecuniæque inops; cum ei Samnites tamquam indigenti graue aurum donarent.

CAP. XIII.

Quam importunum uitiū sit plenumque odii futilis inanisque loquacitas, & quam multis in locis à principibus utriusque linguæ uiris detestatione iusta culpata sit.

CAP. XV.

Quod uerba isthæc Quadrigarij ex annali tertio, *ibi mille hominum occiditur*, non licentia neque de poetarum figura, sed ratione certa & proba grammaticæ disciplinæ dicta sunt.

CAP. XVI.

Quanta cum animi æquitate tolerauerit Socrates uxoris ingenium intractabile: atque inibi, quid M. Varro in quadam satyra de officio mariti scripserit.

CAP. XVII.

Quod M. Varro in quartodecimo Humanarū L. Ælium magistrum suum *περί ἐπιμολογίας* differentem falsa reprehenderit, quodque idem Varro in eodem libro *furis ἐπιμον* dicit falsum.

CAP. XVIII.

Historia super libris Sibyllinis, ac de Tarquinio Superbo rege.

CAP. XIX.

Quid geometræ dicant schemata quibusque omnia ista Latinis uocabulis appellentur.

CAP. XX.

Quod Iulius Higinius affirmatissimè contēderit legisse se librum P. Vergilij domesticū in quo

scriptum esset, & ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror; non, quod vulgus legeret, sensu torquebit amaro.

CAP. XXI.

An qui causas defendit, rectè Latinèque dicat *superesse se ei quod defendit*, &, *superesse*, propriè quid sit.

CAP. XXII.

Quis fuerit Papirius Prætextatus, quæve istius causa cognomenti sit: historiæque ista omnis super eodè Papirio cognitu iucunda.

CAP. XXIII.

Tua epigrammata trium veterum poetarum, Næuij, Plauti, Pacuuij; quæ facta ab ipsis sepulchris ipsorum incisa sunt.

CAP. XXIII II.

Quibus verbis M. Varro *inducias* definierit: quæsitamque inibi curiosius, quænam ratio sit vocabuli *induciarum*.

CAP. XXV.

Quem in modum mihi Taurus philosophus responderit percunctanti an sapiens irasceretur.

## COMMENTARIO SECVNDO

HAEC INSUNT.

Quo genere solitus sit philosophus Socrates exercere patientiam corporis: deque eiusdem viri patientia.

CAP. I.

Quæ ratio obseruatioque officiorum esse debeat inter patres filiosque in discumbendo sedendoque, atque in id genus rebus domi forisque, si filij magistratus sunt & patres priuati: superque ea re Tauri philosophi dissertatio; & exemplum ex historia Romana petitur.

CAP. II.

Qua ratione verbis quibusdam vocabulisque veteres immiserint, h, litteræ spiritum.

CAP. III.

Quam ob causam Gabius Bassus genus quoddam iudicii diuinationem appellari scripsit, & quam alii causam esse eiusdem vocabuli dixerint.

CAP. IIII.

Quam lepidè designatèque dixerit Fauorinus philosophus quid intersit inter Platonis & Lyliæ rationem.

CAP. V.

Quibus verbis ignauiter & abiectè Virgilius vsus esse dicatur, & quid his qui id improbè dicunt respondeatur.

CAP. VI.

De officio erga patres liberorum; deque ea re ex philosophiæ libris, in quibus scriptum quæsitumque est an semper omnibusque patris iussis obsequendum sit.

CAP. VII.

Quod parum æqua reprehensio Epicuri à Plutarcho peracta sit in syllogismi disciplina.

CAP. VIII.

Quod idè Plutarchus euidenti calumnia verbū ab Epicuro dictum insectatus sit.

CAP. IX.

Quid sint *fauissa Capitolina*, & quid super eo verbo M. Varro Seruio Sulpicio quærenti rescripserit.

CAP. X.

De Siccio Dentato, egregio bellatore, multa memoratu digna.

CAP. XI.

Considerata perpensaque lex quædam Solonis, speciè habens primorem iniquæ iniustæque legis, sed ad vsus emolumentumque salubritatis penitus reperta.

CAP. XII.

*Liberos* in multitudinis numero etiam vnum filium filia nve veteres dixisse.

CAP. XIII.

Quod M. Cato in libro, qui inscriptus est contra Tiberium exulem, *stetisses vadimonium*, per litteram dicit, non *stetisses*; eiusque verbi ratio



reddita.

CAP. XIII.

Quod antiquitus ætati senectæ potissimum habiti sunt ampli honores; & cur postea ad maritos & patres idem isti ampli honores delati sint. atque ibi quædam de capite legis Iuliæ septimo.

CAP. XV.

Quod Cæsellius Vindex à Sulpicio Apollinari reprehensus est in sensus Virgiliani enarratione.

CAP. XVI.

Cuiusmodi naturam esse quarundam præpositionum M. Cicero animaduertit: disceptatumque ibi super eo ipso quod Cicero obseruauerat.

CAP. XVII.

Quod Phædon Socraticus seruus fuit; quodque item alii philosophi complusculi seruitutem seruiuerunt.

CAP. XVIII.

Rescire verbum quid sit, & quam habeat veram atque propriam significationem.

CAP. XIX.

Quæ vulgo dicuntur *vinaria*, id vocabulum veteres non dixisse, & quid pro eo P. Scipio in oratione ad populum, quid postea M. Varro in libris de re rustica dixerit vsurpatum.

CAP. XX.

Super eo sidere quod Græci *ἀμξαυ*, nos septentriones vocamus: ac de vtriusque vocabuli ratione & origine.

CAP. XXI.

De vento iapyge, deque aliorum ventorum vocabulis regionibusque accepta è Fauorini sermonibus.

CAP. XXII.

Consultatio diiudicatiõque locorum facta ex comœdia Menandri & Cæcili, quæ Plocium inscripta est.

CAP. XXIII.

De vetere parsimonia deque antiquis legibus sumtuariis.

CAP. XXIIII.

M ij

Quid Græci ἀναλογίαν, quid contra ἀνομαλίαν  
vöcent. Cap. xxv.

Sermones M. Frontonis & Fauorini philoso-  
phi de generibus colorum vocabulisque eorum  
Græcis & Latinis: atque inibi color spadix cu-  
iusmodi sit. Cap. xxvi.

Quid T. Castricius existimauerit super Sallu-  
stij verbis & Demosthenis, quibus alter Philippū  
descripsit alter Sertorium. Cap. xxvii.

Non esse compertum, cui deo rem diuinam fie-  
ri oporteat cum terra mouet. Cap. xxviii.  
Apologus AEsopi Phrygis memoratu non inu-  
tilis. Cap. xxix.

Quid obseruatum sit in vndarū motibus, quæ  
in mari alio atque alio modo fiunt austris flanti-  
bus aquilonibusque. Cap. xxx.

### COMMENTARIO TERTIO

#### HAEC INSUNT.

Quæsitum ac tractatum, quam ob causam Sal-  
lustius auaritiā dixerit non animū modo virilē  
sed corpus quoque ipsum effeminare. Cap. i.

Quemnam esse natalem diem M. Varro dicat  
eorum qui ante noctis horam sextā postve eam  
nati sunt: atque inibi de temporibus terminisque  
dierum, qui ciuiles nominantur & vsquequaque  
gentium variè obseruantur: & præterea quid Q.  
Mucius scripserit super ea muliere, quam mari-  
tus non iure vsurpauisset, quia rationem ciuillis  
anni non habuerit. Cap. ii.

De noscendis exploradisque Plauti comædijs,  
quoniam promiscè veræ atque falsæ nomine eius  
inscriptæ feruntur: atque inibi, quod Plau-  
tus in pistrino & Næuius in carcere fabulas

scriptitarint.

CAP. III.

Quòd P. Africano & aliis tunc viris nobilibus ante ætatem senectam barbam & genas radere moris fuit.

CAP. IIII.

Deliciarum vitium & mollities oculorum & corporis ab Archefilao philosopho cuidam opprobriata acerbè simul & festiuiter.

CAP. V.

De vi atque natura palmæ arboris, quòd lignū ex ea ponderibus impositis renitatur.

CAP. VI.

Historia ex annalibus sumpta de Q. Cædicio tribuno militum; verbaque ex originibus M. Catonis apposita, quibus Cædicij virtutem cum Spartanò Leonida æquiperat.

CAP. VII.

Litteræ eximie consulum C. Fabricij & Æmiliij ad regem Pyrrhum à Q. Claudio scriptore historiarum in memoriam datæ.

CAP. VIII.

Quis & cuiusmodi fuerit qui in proverbio fertur *equus Seianus*: & qualis color equorum sit qui *spadices* vocantur; deque istius vocabuli ratione.

CAP. IX.

Quòd est quædam septenarij numeri vis & facultas in multis naturæ rebus animaduersa, de qua M. Varro in hebdomadibus disserit copiosè.

CAP. X.

Quibus & quàm friuolis argumentis Accius in didascalicis vtatur, quibus docere nititur Hesiodum esse quàm Homerum natu antiquiorem.

CAP. XI.

Largum atque auidum bibendi, à Publico Nigidio doctissimo viro, nouo & propemodum absurdum vocabulo *bibosum* dictum.

CAP. XII.

Quòd Demosthenes, etiam tùm adulescens, cum Platonis philosophi discipulus foret, audi-

to fortè Callistrato ihetore in concione populi, destitit à Platone, & sectatus est Callistratum.

C A P. XIII.

*Dimidium librum legi, aut, dimidiam fabulam audiri,* aliaque eiusmodi qui dicat, vitiosè dicere: eiusque vitij causas reddere M. Varonem; nec quemquam veterum iisce verbis ita usum esse.

C A P. XIII.

Exstare in litteris, pèrque hominum memorias traditum, quòd repentè multis mortem attulit gaudium ingès insperatum, interclusa anima & vim magni nouique motus non sustinente.

C A P. XV.

Temporis varietas in puerperiis mulierum quænam sit & à medicis & philosophis tradita, atque inibi poëtarū quoque veterum super eadem re opiniones: multaque alia auditu atque memoratu digna: verbaque ipsa Hippocratis medici ex libro illius sumta, qui inscriptus est *περὶ τῶν γυναικῶν*.

C A P. XVI.

Id quoque esse à grauissimis viris memoriæ mandatū quòd tres libros Plato Philolai Pythagorici & Aristoteles pauculos Speusippi philosophi mercati sunt precii fidè nō capiētibus.

C A P. XVII.

Quid sint *pedarij senatores*, & quam ob causam ita appellati; quàmque habeant originem verba hæc ex edicto tralaticio consulum, SENATORES.

QVIBVS. QVE. IN. SENATV. SENTENTIAM. DICERE. LICET.

C A P. XVIII.

Qua ratione Gabius Bassus scripserit *parcum* hominè appellatū; & quā eius vocabuli causā putarit; & cōtrā quē in modū quibusque verbis Fauorinus hanc traditionem eius eluserit.

C A P. XIX.

553

COMMENTARIO QVARTO  
H A E C I N S V N T.

Sermo quidam Favorini philosophi cum grammatico iactantiore factus in Socraticum modū: atque inibi in sermone dictum, quibus verbis *penus* à Q. Scævola definita sit, quodque eadē definitio culpata reprehensaque est. CAP. I.

Quid differāt *morbis* & *vitium*; et quam vim habeant vocabula ista in edicto ædiliū; et an eunuchus & steriles mulieres redhiberi possint; diversaque super ea resententiæ. CAP. II.

Quodd nullæ fuerint rei vxoriæ actiones in vrbe roma ante Carbilianum diuortium: atque inibi quid sit proprie *pelex*, quæque eius vocabuli ratio sit. CAP. III.

Quid Seruius Sulpicius, in libro qui est de dotibus, scripserit de iure atque more veterum spōsaliū, CAP. IIII.

Historia narrata de perfidia haruspicum Etruscorum, quodque ob eam rem versus hic à pueris Remæ vrbe tota cantatus est:

*Malum consilium consultori pessimum est.*

CAP. V.

Verba veteris senatusconsulti, in quo decretum est hostiis maioribus expiandum quod in sacratio hastæ Martiæ mouissent: atque inibi enarratum quid sint *hostiæ succidaneæ*, quid item *tempora præcidaneæ*; quodque Capito Ateius *ferias* quasdam *præcidaneas* appellauit. CAP. VI.

De epistola Valerij Probi grammatici ad Marcellum scripta, super accentu nominum quorundam Poenicorum. CAP. VII.

Quid C. Fabricius de Cornelio Rufino homine auaro dixerit; quem, cum odisset inimicusque esset, designandum tamen consulem curauit.

CAP. VIII.

Quid significet proprie *religiosus*, & in quæ diuerticula significatio vocabuli istius flexa sit; & verba Nigidij Figuli ex commentariis eius super ea re sumta.

CAP. IX.

Quid obseruatum de ordine rogandarum sententiarum in senatu, iurgiorumque in senatu C. Cæsaris consulis & M. Catonis diem dicendo eximentis.

CAP. X.

Quæ qualiaque sint quæ Aristoxenus quasi magis comperta de Pythagora memoriæ commendauit: & quæ item Plutarchus eundem in modum de eodem Pythagora scripsit.

CAP. XI.

Notæ & animaduersiones censoriæ in veteribus monumentis repertæ memoria dignæ.

CAP. XII.

Quòd incentiones quædam tibiariū certo modo factæ ischiacis mederi possint.

CAP. XIII.

Narratur historia de Hostilio Mancino ædili & Mamilia mercetrice: verbaque decreti tribunorum ad quos à Mamilia prouocatum est.

CAP. XIII.

Defensa à culpa sententia ex historia Sallustij, quam inimici eius cum insectatione maligne reprehenderint.

CAP. XV.

De vocabulis quibusdā à Varrone & Nigidio, contra quotidiani sermonis consuetudinem, declinatis: atque inibi, id genus quædam cum exemplis veterum relata.

CAP. XVI.

De natura quarundam particularum, quæ præ-

positæ verbis intendi atque produci barbarè atque inscitè videntur, exemplis rationibusque plusculis disceptatum, CAP. XVII.

De Africano superiore sumta quædam ex annalibus memoratū dignissima, CAP. XVIII.

Quid Marcus Varro in logistorico scripserit de moderando victu puerorum impubium.

CAP. XIX.

Notati à censoribus qui audientibus iis dixerant ioca quædam intempestiuiter : ac de eius nota deliberatum, qui steterat forte apud eos oscitabundus. CAP. XX.

## COMMENTARIO QUINTO

H A B C I N S V N T.

Quod Musonius philosophus reprehendit improbavitque laudari philosophum differentem à vociferantibus & in laudando gestientibus,

CAP. I.

Super equo Alexandri regis, qui *Bucephalus* appellatus est. CAP. II.

Quæ causa quodque initium fuisse dicatur Protagoræ ad philosophiæ litteras adeundi. CAP. III.

De verbo *duoetvicesimo*, quod vulgo incognitum est, à viris doctis multifariam in libris scriptum est. CAP. IIII.

Cuiusmodi ioco cauillatus sit Antiochum regem Pœnus Hannibal. CAP. V.

De coronis militaribus ; quæ sit eam *triumphalis*, quæ *obsidionalis*, quæ *ciuica*, quæ *muralis*, quæ *castrensis*, quæ *naualis*, quæ *oualis*, quæ *oleaginea*.

CAP. VI.

*Persona* vocabulum quam lepidè interpretatus sit, quamque esse vocis eius originem dixerit Gabius Baſius.

CAP. VII.

Defenſus error à Virgilio verſibus, quos arguerat Iulius Higinus grammaticus, & ibidem quid ſit *lituus*; deque etymologia vocis eius. CAP. VIII.

Historia de Cræſi filio ſumta ex Herodoti libris.

CAP. IX.

De argumentis quæ Græcè ἀντιπέφοντα appellatur, à nobis reciproca dici poſſunt.

CAP. X.

Biantis de re vxoria ſyllogiſmum non videri poſſe ἀντιπέφοντα.

CAP. XI.

De nominibus deorum populi Romani *Diiouis* & *Veiouis*.

CAP. XII.

De officiorum gradu atque ordine moribus populi Romani obſeruato.

CAP. XIII.

Quod Appion doctus homo, qui Piſtonices appellatus eſt, vidiffe ſe Romæ ſcripſit recognitionem inter ſe mutuam ex vetere notitia hominis & leonis.

CAP. XIII.

Corpuſne ſit vox an ἀπόματον varias eſſe philoſophorum ſententias.

CAP. XV.

De vi oculorum atque videndi rationibus.

CAP. XVI.

Quã ob cauſam dies primi poſt Kalendas, nonas, idus, atri habeantur: & cur diè quoque quartum ante kalendas, vel nonas, vel idus quaſi religioſum plerique vitant.

CAP. XVII.

In quid & quantum differat historia ab annalibus: ſuperque ea re verba poſita ex libro rerum geſtarũ Sempronii Aſellionis primo.

CAP. XVIII.

Quid ſit *adoptio*, quid item ſit *arrogatio*, quantũque hæc inter ſe differant; verbaque eius quæ



qualiaque sint, qui in liberis arrogandis super ea re populum rogat. CAP. XIX.

Quod vocabulum Latinum *Solæcismo* fuerit Capiti Sennio; quid autem id ipsum appellaerint veteres Latini; quibusque verbis *Solæcismum* definiert idem Capito Sennius. CAP. XX.

*Pluria* qui dicat & *compluria* & *compluries* non barbare dicere sed Latine. CAP. XXI

## COMMENTARIO SEXTO

HÆC INSUNT.

Quem in modum responderit Chrysippus aduersus eos qui prouidentiam confitere negauerunt. CAP. I.

Quo itidem modo & vim necessitatēque fati constituerit, & esse tamen in nobis consilii iudiciiue nostri arbitrium confirmauerit. CAP. II.

Historia sumta ex libris Tuberonis de serpente inusitatæ longitudinis CAP. III.

Quid idem Tubero nouæ historiæ de Attilio Regulo à Kartâaginiensibus capto litteris mandauerit; quid etiam Tuditanus super eodem Regulo scripserit. CAP. IIII.

Quod Alphenus iurifconsultus in verbis veteribus interpretandis errauerit. CAP. V.

Temere ineptēque reprehensum esse à Iulio Higino Virgilium quod *præpetes* Dædali penas dixit: atque ibi quid sint aues *præpetes*, & quid illæ sint aues quas Nigidius *inferas* appellauit. CAP. VI.

De Acca Larentia & Caia Taratia; deque ori-

gine sacerdotii *fratrum arualium*.

CAP. VII.

Notata quadã de rege Alexandro & de P. Scipione memoratu digna.

CAP. VIII.

Locus exentus ex annalibus L. Pisonis historiae & orationis lepidissima.

CAP. IX.

Historia super Euclide Socratico, cuius exemplo Taurus philosophus adhortari adolescentes suos solitus est ad philosophiam gnauiter sectandam.

CAP. X.

Verba ex oratione Q. Metelli Numidici, quæ libuit meminisse ad officium grauitatis dignitatisque vitæ ducentia.

CAP. XI.

Quod neque *testamentum*, sicuti Seruius Sulpicius existimauit, neque *facellum*, sicuti C. Trebatius, duplicia verba sunt; sed à testatione productum alterum, alterum à sacro diminutum.

CAP. XII.

De quæstiunculis apud Taurum philosophum in conuiuio agitatis, quæ symposiacæ vocantur.

CAP. XIII.

Pœniendis peccatis tres esse rationes à philosophis attributas, & quamobrem Plato tantum duarum ex his meminerit.

CAP. XIII.

De verbo *quiesco*, an e littera corripian produci debeat.

CAP. XV.

Notatum verbum *deprecor* à poeta Catullo inusitatè quidem sed aptè positum & propriè: deque ratione eius verbi exemplisque veterum scriptorum.

CAP. XVI.

Quis omnium primus libros publicè præberit legendos; quantusque numerus fuerit Athenis ante clades Persicas librorum in bibliothecis publicorum.

CAP. XVII.

Admiranda quædam de P. Africano superiore  
ex annalibus sumta. CAP. I.

De Cæsellii Vindicis pudendo errore, quem  
offendimus in libris eius, quos inscripsit anti-  
quarum lectionum. CAP. II.

Quid Tullius Tiro Cicéronis libertus repre-  
henderit in M. Catonis oratione, quam pro  
Rhodiensibus in senatu dixit; & quid ad ea quæ  
reprehenderat responderimus. Cap. III.

Cuiusmodi seruos & quam ob causam Cælius  
Sabinus iuris ciuilibus auctor pileatos venundari  
solitos scripserit, & quæ mancipia sub corona  
more maiorum venierint; atque id ipsum *sub corona*,  
*na*, quid sit. Cap. IIII.

Historia de Polo histrione memoratu digna.  
Cap. v.

Quid de quorundam sensuum naturali defectio-  
ne Aristoteles scripserit. Cap. vi.

An *affatim* quasi *admodum* prima acuta pronun-  
ciandum sit, & quædam itidem non incuriosè  
tractata super aliarum vocum accentibus. Cap. vii.

Res ultra fidem tradita super amatore delphico  
& puero amato. Cap. viii.

*Peposci* & *memordi*, *pepigi*, *spepondi* & *occecur-  
ri* plerisque veterum dixisse; non, uti postea re-  
ceptum est dicere, per *o* aut per *u* litteram in  
prima syllaba positam, sed per *e*; atque id Græ-  
cæ rationis exemplo dixisse. præterea nota-  
tum quod viri non indocti neque ignobiles à  
verbo *descendo* non *descendi*, sed *descendidi* dixerunt.

*Vfuscapio* vt copulate & recto vocabuli casu dicitur; ita *pigneriscapio* coniunctè & eadem vocabuli forma dictum est.

CAP. X.

Neque *leuitatem* neque *nequitiam* ea significatione esse, qua in vulgi sermocinis dicuntur.

CAP. XI.

De tunicis chindotis; quod earum vsum P. Africanus Sulpicio Gallo obiecit.

CAP. XII.

Quem *clasticum* dicat M. Cato, quem *infra classem*.

CAP. XIII.

De tribus dicendi generibus, ac de tribus philosophis qui ab Atheniensibus ad senatum Romæ legati sunt.

CAP. XIII.

Quam seuerè moribus maiorum in fures vindicatum sit, & quid scripserit Mucius Scæuola super eo quod seruadum datum commodatumve esset.

CAP. XV.

Locus escriptus è satyra M. Varronis, quæ *περὶ ἐδεσμάτων* inscripta est, de peregrinis ciborum generibus: et appositi versus Euripidi, quibus delicatorem hominum luxuriantem gulam confutauit.

CAP. XVI.

Sermo habitus cum grammatico intolerantiâ & imperitiarum pleno de significatione vocabuli, quod est, *obnoxius*: deque eius vocis origine.

CAP. XVII.

De obseruata custoditâque apud Romanos iurisiurandi sanctimonia: atque inibi de decem captiuis, quos Hannibal Romam deiurio ab eis accepto legauit.

CAP. XVIII.

Historia ex annalibus sumpta de Tiberio Sempronio Graccho, patre Gracchorum tribuno plebei: atque inibi tribunicia plebis decreta cum ipsis verbis

verbis

verbis relata.

Cap. XIX.

Quod Vergilius à Nolanis ob aquam sibi non permissam fuitulit è versu suo, *Nola*, & posuit, *Ora*: atque ibi quædam alia de consonantia litterarum iucunda.

Cap. XX.

Quoad *vinet*, & , quoad *moriatur*, cur id ipsum temporis significant, cum ex duobus sint facta contrariis.

Cap. XXI.

Quod censores equum adimere soliti sint equitibus corpulentis & præpinguibus: quæsitumque vtrum ea res cum ignominia, an incolumi dignitate equitum facta sit.

Cap. XXII.

## COMMENTARIO OCTAVO

H A E C I N S V N T.

*Hæsterna nocte* rectène an cum vitio dicatur; & quænam super istis verbis grammatica traditio sit: item quod x. viri in xii. tabulis *nox* pro *noctis* dixerunt.

Cap. I.

Quæ mihi decem verba ediderit Fauorinus, quæ vsurpentur quidem à Græcis, sed sint adulterina & barbara; quæ item à me totidem acceperit, quæ ex medio communique vsu Latinè loquentium minime Latina sint, neque in veterum libris reperiantur.

Cap. II.

Quem in modum & quàm seuerè increpuit audientibus nobis Peregrinus philosophus adolescentem Romanum, ex equestris familia, stantè segnem apud se & assidue oscitantem.

Cap. III.

Quod Herodotus scriptor historiæ memoratissimus parum verè dixerit, vnam solamque pinum arborum omnium cæsam numquam denuo

exisdem radicibus pullulare; & quòd item de aqua pluuiali & niue rem non satis exploratam pro comperta posuerit.

Cap. IIII.

Quid illud sit quod Virgilius *calum stare puluere*, & quod Lucilius *pectus sentibus stare dixit*.

Cap. V.

Cum post offensunculas in gratiam redeatur, expostulationes fieri mutuas minime vtile esse: superque ea re & sermo Tauri expositus & verba ex Theophrasti libro sumta, & quid M. quoque Cicero de amore amicitiae senserit, cum ipsius verbis additum.

Cap. VI.

Ex Aristotelis libro, qui *περὶ τῆς μνήμης* inscriptus est, cognita acceptaque de natura & habitu memoriae: atque inibi alia quaedam de exuberantia aut interitu eius lecta auditaque.

Cap. VII.

Quid mihi vsu venerit interpretari & quasi effingere volenti locos quosdam Platonicos Latina oratione.

Cap. VIII.

Quòd Theophrastus philosophus, omnium suae aetatis facundissimus, verba pauca ad populum Atheniensem facturus, deturbatus verecundia obicuerit; quodque idem hoc Demostheni apud Philippum regem verba facienti euenerit.

Cap. IX.

Qualis mihi fuerit in oppido Eleusine disceptatio cum grammatico quodam praestigioso, tempora verborum & meditata puerilia ignorante, remotarum autem quaestionum nebulas & formidines capiendis imperitorum animis ostentante.

Cap. X.

Quam festiuè responderit Xanthippæ vxori  
Socrates petenti, vt per Dionysia largiore sum-  
tu cœntarent. cap. xi.

Quid significet in veterum libris scriptum, *ple-  
rique omnes*: & quòd ea verba accepta à Græcis  
videntur. cap. xii.

*Quipsones*, quod homines Àfri dicunt, non esse  
verbum Pœnicum sed Græcum. cap. xiii.

Lepidissima altercatio Fauorini philosophi  
aduersus quemdam intempestiuum de ambigui-  
tate verborum differentem: atque inibi verba  
quædam ex Næuio poëta & Cn. Gellio non vfi-  
tate collocata; atque ibidem à P. Nigidio ori-  
gines vocabulorum exploratæ. cap. xiiii.

Quibus modis ignominiatus tractatûsque sit  
à C. Cæsare Laberius poeta: atque inibi appo-  
siti versus super eadem re eiusdem Laberii.  
cap. xv.

## C O M M E N T A R I O N O N O

H Æ C I N S V N T.

Quamobrem Q. Claudius Quadrigarius in  
duodeuicesimo annali scripserit rectiores cer-  
tioresque ietus fieri, si sursum quid mittas, quàm  
si deorsum. cap. i.

Quibus verbis notarit Herodes Atticus falso  
quempiam cultu amictuque nomen habitum-  
que philosophi eminentem. cap. ii.

Epistola Philippi regis ad Aristotelem phi-  
losophum super Alexandro recens nato.

cap. iii.

De barbararû gentium prodigiosis miraculis,

N 4

déque diris & exitiosis fascinationibus : atque inibi de feminis repente versis in mares.

Cap. IIII.

Diuersæ nobilium philosophorum sententiæ de genere ac natura voluptatis : verbáque Herodis philosophi , quibus decreta Epicuri infectatus est.

Cap. v.

Verbum quod est ab ago frequentatiuum, in prima syllaba quonam sit modulo pronuncian- dum.

Cap. vi.

De conuersione foliorum in arbore olea, brumali & solstitiali die ; deque fidibus ñs temporibus ictu alieno sonantibus.

Cap. vii.

Necessum esse, qui multa habeat, multis indigere : deque ea re Favorini philosophi cum breuitate eleganti sententia.

Cap. viii.

Quis modas sit verba vertendi in Græcas sententiâs ; deque iis Homeri versibus quos Virgilius vertisse aut benè aptéque aut improspere existimatus est.

Cap. ix.

Quòd Annaeus Cornutus versus Virgili, quibus Veneris & Vulcani cõcubitum pudicè oper- tique dixit, reprehensione spurca & odiosa in- quinauit.

Cap. x.

De Valerio Coruino : & vnde Coruinus.

Cap. xi.

De verbis quæ in vtramque partem significa- tione reciproca & ad se si dicuntur.

Cap. xii.

Verba ex historia Claudii Quadrigarii, qui- bus Manlii Torquati nobilis adolescentis & hostis Galli prouocatoris pugnam depinxit.

Cap. xiii.

Quod idè Quadrigarius, huius facies, patrio casu



probè & Latinè dixit; & quædã alia appofita de  
 fimiliam vocabulorum declinationibus. *Cap. xiiii*

De genere controuerfiæ quod Græcè ἀπορον  
 appellatur. *Cap. xv.*

Quod Plinium Secundum, hominem non in-  
 doctum, fugerit latueritque vitium argumenti,  
 quod ἀντίστροφον Græci dicunt. *Cap. xvi.*

## COMMENTARIO DECIMO

### HÆC INSUNT.

*Tertium ne consul an tertio* dici oporteat; & quo-  
 nam modo Cn. Pompeius, cum theatro, quod  
 erat dedicaturus, honores suos inscriberet, quæ-  
 stionem ancipitem istius verbi de consilio Cice-  
 ronis vitauerit. *Cap. i.*

Quid Aristoteles de numero puerperii memo-  
 riæ mandauerit. *Cap. ii.*

Locorum quorundam illustrium collatio con-  
 tentioque facta ex orationibus C. Gracchi & M.  
 Ciceronis & M. Catonis. *Cap. iii.*

Quòd P. Nigidius atgutissime docuit nomina  
 nõ positiua esse sed naturalia. *Cap. iiii.*

*Auarus* simplexne vocabulum sit, an compo-  
 situm & duplex, sicut P. Nigidio videtur. *Cap. v.*

Multam dictam esse ab ædilibus plebei Appii  
 Cæci filia, mulieri nobili, quòd locuta esset petu-  
 lantius. *Cap. vi.*

Fluminum, quæ ultra imperium Romanum  
 fluunt, prima magnitudine esse Nilum, secunda  
 Histrum, proxima Rhodanum, sicuti M. Varronè  
 memini scribere. *Cap. vii.*

Inter ignominias militares, quibus milites

coercebantur, fuisse sanguinis demissionem; & quanam esse videatur causa huiuscemodi castigationis.

Cap. VIII.

Quibus modis quoque habitu acies Romana instrui solita sit; quæque earum instructionum sint vocabula.

Cap. IX.

Quæ eius rei causa sit, quod & Græci veteres & Romani annulum in eo digito gestauerunt, qui est in manu sinistra minimo proximus.

Cap. X.

Verbum *maturè*, quid significet; quæque vocis eius ratio sit: & quod eo verbo vulgus hominum improprie utitur: atque inibi, quod *præcox* declinatum *præcoci* facit, non *præcoquis*.

Cap. XI.

De portentis fabularum, quæ Plinius Secundus indignissime in Democritum philosophum confert: ibidem de simulachro volucris columbæ.

Cap. XII.

*Cum partim hominum*, qua ratione veteres dixerint.

Cap. XIII.

*Iniuria mihi factum itur*, quali verborum ordine Cato dixerit.

Cap. XIII.

De flaminibus Dialis deque flaminicæ caeremoniis; verbæque ex edicto prætoris appositæ, quibus dicit non coacturum se ad iurandum neque virgines Vestæ neque Dialem.

Cap. XV.

Quos errores Iulius Higinus in sexto Virgilio animaduverteit in historia Romana erratos.

Cap. XVI.

Quam ob causam & quali modo Democritus philosophus luminibus oculorum sese priuauerit.

rit: super eare versus Laberij purè admodum & venustè facti. *Cap. xvii.*

Historia de Artemisia déque eo certamine quod apud Mausoli sepulchrum à scriptoribus inclutis decertatum est. *Cap. xviii.*

Non purgari neque lauari peccatum, cū præ-tenditur peccatorum, quæ alij quoque peccatè-rūt, similitudo: atque inibi verba ex oratione su-per eare Demosthenis. *Cap. xix.*

Quid sit *rogatio*, quid *lex*, quid *plebiscitum*, quid *privilegium*, & quantum ista omnia differant.

*Cap. xx.*

Quam ob causam M. Cicero his omnino ver-bis *novissime & novissimus* vti obseruantissime vi-tarit. *Cap. xxi.*

Locus exentus ex Platonis libro, qui inscri-bitur. Gorgias, de falsæ philosophiæ probris, quibus philosophos temere incessunt qui cmo-lumenta veræ philosophiæ ignorant. *Cap. xxii.*

Verba ex oratione M. Catonis de mulierum veterum victu & moribus: atque inibi, quod fue-rit ius marito in adulterio vxorem deprehensam necare. *Cap. xxiii.*

*Die pristini, die craftini, & die quarti, & die quinti*, qui elegantius locuti sunt dixisse, non vt ea vul-go dicuntur nunc. *Cap. xxiiii.*

Telorum & iaculorum gladiatorumque, atque inibi nauium quoque vocabula, quæ scripta in veterum libris reperiuntur. *Cap. xxv.*

Inscitè ab Asinio Pollione reprehensum Sal-lustium, quod *transfretationem transgressum* dixerit & *transgressos qui transfretassent*. *Cap. xxvi.*

Historia de populo Romano deque populo  
Pœnico, quod pari propemodum vigore fuerint  
æmuli. Cap. xxvii.

De ætatum finibus *pueritiæ, iuuentæ, senectæ* ex  
Tuberonis historia sunt. Cap. xxviii.

Quod particula, *atque*, non complexiua tantum  
sit, sed vim habeat plusculæ variæque. Cap. xxix.

### COMMENTARIO VNDECIMO

HÆC INSUNT.

De origine vocabuli terræ Italiæ, deque ea  
multa quæ *suprema* appellatur, deque eius nomi-  
nis ratione: ac de lege Ateria, & quibus verbis  
antiquitus multa minima dici solita sit. Cap. i.

Quod *ellegantia* apud antiquiores non de amœ-  
nitate ingenio sed de nitidiorē cultu atque victu  
dicebatur; eaque in vitio ponebatur. Cap. ii.

Qualis quantaque sit *pro* particulæ varietas; de-  
que exemplis eius varietatis. Cap. iii.

Quem in modum *Q.* Ennius versus Euripidi  
æmulatus sit. Cap. iiiii.

De Pyrrhonij philosophis quædam deque  
Academicis strictim notata, deque inter eos dif-  
ferentia. Cap. v.

Quod mulieres Romæ per Herculem non iu-  
rauerunt, neque viri per Castorem. Cap. vi.

Verbis antiquissimis relictisque iam & desitis  
minime vtendum. Cap. vii.

Quid senserit dixeritque M. Cato de Albino,  
qui homo Romanus Græca oratione Romanas  
res, venia sibi ante eius imperitiæ petita, compo-  
suit. Cap. viiii.

Historia de legatis Mileti & Demosthene rhetore in libris Critolai reperta. *Cap. ix.*

Quòd C. Gracchus in oratione sua historiam suprascriptam Demadi rhetori, non Demostheni, attribuit: verbáque ipsius C. Gracchi relata. *Cap. x.*

Verba P. Nigidij, quibus differre dicit *mentiri* & *mendacium dicere*. *Cap. xi.*

Quod Chrysiippus philosophus omne verbum ambiguum dubiumque esse dicit; Diodorus cõtra nullum verbum ambiguum esse putat. *Cap. xii.*

Quid T. Castricius de verbis deque sententia quadam C. Gracchi existimauerit; quodque esse eam sine vlllo sensus emolumento docuerit. *Cap. xiii.*

Sobria & pulcherrima Romuli Regis responsio circa vini vsum. *Cap. xiiii.*

De *ludibundo* & *errabundo* atque id genus verborum productionibus; & quod Laberius sic *amorabundam* dixit vt dicitur *ludibunda* & *errabunda*: atque inibi quod Sisenna per huiuscemodi verbum noua figura vsus est. *Cap. xv.*

Quod Græcorum quorundam verborum difficillima est in Latinam linguam mutatio; velut quod Græce dicitur, *πολυπραγμοσύνη*. *Cap. xvi.*

Quid significet in veteribus prætorum edictis, qui *flumina retanda publicè redimta* habent. *Cap. xvii.*

Qua pœna Draco Atheniensis in legibus, quas populo Atheniensi scripsit, fures affecerit, & qua postea Solon, & qua item x. viri nostri, qui xii. tabulas scripserunt: atque inibi adscriptum quod apud Aegyptios furta licita & permilla sunt, a-

pu**d** Lacedæmonios autem cum studio quoque affectata & pro exercitio vtili celebrata, ac præterea M. Catonis de pœniendis furtis digna memoria sententia. Cap. xviii.

COMMENTARIO DVODECIMO

HÆC INSVNT.

<b>Vitia quæ duo maxima Epicætero</b>	<b>Voluptatis definitio secundum Epicurum.</b>	2, 6.
17, 19.	<b>Voluptates scædæ, quæque nobis cum bellis communes.</b>	19, 2.
<b>Vitium quid, &amp; ut a morbo differat in edicto ædilitium curulium.</b>	<b>Vox, corpusne sit, an ἀρσ-ματων,</b> diuersæ diuersorum philosophorū sententiæ.	5, 15.
4, 2.	<b>Vibianorum prædiorū magni reditus</b>	14, 1.
<b>Vinaria quo nomine veteres appellauerint.</b>	<b>Urbes &amp; urbis,</b> Vergilio.	13, 19.
12, 13.	<b>Vrinam cur ignis lacestat</b>	19, 4.
<b>Vlysses apud Homerū non ex gutture sed ex pectore vocem mittit.</b>	<b>Vfuscipio copulate diſta.</b>	7, 10.
1, 15.	<b>ut Vserpetur mulier quã diu ex xii. Tabulis viro abesse debeat.</b>	3, 2.
<b>Vmbri quid diem appella-uerint.</b>	<b>Vtor,</b> commune verbum.	15, 13.
3, 2.	<b>Vulcani Sedigiti de poetis Latins iudicium.</b>	15, 24.
<b>Vndarum motus cur alio modo Aquilonibus alio modo Austris flantibus fiat.</b>	X	
2, 30.	<b>Xenophon an æmulus platonis fuerit.</b>	4, 11.
<b>Vndique vorsum.</b>		
7, 16.		
<b>Vocandi casus nomina, ut, Valeri, ubi acuenda.</b>		
13, 24.		
<b>Vocationem qui habeant</b>		
13, 2.		
<b>Vocationem tribunus plebei non habet, sed pensionem.</b>		
13, 12.		
<b>Voces etiam petulantiores Romæ pœnitæ.</b>		
10, 6.		
<b>Voconium plebiscitum de coercendis mulierū he-</b>		

Xerxes quando Themisto-  
cle duce ab Atheniensibus  
fuerit victus. 17,21.  
Xerxes libros publicos A-  
thenis alportat in Pellas.  
6,17.

Z

Zeno Citjensis & Epicurus  
Atheniensis philosophi  
celebres sunt quando  
bellum cum rege Pyrrho



à Romanis sumptum est.  
17,21.

Zeno censuit voluptatem  
esse indifferens, 9,5.  
ad Zenonis scripta resellen-  
da quanta cura quanto-  
que apparatu aggressus  
sit Carneades. 17,15.  
Zephyrus ventus. 2,21.  
Zodiacus. 3,10.  
Zonæ plenæ argenti. 15,12.

INDEX



	Γ	έρυθρός.	2,26.
Γλαυκῶπις, Lat. castra.	2,26	δύρονοτος.	2,22.
γραμμὴ Euclidi quid,		ἐφεκτικοί.	10,5.
1,20.		ἐφόδιον.	17,2.
	Δ	ἐχμουθία.	1.9.
Δαφνάδες.	2,20.	ἐωδινὸς περίπατος.	20,5.
δειλινὸς περίπατος.	20,5.	Ζ	
δημαγωγία.	3,13.	Ζέφυρος.	2,22.
δημηγορίαί.	ε8,7.	Θ	
ἢ διὰ τεσσάρων συμφωνία.		Θάλασσα ἢ εἶσω	
3,10.		I	
διεξάλογον ἀξίωμα.		Ιάπυξ	2,2.
16,8.		ἰσοκατάληκτα.	18,8.
οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνί-		ἰσονύκτιον αὐτῆς ἰσημερινὸς	
ται.	1,18.	circulus.	2,22.
δυσχερές.	4,15.	ἰσόποδες.	10,25.
E		ἰχθὺν dicendi genus.	7,14.
Εβδομάς.	3,10.	K	
εἰς τετάρτην.	10,24.	Καθήκοντα.	1,13.
εἰσαγωγαί.	16,8.	κακότροπος.	7,11.
ἐνεχειρία.	1,25.	κανονική.	16,18.
ἐνδυμήματα.	6,13.	κήδομαι ὑμῶν.	20,6.
ἢ ἐξάφνης φύσις.	6,13.	γλέπη	1,18.
ἐξωμίδες.	7,11.	κλίμακες.	10,15.
ἐξωτερικὰ ἢ ἀκροατικὰ.		κλιμακτερικὸς.	15,7.
20,5.		κίρρος οἶνον,	13,29.
ἐξωτερικὰ disciplina.	20,	κοιλία ἢ κάτω.	1,18.
5.		κοινόβιον.	1,10.
ἐπιγλωπίς.	17,11.	κόλασις.	6,14.
ἐρημερίς.	5,18.	κρηπίδες.	13,20.
ἐπιμελέσθαι ὑμῶν.	20,6.	κρικωτὴ σφαῖρα.	3,10.
ἐπίκοινον.	13,7.	κριπκοὶ vel κρίσιμοι dies	
ἐπίτασις.	7 7.	medicis.	ibid.



κρύσταλλος.	19,5.	ὁδοῦ πάρεργον.	17,20.
κύαμος.	4,11.	ὁμοιοτέλματα καὶ ἰσομοίο.	
κύβος.	1,20.	πῶτα.	18,8.
	Λ	ἀντὶ ὁμολογουμένης τὸ ἀμ-	
Λαγῶδες.	1,18.	φισβητούμενον.	17,5.
λάλοι.	1,15.	ὀπτική.	16,18.
λίψ.	2,22.	ὀρισμοὶ.	1,25.
	M	οὐ πάντος ἀνδρὸς εἰς Κό-	
Μαθήματα.	1,9.14,3.	ρινδον ἔσθ' ὁ πλῆς.	15,8.
μαθηματικοί.	1,9.	ὀψιμασία.	11,7.
μελαγχλία.	18,7.		Π
μελισσῶνες.	2,20.	Πάθη.	1,26.19,12.
μέλος.	16,18.	παιδεία.	13,15.
μέσαγμα	σ ἀδιάρροα.	πῶταγωγαί.	11,15.
2,7.		πῶταδειγμα.	6,14.
μίσον dicendi genus.	7,14.	πῶταδίοισι.	2,20.
μετεική.	16,18.	πῶταδιεζωγμένον ἀξίω-	
μετειότης.	1,26.	μα.	16,8.
μαρὸς.	7,11.	πῶτακείμενον.	7,9.
μοῖρα πεπωρωμένη καὶ εἰ-		πῶτατῆμαι	6,16.
μαρμένη.	6,3.	κατὰ πῶτακολέθησιν.	6,1.
μοχθηροί	18,4.	πάρισα.	8,18.
μύρον τὸ ἐπὶ τῷ φακῇ.	13 27	πέμματα,γμα	σ τραγή-
μύωψ.	4,2.	ματα.	13,11.
	N	πείειναι.	1,22.
Νάνος.	19,13.	πείπατος διελινὸς	σ ἔω-
νοπὲς, huius.	2,22.	διγὸς.	20,5.
νότος. Lat. Auster. ibid.		πείπλόμνον	σ ἐνιαυτός. 3,
νεδεσία.	6,14.	16.	P
νωδὸς.	4,2.	Ρύθμος.	16,18.
	Ξ		Σ
Ξανθὸς color, item πυρρὸς,		Σκεπητικοί.	11,5.
σ ἐρυθρὸς.	2,26.	σόλοικον.	5,20.
Ο		σπάδιξ.	3,9.

σπάρτοι.	173.	Υ	
σπῶ δὲ βραδείως.	10,20.	Υγῆς νόμιμον διεξέδραμ-	
σέρησις.	16,26.	νον.	2,70.
σερηπικὸν μόνιον	5,12.	υάδες.	13,9.
συγκαταδέσεις.	11,2.	ὑπνος.	13,9.
συμπεπλεγμένον ἀξίωμα.		ὑπογραφαί.	2,25.
16,8.		ὑπίθ.	13,9.
συμφωνία ἢ διὰ τεσσάρων.		ὑφορῶς.	ibid.
3,10.			

Φ

συνάγκη, <i>synanche</i> .	11,9.	φαντασίαι.	11,5,19,10.
σωημιμένον ἀξίωμα.	16,8	φάσις, <i>phthisis</i> .	4,2.
σφυγμός.	18,10.	φιλανθρωπία.	13,15.
χήματα, ἐπίπεδον καὶ σερε-		φοινικός, <i>vel rotius</i>	φοινι-
όν.	1,20.	κοῦς.	2,26.

Τ

Τανσπέρυγες.	6,6.	φοίνιξ.	3,9
τεχνικοί.	17,5.	φορπκοί.	18,4.
τεχίται οἱ παρὰ τὸν Διόνυ-		φρέαρ	1,18.
σον.	20,4.	φυσικοί.	1,9.
		φῶρ.	1,18.


Χ

πμωρία.	6,14.	χαλεπὸν.	4,15.
πραγήματα.	6,13,13,11.	χασσκηῆρες.	7,14.
πραχεῖα ἀρτηρία.	17,11.	χειμερινὰ τροπαί.	2,22.
τριας.	1,20.	χειριδωτοὶ tunica, à Lat.	
τροπαὶ θερινὰ καὶ χειμε-		<i>ditte Chiridota.</i>	7,12.
ριναί.	2,22.		
τύποι.			
κυφῶνες.			

FINIS.







HENRICI STEPHANI  
NOCTES PARISINÆ,  
ATTICIS A. GELLII  
Noctibus inuigilatæ.

E VIGINI SEPTEM.





IOANNI WLCOBIO,  
COVDRONII, SASSI ET  
Marquoëj domino, Regis Con-  
filiario & Eleemosynario,

HENR. STEPHANVS

S. D. :



E I S in Aulum Gellium lucu-  
brationibus titulum non dedi  
propter quem ( vt ait ille ) vadi-  
monium deferi possit: nec qua-  
lem AELius Melissus suo libro  
præfixisse à nostro Gellio dicitur: 'id est, qui  
fit ingentis cuiusdam illecebrę ad legendum.  
Noctes enim Parisinas vocauī, Atticis Auli  
Gellij Noctibus inuigilatas. Vel hoc autem,  
quòd Atticę sunt illę, at meę, Parisinę, quan-  
tum his μειονέκτημα, quantum illis πλεονέκτημα  
est? Quis enim Athenas ( vt cęteras earum  
laudes taceam ) aerem etiam habuisse non cre-  
dat qui ingenium quod ἀμαδὲς esset, διμαδὲς:  
quod iam διμαδὲς per se foret, longè διμαδὲς εἶπον  
redderet? Iure igitur Romani, ad capiendum

ingenij cultum, in urbem illam confluebant, cuius alumnorum vulgaris etiam sermo exquisitam quandam elegantiam habebat: facundia autem eo etiam nomine suavior quam aliorum erat, quod Atticum & ipsa thymum, Atticum quidem certe *μυκτῆρα*, aut saltem Attico similem habentibus, redolebat: cuius alumnorum dictorij peculiaris quaedam *δριμύτης* inerat: cuius denique alumnorum nugis quoque & gerris aliquid *σοφόν* subesse dici poterat. Quomodo igitur (ut omittam quanto in ijs quæ ad literas spectant hoc nostro scriptore sum inferior) Atticarum Noctium *Ἀπικουργεῖ* operum *Παρσιουργεῖς* opus respondere possit? Hoc ego illarum *προτέρημα*, mearum *ὑσέρημα* quum prauiderem, duobus modis huic periculo utcumque occurrere conatus sum. Primum enim, ut conuiuia multa, non quia exquisitis sed quoniam varijs instructa sunt ferculis, videmus placere, quum in ea varietate vnusquisque prope modum quod sui sit palati possit inuenire: ita mearum Noctium industriam (qualis ea cunque est) circa varia saltim versari volui. Deinde, quoniam nihil à me proficisci posse animaduertebam quod vel minimæ stellulæ loco meis Noctibus esset, fulgorem ex illustrium quarundam personarum quibus illas dicauimus nominibus quærere decreui.

Sed ecce, quum ad medium mearum Noctium vix peruenissem, superuenit iste belli rumor (atque utinam intra rumorem consistat, & sit bellum *μέχρι τῆ λέγειν, ἀνδρῶ τῆ ἀπάτην*: quod

contrà de multis olim philosophis dictitatum  
 fuit ) qui rationes eius typographij cui cæteræ  
 iam commissæ fuerant, ita perturbauit, vt quæ  
 impressio octo ante festum Paschatis diebus  
 absoluenda erat, vix decimoquinto post illud  
 festum die finem habitura diceretur. Ego, qui  
 in rebus typographicis quomodo etiam τοῖς  
 ἀπόροις sit πῶς & inueniendus noui, statim pro-  
 mittere, me decem quæ excudenda supererant  
 folia (vnumquodque autem sexdecim pagellas,  
 cuiusmodi sunt istæ, cōplectitur) in septem ef-  
 fe contracturum. Verùm, quū hæc quæ placue-  
 rat illi conditio, aliquot post diebus displicuis-  
 set, adeo ad extrema omnia descendi, vt illa de-  
 cem folia quæ iam in septem erant ἐπιτεταμεί-  
 να, in quinque contracturum me promitterem.  
 At quum isti etiam promisso (non minori cum  
 dolore quàm labore) satisfecissem, typogra-  
 phus contrà, suo vt staret, nec prece nec pretio  
 adduci à me potuit. Meum tunc animum di-  
 uersæ discordésque cogitationes subiere: quum  
 in vnam quidem libræ lancem incommoda  
 moræ quam typographus necere volebat: in  
 alteram, eiusdem commoda imposuissem. Sed  
 quum mea mens τοῖς ἐπ' ἀμφοτέρω διανοήμασι non  
 minus quàm ipsa trutina τοῖς ἐπ' ἀμφοτέρω πλά-  
 σιγξι diu ταλαντῶδεῖσα, tandem incommoda  
 præponderare commodis animaduertisset, im-  
 perfectum potius Noctium mearum nume-  
 rum relinquendum, quàm differendam tamdiu  
 propter illas Auli Gellij editionem censui:  
 præsertim quum huius mora Macrobianam



quoque retardaret.

Ægrè alioqui & perinuitus consilium hoc sumpsi: quòd mearum Noctium partem supprimendo, vererer ne simul ea qua quosdam prosequor amicitia pariter & obseruantia supprimi à me videretur. Futurum enim cogitabam vt meorum etiam amicorum pars à me præterita existimaretur, quum illis suæ itidem Noctes, id est, sibi à me destinatae, non darentur.

Nullius tamen eorum (crede mihi) præteritio æquè ac tui malè me habebat. Vt primùm enim te Viennæ Austriæ apud Cæsarem Maximilianum legatione Regis nostri nomine fungentem videre contigit, tanto tam humanam tuam *παιδείαν*, siue humanitatem *διπαιδευτον*, tanto tam amœnum ingenium tuum amore complexus sum, vt te ab eo tempore in oculis gestare non desierim. Atque hoc in causa fuit cur quum negotio meo non solùm infecto sed propemodum deplorato redirem (licet Maximilianus Cæsar, qui tanti me quâti meum Græcæ linguæ Thesaurum, multo ante ad se missum, faciebat, suam modis omnibus auctoritatem interposuisset) & ædibus appropinquanti illud Homericum in mentem venisset,

*Turpe, moram vacuum post longam ad lecta reuertì,*

huic cogitationi illa se opponeret, Quid? vacuûsne redis, quum tot amicitijs nouis ditatus domum reuertaris? præsertim verò quû VVl-cobij, tanti viri, de quo Hêricum Scrimgerum,

alterum illud Scotiæ decus, tam multa prædicantē audieras, amicitiam tibi comparaueris?

Hæc quicumque considerabit, non erit cur miretur, ægrè vel potius egerrimè tulisse me quòd in isto meo opere in præteritorum numero futurus esses. Præteritos enim vocari posse existimarem quibus consultò insignem istā amicitiaē tesseram non itidem vt alijs reliquifsem.

Sed ad te quod attinet, dolorem hoc lenit, quòd rationem excogitasse mihi videar qua huic malo in speciem saltem mederi possim. Cæteros enim quibus Noctes donavi, rogabo vt aliquam tibi suarum singuli partem largiantur. Hoc si fecerint ( vt facturos mihi persuadeo ) idem tibi vsuueniet quod plerunque *πρεχέδείπνοις*, qui ne *πρέχοντες* quidem, tempestiuè vel potius maturè conuiuio interesse poterunt. Quemadmodum enim dum cæteri conuiuæ illis de appositis ante se ferculis (mensalem Gallorum *ὀμπροσίων* vsurpando ) ministrat, sæpenumero fit vt nulli lautius quàm illi epulentur: ita, si aliquam quisque suarum Noctium portionē tibi impartiat, mearum quæ in ijs sunt lucubrationum ditior ( siquis tamen quidquam ditescere ex ijs potest ) quàm illi ipsi euades.

Neque tamen interim earum quæ tibi destinatae erant aliquod saltem *δέγγμα* tibi à me denegabitur, vt habeas quod illis *δωρεαίσις* possis *ἀντιδωρεΐσαι*.

Itaque sic habeto : Quinque à me Noctes

tibi destinatas fuisse, IX. X. XI. XII. & XIII. daturas autem tibi fuisse **QVÆSTIONES** XXX, super quibusdā Noctiū Gellianarū locis.

In I Quæstione me quærentem audisses quid Gellio nostro in mentem venisset, capite decimoquarto libri sexti, vt *νεδεισίαν & παρσί-  
νεσιγ* punitioni quæ *κόλασις* dicitur intermisceret, & sub vno eodémque genere completeretur: quum nihilo magis hæc cum illis cōmune quiddam habeat, quàm verba cum verberibus habere dici possunt.

In II Quæstione intellexisses quò respexisse mihi videantur qui (vt refert hic quoque noster scriptor) *τιμωρίαν* à conseruatione honoris dictā esse putant: & cū alia huc facientia, tum etiam quendam Aristotelis locum accepisses.

In III, dubitatio tibi proposita fuisset super eo quòd punitionis quoddam genus, & quod certa de causa fiebat, appellatum fuisse *ἑξάδειγμα* scribit: sicut aliorum duorum quæ alijs de causis fiebant, vnum, *κόλασιν*: alterum *τιμωρίαν*.

At verò in IIII. v. v. VI, differentem me audiuiſſes de quibusdā Latinis vocabulis, quorum vsum immeritò reprehendiſſe mihi videtur.

In VII, quærebam an credibile eſſet, veterum hominum qui propriè atque integrè loquuti eſſent, Leues, de inconstantibus etiam, ac Leuitatem de inconstantia & mutabilitate non dixiſſe.

Quinetiam, quum ibidem dicat, Nequam hominem esse hominem nihil, neque frugis bonæ: deinde cum alias voces Græcas, tanquam illi respondentes, tum verò *ἄσωτον & ἀκόλαστον*, nec non *μιαρὸν* afferat: de his tribus ac de ultimo isto potissimum ab illo dissentiebam, quod non æquè magna hoc Latinorum vocabulo inuri ignominia videatur.

Quæstio autem VIII, ea est ad quam in meis Emendationibus coniecturalibus seu Coniecturis emendatricibus lectorem remissi: in qua Castricium simulque Gellium C. Graccho (quem hic alibi fortem ac vehementem oratorem existimatum ait: qualis, ut opinor, Græcis est *ὁ σφοδρὸς*) iniuriam facere dicebam, quod eum locum hunc ita scriptum reliquisse putet: quem tamen, paucis mutatis, ab omni reprehensione tutum reddidisse mihi videor: *Quæ vos cupide per hosce annos appetistis atque voluistis, ea se repudiastis, abesse non potest quin aut olim nimis cupide appetisse aut nunc temere repudiastis dicamini.* Mihi certè hæc loci istius lectio in mentem venerat antequam animaduertissem quomodo is à Castricio reformaretur. Postea autem cognoui, inter me & illum in eo conuenire quod ambo aduerbium *temere* è priori sententiæ parte expunximus: sed illud *cupide* quoque inde eiecisse, quod à me retinetur. Præterea, me in posteriori eius parte adicere *nimis* ante *cupide*, quod ab illo non additur. Nequaquam tamen adiectionem hanc improbatum iri puto ab iis qui attentè locum hunc legent: sicut nec quod idè

vocabulum in præcedentibus retineo. Qui enim aliquid cupidè appetit, reprehensione dignus non est: sed is demum qui nimis cupidè appetit. Cæterùm adiicit Castricius particulam *nunc* ante hæc verba, *si repudiaritis*: (quum in altera lectione *temere* locum hunc occuparet) sed subaudiri etiam posse videtur. Est autem hæc Quæstio in caput decimumtertium libri vndecimi.

In IX, inquirebam in ea quæ leguntur in fine capitis quarti, libri decimioctavi, Tetros & molestos atque illepidos à Græcis *μοχθηρῶς* & *φορτικῶς* vocari: & concludebam, si Gellius ita scripserit, illum *μοχθηρῶς* hoc fecisse, quòd *μοχθηρῶς* cum *φορτικῶς* iunxerit: magisque verisimile mihi fieri, *ὀχληρῶς* cum *φορτικῶς* iunxisse: sed tamen nec Tetros, nec Illepidos, satis aptã ne horum quidem interpretationem videri.

At verò X Quæstio meam de sophisticis quibusdam quæstionibus dissertationem complectebatur, quarum in aliquot Gellij locis fit mentio: & de illa nominatim, **QVANDO MORIENS MORERETUR**: id est, an dicendus esset mori, quum iam in morte esset, an tum etiam quum in vita foret. Ideo autem hanc quæstionem attentiori consideratione dignam dicebam, quòd grauissimi philosophi super hac re seriò quæsiuerint: & alij moriendi verbum atque momentum manente adhuc vita dici atque fieri putauerint, alij nihil in eo tempore vitæ reliquerint, sed totú illud quod mori dicitur, morti attribuerint. Nec verò Pla-

tonem ipsum circa huius quæstionis *οὐκ ἔστιν* tempus ponere puduit: qui neque vitæ neque morti id tempus dedit, sed aliud quoddam in confinio repentinum tempus introduxit. Idem autem quæstionis genus est istud, Qui artem discit, quando artifex fiat: an, quum iam est, an tum etiam quum non est. Sed magis cum prima illa conuenit ista, Quando surgens surgat: an, quum iam stat, an tum etiam quum sedet. Eos porro qui motum negabant, vel potius nihilo magis esse quàm non esse, dicebant, solitos hoc quæstionum genere uti, discimus ex eo quod Herophilus medicus Diodoro philosopho dixit, quum luxato humero ad ipsum venisset, ut curaretur: Aut in quo erat loco humerus existens excidit, aut in quo non erat: At neque in quo erat, nec in quo non erat: Non ergo excidit.

Cæterarum xx Quæstionum varia sunt argumenta: quæ quoniam referre longum esset, illis omiſſis, de reliquarum septem Noctium argumentis (nihil enim magis quàm præcedentes illæ sex, tibi destinatæ, superioribus adiectæ fuerunt) verba faciam.

Noctes igitur, XIII, & xv, examen interpretationum Gellianarum afferebât: id est, locorum quos è Græcis scriptoribus excerptos, Latinos facit. De quibus interpretationibus hoc tantum dicam, magnam quam is sibi in vertendis quibusdam locis indulget libertatem, aliquam quærenti quid cui respondeat molestiam interdum afferre: sed hanc magna

nonnunquam, postquam inuentum id est, delectatione compensari: quum tantus hac in re sit artifex noster Gellius vt lingue Latinæ cum Græca quodammodo certantis spectaculum nobis alicubi exhibeat.

Noctes autem XVI, & XVII, ex Græcis verbis, quæ Gellius siue sua, siue aliorum, libris suis inseruit, ea quæ difficiliora sunt, Latinè vertebât. Et sunt tamen ex illis nonnulla quorum interpretationi nihil difficultatis subesse plerique Græcæ alioqui linguæ non imperiti crederent. Exemplo autem fuerit vox ἀπαεμύδιον, libri 19, capite 8. Quis enim non putet, eam illic quoque significationem habere quæ in vulgari interpretatione Græcarum vocum superioribus editionibus adiuncta, illi tribuitur? Ea est autem, Sine consolatione. Atqui longè alius, multo rarior & paucis notus significatus illius vocabuli eo in loco est.

Alicubi verò Latinè ea vertisse non contentus, expositionem addidi, quòd viderem non posse alioqui vigesimum quenque lectorem mentem Gellij assequi. Exempli gratia, si libri vndecimi capite quinto Πυρρηνίωντων πρόπων vertat quis Pyrrhonorum modorum, & nihil exponendi causa adiiciat: hoc dicere, nihil dicere, apud plurimos quidem certè lectores, fuerit.

At verò trium vltimarum Noctium, XVIII, XIX, XX, varia erant argumenta: sed ita vt eorum quæ Noctibus illis continebantur, pleraque ad Gellij lectionem essent ἀποπαρονομασι-

14. Primùm enim monebam, Gellium, & antiquarium esse & nouatorem: & quidem alicubi nouatorem simul & antiquarium: quum videlicet sermone vtitur qui præ vetustate nouus videri potest. Verùm non ita esse antiquarium vt quemuis antiquum scriptorem sine discrimine sequatur. falsò enim illi dictum hoc adscribi, veteres propriè & integrè loquutos esse: si quidem de omnibus hoc intelligatur. Ita enim ille, *sed veterum hominum qui propriè atque integrè loquuti sunt, dixerunt.* &c. id est, Illi ex veteribus: siue inter veteres. Atque hoc cum eo conuenit quod à Fauorino apud illum alibi dicitur, *Dubito quippe & requiro an veterum eorum qui electius loquuti sunt pro verbis & oratione dixerit quis concionem.*

Cæterùm, quum hoc nouandi studio teneatur, non mirum esse dicebam si pleraque occurrerent quæ non solùm noua sed suspecta etiam esse possent ijs quorum aures sermone aliorum, qui aut antiqui, aut saltem antiquarij itidem nouatorésque sunt, assuetæ non forent. Nam, vt à leuioribus initium sumam, adeo illi quod in sermone vulgare est displicet, vt ne hoc quidem ipsum Vulgare aut Vulgaris, sed potius (præterquam vno in loco, si bene memini) *vulgarium & vulgarius*, itidémque alicubi *vulgaria*, vsurpet. Nouum hoc est, dicet aliquis. Multis quidem nouú: sed tamen ex antiquitate nouitas ista petita est, vt vel ex Nonio discere possumus.

Illi autem similia sunt, *Ridicularius, Singula-*



*rius*, pro *Ridicularis* & *Singularis*. vt libri noni cap. quarto, *Singularia velocitatis*. Quid quòd & iurifconsultis antiquam hanc terminationem, in duobus præsertim vocabulis, quorum vnum est *Peculiaris*, renouare placuit? Idem verò dicendum de *Dubiosum*, pro eo quod est *Dubium*. Cui addi possunt *Obsequibilis* & *Præstabilis* pro *Obsequens* & *Præstans*: sed *Obsequibilis* illo altero rarius etiam esse puto. Adiiice etiam *Vrbicæ res* dictum vt *Rusticæ*, pro *Vrbana*.

Sed nec *Labeorum* pag. 484, pro *Labiorum*, suspectum esse patitur antiqui sermonis cognitio.

Idemque (ad ea quod attinet quæ grammatici Verba appellant) de *Viderier* dici debet.

His addenda sunt, *Feruit*, pro *Feruet*: & *Alia* pro *Alij*: vt pag. 230, *Nulli alia causa obnoxia*. Atque hæc & superiores editiones habent: at non & illud *Singularia* pro *Singularis*.

Quædam verò aliud nouitatis genus habent: cuiusmodi est *Deiurium* pag. 216, ea forma dictum qua *Periurium*. Sunt etiam nonnulla vocabula in quibus lector aliquis fortassis hærebit quòd alij præter consuetudinem præpositioni iuncta sint. Cuiusmodi est *Persererare*: quum dicit, *Confirmat & perseruat*, pag. 36. siue *affirmat & perseruat*: quam lectionem malo: quum etiam *Affirmatissime scripserunt*, legatur pag. 260. Vtrocunque autem modo scribas, est *Perseruat* pro vulgari *Asseruat*. Sic autem & alibi vno composito pro altero nouè vitur.

Quibusdam autem in locis & composito vti-  
tur vbi simplici vti moris est: veluti vbi *Conce-  
lare* pro *Celare* dicit, vt pag. 291, *non id postea cō-  
celaust*. Sic etiam *superuacare* pro *Vacare*. Sed &  
simplicis vicissim pro composito exempla a-  
pud eum extant: vt pag. 323, *an his verbis, intra  
calendas, ipsa quoque calendæ tenerentur*: pro conti-  
nerentur. Sed minus nouus est (in soluta præ-  
fertim oratione) simplicis pro composito  
quàm compositi pro simplici vsus.

Aliud nouæ libertatis genus est, præter  
illam de qua libri decimioctauæ capite duode-  
cimo (pro verbis habentibus patiendi figuram,  
actiua vsurpare, & vicissim) neutris vti pro acti-  
uis: vt *Inolenit*, actiuè dictum, pag. 314. Item ex  
impersonalibus personalia facere: vt *verbisque  
eius defatigati pertadmissent*. Cui contraria nouitas  
hæc apud Ciceronem videri potest, *Quos veri-  
tum non est*. pro *Qui veriti non sunt*. Paulo au-  
tem aliter nouum est hoc apud nostrum Gel-  
lium, *Iureiurando satisfacto*. pro *Quum satisfa-  
ctum esset iureiurando*.

Cum alia omnino nouitate dicit *vsitatos*  
pag. 257, *Romanos quoque homines aiunt sic plerun-  
que annulis vsitatos*. nam suspectum esse alius  
vetat locus.

Quædam etiam sunt voces minimè quidem  
nouæ, sed nouam significationem (sub noua au-  
tem intelligo & perraram) habentes. Sunt &  
vocabula (& quidem nomina) in quibus alia si-  
gnificationis non est mutatio, quàm quòd pro  
actiua passiuam accipiunt: vt *Ignara res*, *Incredu-*

*la res, pro Ignota res, Incredibilis res.*

Sedenim multis vocabulis ob nouitatem aut raritatem deprauari contigit. quod & in vna harum accidisse videmus. nam pro *ignatissima*, quod legis pag. 372, in præced. edit. est *ignotissima*. Sic pro *pontificium* (quod habes pag. 25, cuius negotium id pontificiumque esset) superiorum editionum pleræque habent *potissimum*. Quum tamen vox *pontificium* potestatem itidem significet, non apud Arnobium tantum & Cassianum, sed etiam in aliquot C. Theodosiani locis.

Hinc etiam fit vt pro *impendio*, pag. 488. præced. edit. habeant *compendio*. Sic pro *Interfectum ire*, quod legis pag. 305. ignoratio antiqui sermonis intruserat *interfectum iri*.

Ad orationis autem structuram quod attinet, *Terra Italia, Terra Gracia*, aliæque huiusmodi, nihilo magis quam superiora, suspecta cuiquam esse debere, etiam quidam veteris scriptoris locus, qui ab eo alia de causa affertur, aperte ostendit. Antiquum verò est & *audiui illum dicere*, pro eo quod est *Audiui dicentem*.

Inter locos autem ob orationis structuram suspectos non dubium est quin iste futurus sit, vbi verbo personali verbi impersonalis usus dari videtur: pag. 364, *Ibi scriptum est cum multa alia ad bonam frugem ducentia*.


Interim tamen fateor & quosdam esse locos vbi verborum structura mendii suspicionem afferre potest. Ex illis est hic, pag. 428, *Fecisseque videtur eum librum Ælius sui magis admonendi*

*quàm aliorum docendi gratia.*

Quinetiam alia sunt quæ si Gellium ita scripsisse existimamus, iniuriam (vt opinor) illi facimus.

In cæteris alioqui eius Latinitate, etiam vbi ἐλληνίζει, nos tutissimè vsuros esse puto. Ea certè phrases ad multa quæ in sermone familiari occurrunt exprimēda aptissimas præ quauis alia suppeditat. Nā vel istud quod ex Italis sumptum velut prouerbialiter dicimus, **S I N O N E V E R O, E B E N T R O V A T O,** tribus elegantissimis modis ab illo dici animaduerti. Eos tecum ea lege communicabo, vt in ijs quæ obseruaueris, itidem κοινὸν Ἐπιμῖν esse velis : sicut de ijs fecisti locis qui quod ab eo de voce *intra* dicitur, confirmant.

V A L E.



HENR. STEPHANI  
NOX II, ET III, ATTIL-  
CIS AVLI GELLII VI-  
GILIIS INVIGILATÆ.

SIVE,  
APOLOGIA A. GELLII  
(ID EST, PRO A. GELLIO)  
ADVERSVS LVD. VIVEM.



# ACHILLI HARLÆO,

PRIMO SENATVS


Parisiensis præsidj,

HENR. STEPH. S. D.

**A**NTE paucos dies occurro Stephano Pasquiero, celeberrimo (ut scis) in eo cui præsidet præsesque senatu aduocato. Rogat quid rerum agam. Dico, me cuidam qui typographico prelo captiuus detineretur, dimissionem procurare. Quis ille est? Aulus Gellius, inquam. Vnde hæc captiuitas? Id quoque narro. Quum autem ad argumenta Atticarum huius captiui Noctium sermo deductus esset, & famosum Ludouici Viuis de iis iudicium (ita enim famosum dicere iudicium liceat ut famosi libelli dicuntur) mihi exposuisset: ut me in rem præsentem adducat peto. Id continuò fit. nam ingresso bibliothecam librum Viuis ita Gellium infamantis aperit. Hic ego statim mecum, Tantam quæ Gellio facta est iniuriã atque adeo contumeliam, inultamne fines? Egressus verò ex illius ædibus, ad flumen illis vicinum deambulo & verba Viuis à me in chartula exscripta relego: apologiam aduersus ea meditor: eamque proxima nocte incipio, sequente finio. Habes totam historiam.

Ceterum quum ea ipsa nocte recordatus essem, te non ita dudum cuidam magnæ alioqui auctoritatis viro hunc scriptorē apud te vituperātī (quod & ipse fortassis illo Ludouici Vinis iudicio fasciatus esset) & quid doctrinæ nobis afferret quæ aliunde peti non posset, quærenti, ita statim respondi ut obmutescere, & (quæcumque coniiicere erat) sententiam mutare cogeres meæ Apologiæ gratulari cæpi quod talē patronū natura esset. Itaque quod nox illa mihi dederat eam tibi dicandi consiliū, nullus postea dies mutauit: ut certè mutare non debuit. A cuius enim testimonio illa mea Apologia plus ornamenti, à quo etiam plus adiuuenti, si eam adiuuare libeat, sperare potest? Nam si tum, ex improviso orta Gellij accusatione, quum à senatu vixdum reuersus esses, memoria te defensione non destituit (etiāsi primi præsidis inde redeuntis fatigatā memoriā prius se ad talia recolligere necesse videatur) quid quum à forensibus occupationibus aliquātiſper feriato, & præmeditato, ad eā defensionē aduersus quēuis Gelliomaſtiga accedere, & πῶρα μὲν (more tuo) sed μάλα δεινῶς καὶ σοφῶς καὶ ἀξιωματικῶς loqui libebit? Interim tamen vel de hoc ipso quod Gellio iam prestitisti officio tibi meritò gratias agent quicumque illum amore, eius autē obtrectatores odio prosequuntur. Vale.





*AVLI GELLII APOLOGIA*

(ID EST, PRO AVLO GELLIO)

*ADVERSUS LVD. VIVEM,*

*ab Henrico Stephano scripta.*



**Q**UOD Aristotelem de se & Isocrate dixisse ferunt, Turpe sibi esse tacere, illum autē loqui permittere: id multo iustius de Auli Gellij amicis (ita enim fidos & minimē ingratos eius discipulos appello) & de Ludouico Viue dicturus mihi videor: turpe illis esse filere de Gellio, dum hic de eo loquitur: vel potius ei, id est famæ eius, obloquitur. Ac vix equidem statuere apud me possum, magisne hunc sui sermonis, an illos sui pudere silentii oportuerit. Sed quid si, dum ego inquam alij incurrerunt ingrati animi reprehensionem, vitare, & Gellij merita meritis pensare studeo, contrā de eo malē merear? Commemorat enim, Fauorinum philosophum, dicere solitum, turpius esse exiguē atque frigidē laudari, quā insectanter & grauiter vituperari. Et rationem quoque hanc addit, quam ille afferebat: quoniam qui maledicit & vituperat, quanto id acerbius facit, tam maximē ille pro iniquo & inimico ducitur, & plerunque propterea fidem

non capit: sed qui infœcundè atque ieiunè laudat, delitui à causa videtur: & amicus quidem creditur eius quem laudare vult, sed nihil posse reperire quod iure laudet. Atqui, si hoc verum est, nōne istud itidem verum esse fatebimur, ieiunè & frigidè causam alicuius defendere, turpius esse non solum quàm indefensam relinquere, sed etiam quàm cum grauitè accusare? Quod quum ita sit, non immeritò animū meum subit ille metus, ne illi hæctenus suo silentio melius existimationi tanti viri consuluerint (si tamen eiusmodi est hæc accusatio quæ eam in discrimen possit adducere) quàm ego ei nunc oratione mea sim consulturus. Huc accedit & aliud: quòd mihi cum accusatore, quem laudatum esse virum fateri cogor, negotium est. Sicut autem laus ex viri laudati ore proficiscens, perhonorifica est, & facilè fidem impetrat: ita eiusdem vituperatio & valdè ignominiosa est, & facilè ei creditur.

Enimvero, sicut hæc me ab incepto dehortantur & deterrent, ita est quod me ad illud reuocet, ac deiectum animum erigat. Confidero enim mihi latum defensionis campum patere, quòd per Gellij nostri scripta, vnde præcipuè scges argumentorum petenda mihi est, viâ nunc magis quàm vnquam antea triuerim.

Sed quid defensione opus erat (dicit aliquis) aduersus accusatorem, quo inuito scriptor iste

*Perlegitur, placet atque viget, laudatur, amatur?*

ac (siquid istis adiicere fas est quæ quondam Augustus Virgilio euenire precatus est) regnum quodammodo inter alios plurimos tenet? Im-

mo verò defensione opus erat: vt cuius scripta in pretio & honore antea plurimis fuerunt, post-hac sint omnibus: vbi quos viuis accusatio ab iis alienauit, mea defensio conciliauerit, vel (si amici antea fuerant) recõciliauerit. Neque enim fieri posse putandum est quin nonnullos tanti viri autoritas non mouerit solùm, sed etiam permouerit: & quorundam iudicium non concusserit tantùm sed planè labefecerit. Erè fit enim vt magni celebrisque viri iudicium non tantùm præiudicij loco sit nonnullis, sed eorum iudicij vim quodammodo afferat.

Cæterùm quidnam Ludouico Viui in mentem venisse dicemus vt Gellium, virum de literaria republica tam bene meritum, non aliquo dicitario perstringeret, sed eius famam (quantum quidè in se erat) grauitè sauciaret? *π παθών* (vt Græci aptius significantiùsque loquuntur) adeo virum hunc vituperauit, qui contra paucorum vituperator, multorum laudator est? An occultam quandam naturarũ *ἀππαθειαν* in causa fuisse credemus? Quod enim cibus, idem & quorundam scriptis vsuuenire videmus: & sicut quosdam ab illis, ita quoque nonnullos ab his non certa quapiam ratione, sed nescio qua naturalis *ἀππαθεία* vi, abhorrere. Nec dubium est quin ei hoc imputandum sit, quòd aliquem amore complecti non possumus, in quo tamen nihil quod non amore potius quàm odio dignũ sit, inuenerimus. Ac tale est quod Martialis sibi erga Sabidium euenire fatetur,

*Non amo te Sabidi: nec possum dicere, quare:*

*Hoc tantùm possum dicere, non amo te.*

Verùm qui hoc quod inter amoré & odium est confinio sese contentos dicunt, à maledictis abstincent. Quod Viues tantum abest vt fecerit, vt eius maledicentia aliquid etiam habeat virulentia. Quam igitur aliam esse causam suspicabimur? an ( vt hîc quoque à cibus sumpta comparatione vtar, quemadmodum illi qui certis quibusdam morbis laborant, præterquam quòd ciborum saporem non sentiunt, aut, si sentiunt, eo offenduntur pòtius quàm delectantur, etiam de quorundam sapore contrarium omnino iudicium ferunt iis omnibus qui valent ( vt ab iis qui ictero laborant mel pro amaro haberi fertur ) ita Viuis iudicium aliqua tunc ægritudine laborasse existimandum est, quum de Gellianis Noctibus illa scripsit? Immo verò Viui minimè hoc accidisse, & aliunde illam eius maledicentiam esse ortam, mihi persuadeo. Id autem quod afferam, eiusmodi est, vt me totius mali originem allequutum esse, & rem acu ( quod aiunt ) tetigisse dicturi sint, vt opinor, quicumque & Gellij scripta diligenter atque adhibito iudicio euoluerunt, & Hispani nunquam ne per somnium quidem fuerunt.

S E D prius ad singulas eius obtrectationes, aut ( si mauis ) singulas eius obtrectationis partes, ordine respondebo: ad respondendum quidem certè totas ingenii vires omnesque huius noctis horas impendam. Quem laborem multum mihi minuisset Viues, si aliquot saltè locorum exemplis, tanquam fide dignis testibus, suæ censuræ ( hanc enim fortassis appellationem suæ maledicentiæ prætexuit ) autoritatem compara-

ADVERSUS LVD. VIVEM. 5  
 re conatus esset. Nam in iis quos attulisset locis, facile ( vt opinor ) ostenderem , id illum in Gellio vituperando fecisse quod ipse Gellius de Cæsellij Vindicis reprehensoribus elegantissimè dicit , eos in illo reprehendendo multa per calumnias etiam rimatos esse. Sed quum ita Aulo Gellio obtrectauerit Ludouicus Viues , vt ne vllam quidem eorum quæ dicit particulam exemplis cõfirmare studuerit, perinde ac si suis , sicut olim Pythagoreis , αὐτὸς ἔφα, satis esse debèret : ego contrà ita defensoris partes agam , vt , siquid in memoriam veniat quod ei aliquam calumnian- di ansam præbere potuisse rear, minimè id silen- tio præteream.

PRIMUM igitur Aulus Gellius à Ludouico Viue audit, *Homo rhapsodus planè*. Quid hoc verbi est, Ludouice obtrectator? Latina sit saltem, aut Græca, nõ barbarâ, tua obtrectatio. Scisne quid *rhapsodus* Græcis sonet? nostine, ἐν τῷ ῥάψῳδῳ & ἐν ῥῆσῶδῳ compositum esse hoc vocabulum? an te non præterit, Homero & Hesiodo titulum hunc datum primò fuisse? an te non fugit, eos qui ῥάψῳδοὶ vocarentur, ῥάψῳδοὺς etiam nominatos fuisse? Quasi verò, si hæc te non latuissent, aliud primordiũ illi tuæ accusationi non fueris quæsiturus, quam quo lectori nequaquam ἀγροίκῳ, & ( vt Gellius noster loquitur ) minimè insubido, ridiculus esse posses. Neque enim ignorasse te credibile est, nihil magis ridiculũ esse quàm malè in maledicendo loqui. Parũ tamen abfuit quin aliquid commodi ex illo malo sis consequutus. Risus enim mihi ex illo tam inepto vocis istius vsu obortus præparatum Gellio patrocini-

nium è pectore propemodum excussit.

Verùm, vt tandè non de eo quod dixisti, sed de eo quod dicere voluisti, agam, an ille aliud nihil quàm confarcinator aut confutor esse dicendus est ( hoc enim rhapsodi appellatione significare te voluisse cõstat) qui plerunque suũ iudiciũ ita interponit de locis quos vndiq; collectos depromit, vt magnam lectori vtilitatem, vel voluptatem, aut etiam vtrumque afferat? An tantummodo confarcinatorẽ vocare fas est eum qui de plerisque locis quos operi suo insuit, nõ minus fideliter quã doctè lectorẽ monet, quid in iis suspectũ, quid fide dignũ esse possit? quid potissimũ in iis obseruare, quid doctrinæ ex iis reportare eum deceat? Quòd si tamen nusquam de suo quicquã adiiceret, nõne vel eo nomine multum illi deberemus, quòd inter tam multos tam diuersorum scriptorum locos, eorum qui suis vigiliis essent digni, delectum habuit?

SECUNDA exprobratio est, *Congestor potius quàm digestor.* Quid? an se digessisse Gellius dicit, aut digesturũ promittit, quos affert locos? Tantum certè abest vt hoc se fecisse dicat, aut facturũ promittat, vt contrà vltimo vltimi libri capite hæc scribat, *Vsi autẽ sumus ordine rerũ fortuito, quẽ antea in excerpẽdo feceramus. Nam proinde vt librũ quemque in manus ceperã, seu Græcum, seu Latinũ, vel quid memoratu dignũ audieram, ita quæ libitũ erat, cuius generis cũque erant, indistinctè atque promiscuè annotabã.* Quibus subiungit, se ea ad subsidium memoriæ, quasi quoddam literarum penus, solitum recondere: vt, quando vsus venisset aut rei aut verbi cuius fortè obliuio se tenuisset, & libri ex quibus

ea sumpserat, non adessent, sibi inde facile iuuentu atque deprōtu foret. Atque his addit, hanc esse causam disparilitatis rerum quæ est in his Commentariis: simulque ostendit cur indigestè scripti fuerint. *Facta igitur est (inquit) in his quoque cōmentariis eadem rerū disparilitas quæ fuit in illis Annotationibus pristinis: quas breuiter et indigestè & inconditè annotationibus, tractationibus, lectionibusque variis feceramus. Vbi (vt de hoc obiter moneam) suspecta est vox annotationibus in posteriori loco.*

Solitos autem fuisse & alios nullum ordinem in huiusmodi commentationibus seruare, discimus ex iis quæ ab ipso adduntur. Scribit enim, eos, quia variam & miscellā & quasi confusaneā doctrinam conquisuerant, ideo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indidisse. Eorum autem titulorum vnus est *ὁ ποικίλος ἰσορίας* (ita enim scribendum est) quem placuisse Æliano videmus, simulque illam miscellam & quasi confusaneam scribendi formam. Si peccauit igitur Gellius, quòd multa congefferit potius quàm digefferit, peccauerant ante eum multi in eodem scriptiois genere, & post eum etiam peccatū à nōnullis fuit: idcòque si ita irridendus est ille vt dicatur congestor potius fuisse quàm digestor, eadem irrisione digni sunt & illi. Sed cur ea vel Gellius vel illi digni sint? etiamsi erim summo iure cum illis agatur, negligentia non imperitiæ imputare potuit Viues quòd in communes quosdam locos suas cōmentationes nec Gellius nec illi digefferint.

Verùm ego negligentiam hanc (si tamen ita de illis loqui licet) multis iam pridè lectoribus fuisse,

& quotidie multis esse. contrà autem illam digerendi diligentiam multis negligentiae causam futuram fuisse dico. Non pauci enim sunt quos quum statim fastidium lectionis capiat, ex illis communibus locis certos quosdam tantummodo legerent, qui sui palati essent: nunc autè, quoniam ea quibus delectantur, per totum volumen sparsa sunt, & aliis intermista: dum hæc querunt, quæ suum *ἐργον* esse volūt, interim alius quoque oculos, interdum & mentem, velut *ἐν παρέργω*, adiiciunt. Fortassis autem damnum etiam ex illa diligentia posteritas accepisset. Credibile est enim, si ita digeste commentationes illæ fuissent, multos, qui totum earum volumen describendum curarunt, certa quadam eius portione contentos futuros fuisse.

Venio ad TERTIUM, quod nostro Gellio obiicit hic accusator: *Ostentator potius quam peritus*. Vbi, quæso, hæc ostentatio? cedo eius vel unum exemplum. Atque hinc eius quod pollicitus sum recordor: idque præstare volo. Quum enim sponderim me ita defensoris partes acturum, ut siquid in memoriã veniret quod Ludouico Viui accusatori aliquam calumniandi ansam præbuisse existimarem, id minimè præmitterem: hinc aliquos capitum titulos proferam, quorum obtentu hac calumnia Gellium incessisse videri potest. Prius tamen pauca de illis capitum titulis, quos & summas vocare possumus, præfabor: eos quos nunc sub Gellij nomine habemus, non eius sed Pseudogellij cuiuspiam esse: quum multa in illis legantur, non solum à Gellij sermone sed interdum etiam ab eius



mente abhorrentia. Pluribus autem eorum sententiam refellerem qui pro Gellianis habēt, nisi συγγεγραμμένων aduersus illos meditarer. His igitur nunc super hac re contentus, quosda eorum proferam: & initium ab eo sumam qui præfixus est capiti secundo libri septimi, *De Casellij Vindicis pudendo errore, quem offendimus in libris eius quos inscripsit Antiquarum lectionum.* Titulū hunc non dubito quin Viues allegaturus fuerit tanquam ostentabundum. Quamuis enim & in ipso capite aliquid iactantiæ esse videri queat, quum dicit se turpe erratum ostendisse in illis celebratissimis commentariis Lectionum antiquarū Cæselli Vindicis: & quū addit, hoc erratum multos fugi se qui alioqui multa in Cæsellio reprehendo etiam per calumnias rimarentur: quāuis, inquam, iactantius hæc dicta videri possint, ipso tamen titulo plus offensum iri nonnullos credibile est quoniam hic scorsum legitur, at illic subiunguntur statim quæ tale fuisse illud erratum ostendant, & propter quæ lector Gellio de eo admonenti gratiam habeat, simulque illi, tanquam non nimium magnificè de se loquuto, ignoscat. Vt taceam interim, illud *pudendo errore*, paulo etiam ἐπιμνηκώτερον videri posse dictum quàm si *turpi errore* dixisset.

Verum alij tituli sunt de quibus iustius quàm de hoc queri possumus; quippe qui verba ostentabundā quandam ἐπίμνησιν præ se ferentia habeant, quorū tamen ne vmbra quidē in ipso capite apparet. Hic enim est titulus siue hæc summa capitis sexti libri secūdi, *Quibus verbis ignauiter & abiectè Virgilius vsus esse dicatur: et quid hīs qui*

*id improbè dicunt respondeatur.* At Gellium cum Gellio, vel potius Pseudogellio, confer: nihil modestius dici potuisse fateberis. scribit enim, nonnullos grammaticos ætatis superioris (in quibus esset Cornutus Annæus) haud sanè indoctos neque ignobiles, qui commentaria in Virgilium composuerunt, reprehendisse quasi incuriosè & abiectè positum verbum *Vexasse*: in illo Virgilii loco, *Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates.* Quinetiam eos, inter accusandum, velut quodammodo excusare volens, addit, quid eos mouerit vt hoc dicerent. Putasse enim eos *Vexasse* verbum esse leue, & tenuis ac parui incommodi: nec tãtæ atrocitati congruere, quum homines repentè à bellua immaniissima rapti laniatique sint. Eandem autem modestiam seruat & in proponendis aliis quæ reprehenderunt, (afferens simul rationem qua niterentur) & in respondendo eorum reprehensionibus. Quæ procul absunt ab illis tituli verbis, *Et quid ijs qui id improbè dicunt respondeatur.* Illud enim *improbè* sonare videtur Impudenter, seu Impudenti quadam audacia.

Non dubito quin itidem in exemplum allaturus fuerit Viues istum titulum capitis noni libri secundi, *Quòd Plutarchus euidenti calumnia verbum ab Epicuro dictum insectatus est.* Qui enim se iactare vult, quo magis odiosam accusationem reddidit, eo maiorem suæ defensionis fauorem & laudem quærit. Sed vide quàm nihil tale cogitarit Gellius: quum, verbis eius insistendo, titulus hic præfigendus fuisset, *Quòd Plutarchus minutè ac propè etiam subfrigidè verbum quoddam Epi-*

ADVERSUS LVD. VIVEM. II  
cui reprehendit. vel potius, *Plutarchum m. ac propè  
etiam s. v. q. Epicuri reprehendiſſe*. Neque enim  
Gellium illam particulam huiusmodi locis ad-  
hibiturum fuiſſe exiſtimo.

Sed vnus eſt titulus præ quouis alio oſtenta-  
tione plenus: hic videlicet, capiti vigefimo libri  
decimifeptimi præfixus, *Verba ſumta ex Sympoſio  
Platonis, numeris coagmentiſque verborum, ſcitè, mo-  
dulatè aptèque, exercendi gratia, in Latinam oratio-  
nem verſa*. Verùm quod tu audire non poteſ, Vi-  
ue, audiant pro te (quod & de cæteris à me dictū  
exiſtimari volo) quicumque tuę patrocinari ſen-  
tentiaę voluerint. Audiant (inquam) quanta in  
hoc non ſolùm tam iactabundo ſed arroganti  
etiam titulo iniuria Gellio fiat. Libri decimi ca-  
piti vigefimo ſecundo, cuidam Gorgiæ Platonici  
loco hæc præfatur, *Verba ipſa ſuper hac re, Plato-  
nis, ex libro qui appellatur Gorgias, ſcripſi: quoniam  
vertere ea conſilium non fuit: quum ad proprietates eo-  
rum nequaquam poſſit Latina oratio adſpirare, ac mul-  
to minus etiam mea*. Qui ſe vno in loco adeo viri-  
bus ſuis diffidere fatetur, adeone illis confidere  
in altero profiteretur? Cuius tanta hîc modestia  
cernitur, tantane eius arrogantia illic conſpice-  
retur? Niſi fortè (ſiquid iocari etiam fas eſt tan-  
tum profeciſſe exiſtimandus eſt Gellius illo tẽ-  
poris interuallo quod inter librum decimum &  
decimumſeptimum interceſſit, vt quam in ſe &  
ſentiebat & fatebatur infantiam ad vertendum  
Platonis ſermonem, eam in eloquentiam Lati-  
nâ Græca Platonis dignam, & illi *ισόρροπον*, mu-  
tatam eſſe ſentiret. Sed (extra iocum) alia ſunt,  
quæ quum à me aduerſus illum titulum afferri

possent, illi quod dixi *συνηγεμματαίω* referuare malo.

Modestiam Gellii, & naturam Thraſonicæ planè contrariam hoc etiam nobis manifestam facit, quòd cum nusquam pudet fateri per què profecerit, in his etiam quibus alioqui tanquam *οἶκοςθεν* allatis gloriari, nullisque testibus plagii conuinci posset. Adde quòd & rarò & parcè vituperat, frequenter liberalitèrque ac prope modum prodigè laudat.

Quum igitur ostentationis & iactantiæ suspicionè Gellium liberasse mihi videar (neque enim vllù esse puto locum, qui illum æquè huius vitij reddere suspectù posset ac illi quos at- tuli) restaret vt eum imperitiæ quoque nota illi simul obiecta purgarem: sed quoniam quarta etiam obtrectatio hanc eum macula seu labe aspergit, in eum omnia locum reiiciam.

Sed nã ego scæuus sum (non scæuus, sed scæuus Gellianè dico, id est *σκαυός*) qui, dum Viuis sermonem imitor, à Latinitate vnà cum illo aberro. Nam quum imperitiæ notam Gellio esse obiectã dico, ad illa ipsius Viuis verba respicio, *Ostentator potius quàm peritus*. Vbi *peritus* illi is est qui à Latinis (iis quidem certè qui purè ac tersè loquuntur) aut Literatus, aut Doctus seu Eruditus appellatur. Sed quis illi vocabulo vsum hunc tribuit? Est Peritus qui Græcis *ἐμπειρος*: sicut Imperitus, qui illis *ἀπειρος*: siue originem habet à Perio, quod olim pro Aperio vsurpatum fuisse ferunt: siue (quod potius mihi persuadeo) à Græco *πῆγ* manauit. Quid? an Græci *ἐμπειροῦ* pro literato, seu docto vel erudito, & vi-

cissim *ἀπειρον* pro illiterato, seu indocto aut inerudito, dicunt? Nequaquam: sed quum hoc significare volunt, *ἀπαιδευτον*: quum illud, *ἀπαιδευτον* dicūt, aut periphrasticè, *παιδείας δὲ ἔχοντα*, siue *δὲ ἤκοντα*, aut etiam *παιδείας πόρρω ἤκοντα*. Ciceronem quidem constat, hæc Platonis, *οὐκ οἶδα παιδείας ὅπως ἔχει*, interpretatum esse, *Quam doctus sit ignoro*. Sed & *ἀμαθῆ* eum appellant qui indoctus est, seu ineruditus: pro docto seu erudito non *ἀμαθῆ* dicunt (alium enim istud usum habet) sed *πολυμαθῆ*. sic tamen ut huic vocabulo quædam potius vis superlatini insit: perinde acsi Doctissimum, aut Valde doctum dicas. At *ἐμπειρον* & *ἀπειρον* vel hoc significato non vsurpant, vel non sine adiectione, siue genitiui *παιδείας*, siue alius quod certam quampiam disciplinam significat. Quum verò *γραμμάτων ἀπειρον* dicunt, plerumque non de eo loquuntur qui tantum est ineruditus, sed de eo qui vna etiã voce *ἀγράμματος* appellatur: cui respōdet interdum Latinum Illiteratus. Cuiusmodi (quod ad Græcam linguam attinet) fuit ille cuius mentionem ipse Gellius facit libri vndecimi capite decimosexto: quem literarum & vocum Græcarum expertem fuisse scribit: & non malè (ut opinor) eum *ἀναγράβητον* etiam dixerimus. Græci denique quiduis potius quàm *ἐμπειρον* & *ἀπειρον* pro erudito & inerudito, siue illiterato, vsurpant. At ego Latinos nihilo magis Peritū & Imperitum ea significatione dicere cōtendo, nisi cum aliqua adiectione. Itaque liberū mihi esse dico, quum Gellium peritum esse negas, cuiuscumque libuerit rei peritū intelligere.

A Cicerone quidem certè alius antiquitatis veterumque scriptorum peritus dicitur: alius, iuris & officij: ( sicut ab Horatio quidam, Peritus iuris & legum ) alius, belli ac rei militaris: alius, multarum simul rerum peritus. Est etiã qui cantandi peritus à Latinis dicatur, est qui dicendi, est qui docendi, est qui definiendi, est qui belli gerendi, est qui agri colendi: est denique qui pingendi, vel sculpendi: est qui fabricandi: quid est vel horum vel illorum cuius peritum Gellium esse negas Ludouice? Non ignoro, & sine adiectione interdum poni hoc vocabulum: sed tum lectoris est, pro te de qua agitur, aliquid subaudire, ut grammatici loquuntur. veluti quum poetarum elegiacorum vnus (Propertius, si bene memini) canit,

*Me dolor & lacrymæ meritò fecere peritum.*

& quum itidem canit Naso,

*-- vati parete perito.*

Vtrobique enim subaudiendum est τῶν ἐρωτικῶν καὶ θρηνητικῶν, vel τῆς ἐρωτικῆς καὶ θρηνητικῆς, aut tale quid. Sic quum patronos peritissimos dicit Cicero, intelligit, peritissimos rerum quæ ad beneficium patrocinaudum requiruntur. Aut breuius, artis suæ peritissimos. Respondebit fortasse pro te quispiam, itidem cum illa tua voce Peritus, subaudiendum esse genitium *literarum*: sed ego præter morem id esse dico. Tuum ergo fuerit (ut Gellium si non meritò, at Latinè saltem vituperes) illud vocabulum in aliud mutare: meum autem, ad illam tuam obtreccionem quartam tandem accedere.

Illam igitur QVARTA obtreccatio, hæc est,

*Loquaculus, sine eruditione* Quam tu mihi loquacitatem narras? in qua totius voluminis parte eam ostendes? Amat nox silentium: non siluit tamen noctibus Atticus Gellius ( quod certè non nisi magno literarum damno fecisset ) sed aduersus grammaticos, rhetores, philosophos, & quosdam alios, acriter disputauit. Verùm non tamen & loquax fuit, sed mediam quandam inter silentium & loquacitatem viam tenuit. Quid? eúmne loquacem, aut ( vt tu Ludouice appellas ) loquaculum fuisse credibile est, qui ne eam quidem loquacitatem amabat, quæ eloquens, aut disertata saltem seu facunda esset? qui eam non modò non sectabatur, sed etiam palam insectabatur? An tu Viue libri primi caput decimũquintũ legeras? aut certè, an eorũ quæ ibi à te lecta<sup>a</sup> erant, memineras? Nam lectum à te fuisse, facile crediderim, sed tibi tunc in memoriã venisse, nunquam mihi persuaserim. Eú enim ibi in vitium istud acerrimè, non suis tantùm sed aliorũ, tam Græcorum quàm Latinorum scriptorum, verbis inuehentem, & variis ipsum nominibus appellantem audimus. Non enim solùm *Loquacitas*, sed etiam *stulta & inanis dicendi copia*, necnon *verborum turba magnitudine inani vasta*: item *petulantia verborum*, quinetiam *loquendi temeritas* ab eo vocatur. Homines autem huic vitio obnoxij, *Leues & futiles & importuni loquutores* ab eo dicuntur: item *Homines stulta & immodica blatterantes* ( quibus & hæc addit, *quorum lingua tam prodiga infranisque est, vt fluat semper aestuetque colluuiione verborum teterrima* ) necnon absque periphrafi, vetusta vsurpando vocabula, *Loquutulej*, & *Blatte-*

rones, & Lingulaça. Sed omiffa est à me inter periphrasticas appellationes vna quam ex eius verbis videmur posse colligere, vt dicamus, *Hominnes qui loquentes, plerumque videntur loqui sese nescire.* Postquam enim de iis qui sunt leues & futiles & importuni loquutores, dixit, bene existimatum esse, eorum orationem in ore nasci, non in pectore, hæc subiungit, *Linguam autē debere aiunt non esse liberam nec vagam, sed vinculis de pectore imo ac de corde aptis moueri & quasi gubernari. Sed enim videas quosdam sic scaterere verbis sine ullo iudicii negotio* (quæ postrema vox mihi est suspecta) *cum securitate multa & profunda, vt loquentes, plerumque videantur loqui sese nescire.* Ab his autem verbis statim ad Homerum venit: qui Vlyssē contra, virum sapienti facundia præditum, vocem non ex ore sed ex pectore mittere ait. Quæ tamen (vt de hoc ἐν παρόδῳ moneã) non ita intelligenda sunt quasi Homerus de Vlyssē dicat, illum ὄψα mittere solitum οὐκ ἐν σώματος, ἀλλ' ἐν σήθεος: verum hoc modo, Homerum de eo non dicere, ὄψα ἴει ἐν σώματος, sed ab eo dici, ὄψα ἴει ἐν σήθεος. Paucis autē n verbis interiectis, eundem laudat poetam quòd petulant & verborum coercendæ vallum esse oppositum dentium dixerit: vt loquendi temeritas, non cordis tantum custodia atque vigilia cohibeatur, sed & quibusdã quasi excubiis in ore positis lepiatur. Quæ item verba non ita sunt intelligenda, vt putemus ab Homero rationem illius oppositionis valli reddi: sed quemadmodum pulchrè philosophatus erat noiter Gellius super illo Homeri dicto, ὄψα ἐν σήθεος ἴει, & quam Homerus eius causam mē-



conditam tenuerat, ipse nobis aperuerat: ita & de vallo dentium (quod Homerus ἔρκος ὀδόντων vocat) bellè, non Homeri verbis sed suis, ex Homeri persona, philosophari. Interiectis autem M. Tullij & M. Catonis (quem atrocissimū huius vitij infectatorem esse ait) testimoniis, ad Homerum redit. *Neque non* (inquit) *merito Homerus unum ex omnibus Therfiten, ἀμετροεπῆν, ἀπρόμυθον appellat: verba illius multa & ἀόσυμα strepentium sine modo graculorum similia esse dicit.* Eupolin deinde, & post eum, Hesiodum (quem prudentissimum poetarum perhibet) testem laudat. Quinetiam Epicharmi eodem pertinentem versum profert. A quibus ad Fauorinū descendit, Euripideos quosdam versus huic quoque sermoni accommodantem. Huius verba quidā Salustij locus excipit, quem ex Valerij Probi auctoritate ita scribit, *satis loquentia, sapientia parum:* quum ita scribi soletet, *satis eloquentia, sapientia parum.* siquidem Loquentiam nouatori verborū Salustio maximè congruere, eloquentiam cum insipientia minimè conuenire. Postremò quosdam Aristophanus versus avert, huiusmodi loquacitatem verborumque turbam magnitudine inani vastā insignibus vocabulis denotantis.

Iam verò & in philosophis à Gellio istud loquacitatis vitium grauiter aliquot locis reprehendi videmus: & ab eodem nos admoneri (libri primi capite secundo) quomodo ab Epicteto reprehensum fuerit. *Quibus verbis* (inquit) *Epictetus seuerè simul ac festiuiter sciunxit atque diuisit à vero atque sincero Stoico vulgus aliud nebulonū hominum, qui se Stoicos nuncuparent, a trāque verborum &*

*argutiarum fuligine ob oculos audientium iacta sanctissima disciplina nomen ementirentur.* Neque enim illa verbotum & argutiarum fuligo sine loquacitate erat.

Vt tamen de iis taceam locis quibus in loquaces philosophos inuehitur Gellius, & ad illum à me antea excussum reuertar, an is, si huic obnoxius vitio fuisset, tam studiosè tamque accuratè omnia propemodum quæ aduersus ipsum afferri poterant, in compendium redegisset? & aduersus loquaces declamans, aduersus seipsum declamator esse sustinuisset? Duo sunt quæ responderi posse scio. Quorum vnum est, illum, quod in aliis infectaretur vitiù, in seipso non animaduertisse: alterum, animaduertisse quidè, sed corrigere nõ potuisse. Ac fortassis ad prius illud testis citabitur Catullus, vbi negat nos quod in manticæ tergo est videre: citabitur & Horatius, vbi scribit,

*Quum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,  
Cur in alienis vitiis tam cernis acutum,  
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?*

Sed ego vtrumque loqui potius existimo de diuerso vitiorum genere, quàm de iis ipsis quæ in aliis vituperantur: & rarò accidere vt quis illo ipso vitio quod in alio grauiter reprehendit, laboret. Ad posterius autem illud quod attinet, fateor quidem esse plurimos, qui, quum vitia quædam in seipsis non animaduertant solùm, sed & detestentur, corrigere tamen non possint: verùm eos in aliis ea ipsa ita detestari nego, vt etiam aduersus illa declament, eo quo Gellium modo contra loquacitatem declamantem audi-

ADVERSUS LVD. VIVEM. 19  
mus. Quòd si tamen Gellium hoc laborasse vi-  
tio concederem, at cui hoc fieret verisimile, eum  
adeo in illud fuisse proiectum, tamque insanabi-  
lem ei fuisse illum linguæ morbum, vt tam mul-  
ta aliis quidem, at non sibi caneret? vt alios his  
sapientum virorum dictis *σπουδς* reddere conare-  
tur, at sibi minimè ( sicut nec ille *σφισης* Euripi-  
deus ) *σπουδς* esset?

Transeo ad alteram huius quartæ obtrecta-  
tionis partè: in qua ( sicut & in posteriore præ-  
cedentis ) peius quàm in alio vllò totius accusa-  
tionis loco Gellius noster ab Hispano illo tra-  
ctatur: quum eum pro homine inerudito ab  
omnibus haberi velit. Quid? non satis erat, dixif-  
se, Gellium congestorem potius quàm digesto-  
rem esse? non contentus eras ostétatorem & lo-  
quacem appellasse? etiámne dignus tibi visus est  
qui omni eruditionis laude spoliaretur? At ego  
illa omnia potius quàm hoc postremum tibi  
concederem. Itáne eruditione carent hæ Noctes  
Atticæ, quæ tam multos de multis erudiunt? Itáne,  
qui ineruditus est, aduersus doctissimos grā-  
maticos, rhetores, philosophos, disputare, & in  
suam illos sententiam pertrahere potest? Itáne  
eruditi nomine est indignus qui de rebus ad va-  
rias disciplinas pertinētibus tā aptè tamq; perspi-  
cuè & dilucidè differit? Si grāmatices, si rhetori-  
ces, si philosophiæ, aut etiã philosophiarū (vt eius  
more loquar) minimè rudem fuisse ostendero,  
an tu, Ludouice, eum minimè ineruditum fuisse  
fateberis? tum certè vnanimi consensu omnes  
ad hoc fatendum te adigent, hanc omnes à te  
confessionē extorquebunt. At hoc tamen osten-

dere, res minimè laboriosa mihi fuerit. Primùm enim hoc te negare puduerit, afferri ab eo multa non omnibus illius seculi grammaticis nota, sed ex penetralibus & quasi ex adytis grammaticæ artis deprompta. Atque hoc in numero posse locari existimo ea quæ de præperibus pennis, de succidancis & præcidancis hostiis, ab eodem scribuntur. Alicubi etiam nos de nonnullis loquendi generibus admonet, quæ quum similia videantur, dissimilia tamen sunt: vt, *Mentiri & mendacium dicere: itē Cum populo agere & Concionem habere*. Vicissim verò, *Quoad viuet, & Quoad morietur*, quū contraria videantur, quomodo ad vnā eandemque significationem referantur, ostendit. Cōmonefacit nos & de vsu quē apud veteres Latinos habebant quædam vocabula: vt *Elegantia, Humanitas, Leuitas, Nequitia*. Quinetiam quarundam particularū vim nobis incognitam aperit: ex quibus est Præpositio *Intra*. De qua quàm sit utilis eius dissertatio, ij saltem testari possunt qui norunt quantum nonnullos iste Horatii locus torseit,

*Idcirco ne vager, scribamque licenter? an omnes  
Visuros peccata putem mea, tutus, & intra  
Spem venia cautus?*

nec defuisse inter enarratores qui *intra* mutandā in sibi contrariam *extra* clamaret: & in quoduis pignus vocaret (vt hīc quoque Gelliano sermone vtar' si alia quàm hæc lectio, germana esset.

Quinetiam quorundam vocabulorum abusus in sermone hominū suæ ætatis ab eo detegi videmus: adeo vt vel ipse Viues hunc quem imperitum vocat, sermonis saltem peritorem quàm

illos fuisse, fateri necesse habeat. Iam verò & hoc, quod multo maius est, aliquot locis ab eo præstari nouimus, vt modò sui sæculi grammaticos, modò quosdam ex iis qui hos antecesserant, magnamque sui nominis celebritatem reliquerant, partim in grammaticorum, partim in aliorum numero ponendi (ex quibus sunt, Nigidius, Cæsellius Vindex, Higinus) falsarum expositionum, aut etiam iniustarum reprehensionum reprehendat & conuincat. Atqui potuissetne (obsecro) hanc de egregiis artificibus victoriam reportare qui artis ignarus fuisset?

Obiter autem hinc modestiam Gellij nostri iterum commendabo, & quam procul absit ab illa quam accusator ei obiicit ostentatione, manifestum faciam. In vno enim eorum quos dixi locorum, scribit, *sed (quod sit cum honore multo dictum P. Nigidij, hominis eruditissimi) audacius hoc argutiùs, que esse videtur quam verius.*

Rhetoricæ autem artis præcepta quam bene tenuerit, ostendunt nonnulla minimè vulgaria, quæ ab eo aueruntur: ac multo etiam magis patet ex iudicio quod fert, tanquam censor, alicubi suis, alicubi etiam aliorum verbis, de quibusdam summorum oratorum locis.

In philosophia etiam non versatum solummodo sed multum fuisse exercitatum, qui testentur loci, passim occurrunt. Ac quum de eo nullus dubitationi locus relinquatur, de hoc contra ambigi potest, in qua eius parte exercitatio fuerit: adeo insignia nobis suæ doctrinæ exempla non minus in dialecticis, seu logicis, quam in ethicis; nec minus in physicis quam in ethi-

cis, aut dialecticis, exhibet. Neque tamen quam esse potissimam eius partē & magis βιωφελῆ existimet, in dubio nobis relinquit. Quinetiam, nō solum quæ selecta sibi, sed etiam quis præcipuè in illa placeat, inuit. Scio & sophisticas argutias, quæ sophismata etiam vno dici verbo possunt, in quibusdam locis ab eo afferri: verùm exempla earum nobis proponit, non vt vtamur, sed vt quum cognitæ nobis fuerint, cauamus ne quis iis aduersum nos abutatur: & de iis, non aliter quàm medicus de venenis, dillerit.

Tacco alia quâ plurima, quæ ex locuplete horum librorum penu depromere possumus. In quibus τὰ πολιτικὰ (nisi iam sub appellatione τῶν ἠθικῶν comprehensa fuerunt) non postremum locum obtinent. Quum autem Politica iurisprudentiam quoque complectantur, atque adeo iurisprudentia sit velut anima (si mihi ita loqui fas est) τῶν πολιτικῶν: multa his in Noctibus huic quoque scientiæ lucem afferentia legi, quis vquam præter Viucm, ignorare se simulauit?

Finem hîc enumerationi meæ imponere decreueram: sed τὰ ἰσορικὰ, quæ subitò in mentē venerunt, silentio præterire, religioni habui.

I nunc, Viue: in tam varia & multiplici eruditione aliquantulum eruditionis, velut aquæ guttam in vasto mari, te desiderare dicito.

QVINTA vituperatio (id est, quintum vituperationis caput, aut, vt quidam loquuntur, quintus vituperationis articulus) hæc est, *In verbis & sententiis putidulus*. Immò tu ipse putidissimè & vanissimè hoc de viro loqueris, quū cum in verbis & sententiis putidulū esse scribis. Nam,

ADVERSUS LVD. VIVEM. 23  
 vt de verbis primùm dicam, selectis & elegantibus vocabulis, ac valde significantibus vti, ἐμφορικώτατα plerisque in locis loqui, putidi sermonis esse, qua fronte dicere audes? At magnum est in hoc scriptore neuãdi studium. fateor: sed Sallustium quoque (in diuerso alioqui scribendi genere) nouatorem fuisse nemo negat: & quis tamen putidum sermonẽ eius appellat? Verùm, quoniam de stylo huius scriptoris seorsum tractare decreui, longior in respondendo ad priorem hanc partem non ero, sed ad posteriorem me conferam.

Quæ sunt igitur istæ sententiæ in quibus putidulus est Gellius? Hæc certè obtrectatio vna est ex illis quæ me credere coegissent, Ludouice, alia Gellii scripta manibus versata tuis fuisse quàm quæ à cæteris mortalibus teruntur: nisi in mentem mihi venisset, suspicari, maledicentiam tuam ex vlciscēdi studio totam esse profectam. de quo studio non multo pòst dicam. Nunc autem, agedum, quænam esse possunt istæ sententiæ, quibus putorem audes obiicere? De hoc quidem certè non dubito, quin verborum & sententiarum mentionem faciens, id significare velis quod Græci, quum λέξις & δόξιν dicunt. Quo vitur modo & qui tibi sordet Gellius, quum dicit, *Crispum sanè agmen orationis, rotundumque, ac modulo ipso numerorum venustum: sed quod cum venia legēdum sit verbi paulum ideo immutati, vt sententiæ fides salua esset.* Quinetiam Cicero ita vitur cum alibi, tum in quodam qui ab eodem scriptore affectur loco, *Quid enim est tam furiosum quàm verborum vel optimorum atque ornatissimi.*

*morum sonitus inanis, nulla subiecta sententia nec scientia?* Quo in loco *πλευράζειν* videri possunt hæc postrema vocabula, *nec scientia*. quis enim aliquid scientiæ ex verbis iis expectet quibus *sententia* quidē vlla subiecta est? Verūm ad te, Ludouice, vt redeā, te sententias ea significatio-  
 vsurpasse, omnino mihi persuadeo: quum alioqui non ignorem sententias Latinis esse etiam quas Græci *γνώμης* vocant. Sed sententię q̄ ē *γνώμῶν* appellationem mererentur, putidæ aut putidū' ē nullo dici modo possent. Quamobrem in illis non in his sententiis tuus ille putor apud Gellium nobis quærendus est. Ego sanè olfactu (quo talia quæ untur, quamuis non libenter inueniantur) iam pridem quæro: sed tale nihil olfacio. Hispanicum igitur aliquem nasum præstolabor, qui mihi ista in re tui sit vicarius. Interea ve ð isti putido sermoni, cuius materiam censura tua præbuit, quandam Gellii, nō tui, sed nostri, opponam sententiam, cuius suauolentia alius cuiusuis putorem fœtorémque superare posset. Eo autem lubentius hanc afferam, quòd quicumque tuæ in Gellium malevolentia hæres non erit, fateri cogetur eum summa & admiratione & laude dignum esse, vel hoc nomine, quòd ex veterum scriptorum locis non minori cum dexteritate quàm sagacitate aut penitus abstrusos & latentes quosdam sensus eliciat, aut quos præ se ferunt, latius extendat, illustriorésq; reddat. Cuius rei luculentum exemplum nobis suppeditat libri secundi caput decimum octauum. Duos enim versus de Epicteto & ab Epicteto scriptos (aut certè qua-



si ab Epicteto ) afferre volens, hæc præfatur, *Eius Epicteti etiam de se scripti duo versus feruntur: ex quibus latenter intelligas, non omnes modò diis exosos esse qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur: sed esse arcanas causas ad quas paucorum potuit pervenire curiositas. Vbi pro illis verbis, non omnes modò diis exosos esse ( quæ lectio stare non potest ) in exemplaribus quorum editionem procuravi, legitur, non omnes omnimodis diis exosos esse: sed veram lectionem esse arbitror, non omnimodis diis exosos esse. Verisimile est enim vocẽ omnimodis incognitam in duas illas omnes & modò mutatam fuisse. Versus autem hi sunt, qui ab eo subiunguntur,*

Δῶλος Ἐπίκτητος γυνόμενος, καὶ σώματι πρὸς,  
καὶ πένιῳ Ἴσος, καὶ εἰλῆς ἀθανάτοις.

Quos ita verti, verbum verbo reddens: & hac in re præcepto Horatiano ( contra quàm vulgus existimet ) obtemperans:

*Servus Epictetus mutilatum corpus habebam:  
Paupericæque Irus, diis sed amatus eram.*

Cósidera ( obsecro ) quanto honore velis istos afficiat Gellius illa sua præfatiuncula, quantum nobis eam commendet, quantum mentis nostræ oculos ad eos introspiciendos acciat: & quàm sententiosè non verbosè loquatur, quàm bene verborum proprietate & pondere sententiæ ipsius pondus æquet.

Ac, quoniam in hunc de Epicteto sermonem incidi, & Gellij verba, quibus illud eius distichum commendat, nec minus sententiam quæ verbis subest laudavi: illum ( velit nolit Vives ) eadem laude dignum libet ostendere in aliis etiã

locis, vbi contrà de philosophorum vulgo, velut quidam eorum censor, sermonem habet. Libet autem à quodam initium sumere qui legitur libri decimitertij capite vigesimo secundo: ac prius locum pulcherrimum M. Catonis afferre cui censuram suam velut ἐπιχρῶν. Ita igitur M. Cato, *Neque mihi edificatio, neque vasum, neque vestimentum ullum est in manu pretiosum: neque pretiosus seruus, neque ancilla est. Siquid est quo utar, vtor: si non est, ego sum. cuique per me uti atque frui licet.* Tum deinde (inquit Gellius) addit, *Vitio vertunt quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere.* Hactenus ex M. Catone Gellius: cuius antequam verba proferam, Catoniana partim veterum librorum partim coniecturæ meæ ope emendare conabor, vel potius (nisi valde fallor) ita emendabo vt omnium iudicio satisfaciam. Ille igitur locus, *Siquid est quo utar, vtor: si non est, ego sum. cuique per me uti atque frui licet:* ita legitur in exemplaribus quæ excudenda curavi, *Siquid est quod vtar, vtor: si non est, ego. suum cuique per me uti atque frui licet.* At ego, quod ad locum hunc emendandum desiderari præterea videtur, ex coniectura adiiciens, scribo, *Siquid est quod vtar, vtor: si non est, egeo. suum cuique p. &c.* Cum quibus bellè cōuenient quæ sequuntur, *Vitio vertunt quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere.* Nunc Gellij verba, quæ eleganter & valde sententiosè huic Catonis sermoni ἐπιχρῶν ἐστὶν esse dico, mihi sunt proferenda. Scribit igitur, *Hæc mera veritas Tusculani hominis, egere se multis rebus & nihil tamen cupere dicentis, plus hercle commouet ad exhortandam parsimoniam, sustinendamque inopiam, quàm*

Græca istorum præstigia, philosophari sese dicentium, umbræque verborum inanes fingentium: qui se nihil habere & nihil tamen egere ac nihil cupere dicunt: quæ & habendo & egendo & cupiendo ardeant. Sic autem legitur hic locus & in ea quæ nunc in publicum datur editione, nisi quod pro *commouet* habet *promouet*: quod non minus aptum videtur. Vnum est de quo lectorem monebo, Gellium, his verbis, *Plus hercle commouet* (siue *promouet*) *ad exhortandam parsimoniam, sustinendamque inopiam*, posse videri allusisse ad illud Epicteti celeberrimum & saluberrimum præceptum, ἀπέχεσθαι ἀπέχεσθαι. Sed illud *exhortandam* suspectum habeo.

Capite autem secundo libri primi cuiusdam Stoici philosophi σκαυόθητα, & ἀπειροκαλίαν commemorat, qui loquacior promptiorque esset, & plerumque in conuiuio, sermonibus qui post epulas haberi solent, multa atque immodica de philosophiæ doctrinis intempestiuè atque insubidè differeret, præque se vno cæteros omnes linguæ Atticæ principes, gentemque omnem togatam, totumque nomen Latinum, rudes esse & agrestes prædicaret. Quis melius Thraconicam ineptamque philosophi ostentationem iactantiamque possit describere? Addit, illum interea vocabulis haud faciliè cognitis, syllogismorum captionumque dialecticarum laqueis strepere, & quorundam griphorum exempla proponere, quos neminem posse dicere, nisi se, dissoluere: rem verò ethicam, naturamque humani ingenij, virtutumque origines, officiaque earum confinia (vel confinitima) aut contraria, morborum vitiorumque fraudes, animorumque labe ac pe

stilentias, asseuerabat, nulli esse magis ea omnia explorata, meditataque, quam sibi. Cruciatibus autem, doloribusque corporis, & periculis mortem minitantibus, habitum statumque vitæ beatæ, quem se esse adeptum putabat, neque lædi neque imminui existimabat: ac ne oris quoque (sæpebat hinc lector, ac ne oris quidem) & vultus serenitatem Stoici hominis vnquam vlla posse ægritudine obnubilari. An tu, Ludouice, putidulum rancidulumque his in verbis Aulum Gellium esse, dicere audebis?

Ceteros locos quibus itidem in illud philosophorum vulgus Gellius noster inuehitur ( loquor de iis solis quos mihi memoria suggerit ) illi ex parte tantum deberi fateor: quod in iis interpretis officio (& quidem, secus quam de loco præcedente suspicari possumus) fungatur. Sed afferam tamen, illi enim gratiam habere magnam debemus quod tales censuras, ex abditis & secretis depromptas locis, in valde conspicuo posuerit. Nec verò dubitandum est quin ita partes interpretis egerit, ut interpretationi ornatum etiam de suo adiecerit. Scribit igitur libri decimiseptimi capite decimonono, Arriani locum interpretans, *Quum animaduertent Epictetus hominem pudore amisso, importuna industria, corruptis moribus audacem, confidentem lingua (vel, confidentem linguam) ceteraque omnia præterquam animum procurantem: istiusmodi hominem quum viderat studia quoque & disciplinas philosophiæ contrectare, & physica audire, & meditari dialectica, multaque id genus theoremata suspicari (quæ vox esse suspecta possit) sciscitarique, inelamabat deum atque hominum fidem, ac ple-*

*rumque inter cla. &c. Commemorat item libri primi capite secūdo cuiusdam philosophi σοαιό-τητα & ἀπειροκαλίαν, qui vocabulis haud faciliè cognitis, syllogismorum captivumque dialecticarum laqueis strepebat: multisque aliis modis (vt antea retuli) se iactabat. ac nonnullis interiectis, scribit, Herodem Atticum iussisse tandē proferri dissertationū Epicteti, digestarū ab Arriano, librum primum, in quo ille venerandus senex iuvenes qui se Stoicos appellabant, neque frangi, neque opera probæ, sed theorematibus tantum nugalibus & puerilium isagogarum commentationibus dilatantes, obiurgatione iusta incessuit.*

Alius est locus eodem pertinens, quē philosopho cuidam, qui Macedo dicebatur, ex parte debemus. Scribit enim libri decimitertii capite octauo, *Item versus est in eandem ferme sententiam Pacuij: quem Macedo philosophus, vir bonus, familiaris meus, scribi debere censebat pro foribus omnium templorum:*

EGO ODI HOMINES IGNAVA OPERA, ET PHILOSOPHA SENTENTIA.

*Nihil enim fieri posse indignius neque intolerantius dicebat, quā quod homines ignavi ac desides, aperti barba & pallio, mores & emolumenta philosophiæ in lingua verborumque artes conuerterent: & vitia facundissimè acusarent, intercutibus ipsi vitiis madentes. Ex parte tantum Macedoni philosopho locum hunc deberi dico, quod non dubitem quin noster Gellius eius sermonem elegantioribus verbis extulerit.*

Verū, vt de hoc taceam loco, (quoniam id de quo me nō dubitare dixi, in dubium tamen

vocari potest) & de iis tantùm loquar qui hunc præcedunt : quid aptius, quid concinnius & elegantius, quid significantius dici potest quàm quæ ibi dicuntur ? Cicero de philosophis quædam huiusmodi conqueritur, Lucianus, Græcæ facundiæ (meo quidem iudicio) promus & condus, plerumque de illis eundem in sensum expostulat: verùm si de his loquens Gellius verbis sententiisq; est putidulus, idem de utroque illorum meritò dictum iri affirmo. Quam tamen his Gellii locis tribuo laudem, aliis infinitis eiusdem denegari non posse contendo.

A D S E X T V M tuæ accusationis caput (siue sextam partem) transeo : *Quæ de significato vocum differit, sunt frivola, & plerumque imperita ac falsa.* Proh, deûm atque hominùm fidem, quid est apertè mentiri, quid est improbè impudentèrque calumniari, si hoc non est ? Præclarè profectò mecû agitur quòd nonnulla iam à me dicta sint quibus hæc quoque refelli possunt : quoniam multa quidem in mentem veniunt quæ insuper ad hæc respondeam, sed quum ea præ stomacho nunc eloqui non possim, alij cogor tempori referuare.

Quum igitur finem huic defensionì velim imponere, non aliud superest quàm vt tuæ in Gellium malevolentia causam, quam cõiectura videri mihi assequutus dixi, patefaciam. Vicit te, Ludouice Viue, vicit te amor patriæ. Amicus Plato (dixit Aristoteles) sed amica magis veritas: at tibi amica quidem fuit veritas, sed amica magis patria. Hinc hinc sunt illæ lacrymæ, quòd vituperarit Gellius hominem Hispanû, & magnû

ac verè incōparabile Hispaniæ ornamentū, Annæum Senecā. Nā tu quoque Hispanus, tāquam talionis pœna plectere Gelliū volens, eū vicissim vituperandū censuisti, & quidē quod faciendum censueras fecisti. Equidē Gellio sæpe indignatus sum apud me quòd Hispanū illum insectatus esset: verūm tibi multo magis indignor quòd vlciscēdi studio, non accusatorē, vt ille, sed omnino calumniatorē egeris. Atqui non ignorabas (opinor) Quintilianū ante Gelliū de Seneca quædam minimè honorifica scripsisse, quorū nonnulla cū Gellianis conueniunt. Nec te latuisse arbitror & Caligulā imperatorē stylum eius improbasse. Ita enim in huius vita Suetonius, *Lenius comptiū, quo scribendi genus adeo contemnens, vt Senecam, sū maximè placentē, commissiones meras componere, & arenā sine calc esse diceret.* Sed si tamen quam putabas à Gellio fieri Senecæ iniuriam vlcisci, & pro eo tāquam pro aris & focus (vtpote tanquā pro patria) dimicare volens, Gellij iudiciū vituperatione tua elcundū putabas: eius quē tantopere vituperas, quidam locus à te in cōsiliū adhibitus fecisset vt melius tuæ apud posteritatē famæ cōfuleres. Te enim Fauorini verbis monuisset, eum qui maledicit & vituperat, quāto id acerbius facit, tam maximè pro inimico duci, & plerūque propterea fidem non impetrare: ideòque moderatior in vituperādo fuisses. Addam & istud, hūc eundem, quem tu in ipsis etiam verbis putidulū dicis, in paruo illo tuorum numero duo illa quæ putidam barbariem olent (in eo quidem vsu quem illis tribuis) fuisse emendaturum.





HENR. STEPHANI  
NOX III, ET V, ATTILII  
GELLI VI  
GILIIS INVIGILATÆ.

SIVE,

ADMONITIO DE TITVLIS  
CAPITVM A QVOPIAM PSEV-  
dogellio imperite scriptis: de que eorum refor-  
matione.





IACOBO GILLOTO,  
REGIS IN SENATV  
Parisiensi Consiliario,  
HENR. STEPH. S. D.

**T**YRANNVS potentissimus est  
Error communis: ille inquam Er-  
ror communis qui ius facere (pro-  
uerbio ab ipsomet orto) dici solet.  
Hinc fit ut eorum quæ ab illo recepta sunt in-  
tacta manere plurima videamus. quum enim  
à Caravissos ea receperit, postea Caravissos non  
permittit: & quamvis sua verba historica fide  
non obliget (ut Naso loquitur) sibi tamen ab om-  
nibus fidem vult haberi. Sed quum longè latè-  
que huius tyrāni fines pateant, nunc ad eum tan-  
tummodo eius dominatum quem in libros exer-  
cet respicio. Hic certè dominatus ita violentus  
& asper est, ut non solùm à fœdis illos men-  
dis liberari non sinat, sed etiam pseudepigraphos

manere plerosque cogat: dum nulli sunt, non dicam Hipparchi, sed Aristarchi, qui eius tyrannidi sese audacter fortiterque opponant. Eò igitur ventum est ut non minus Pseudomaronem quam Maronem ( si quibuslibet exemplaribus credere velimus ) non minus Pseudonasonem quam Nasonem, & ( ut de aliis plerisque taceam ) non minus Pseudociceronem quam Ciceronem habeamus: ut duo dialogi mei, Pseudocicero & Nizoliodidascalus inscripti, aperte ostendunt. Nunc adeo Pseudogellium etiam, non minus quam Gellium, habere nos comperi, simulatque plerosque ex titulis qui librorum Gellij capitibus præfixi sunt, attentè consideravi.

Sed quoniam plurimos, ab illo quem dixi potentissimo tyranno præoccupatos, mihi esse aduersaturos scio, iis quas in mea Admonitione commemoro rationibus nitentes, te potissimum delegi qui mecum aduersus illos pro Atticarum Noctium integritate ( illorum enim titulorum nonnullos aspergere ipsis labem dico ) acriter depugnares. A quo enim potius Attici operis propugnatio quam à Iacobo Gilloto petenda est, cuius iudicio multum Atticæ ἀριμύτητος & Attici μωκτῆρος subesse fatendum est? Quòd si huic editioni præfuissem, potius talia quam τὰ ἀείντα κεινῶν mihi permisisset. Vale.



HENR. STEPHANI

ADMONITIO DE TITVLIS  
CAPITVM A QVOPIAM PSEV-  
dogellio imperitè scriptis: deque  
earum reformatione.

**Q**VÆ CAPITI unicuique, siue apud hunc, siue apud alium scriptorè præfixa sunt verba, eius argumētum exponentia, quispiam fortasse Argumenta capitum vocari posse existimauerit. Sūnar̄ia quidem certè vulgò appellari scio: sed qui vocem Latinam Latinogallicæ præferet, Summas potius dicere audebit. Non deerunt (opinor) qui & Lemmata nominari posse credant: sed vel Summas, vel Titulos (nisi quis malit Græcum Epigraphas, eadem significatione) lubentius nuncupauerim. Nec si quis Indices capitum vocet, eius sententiam omnino reiecerim. Quòd si & Periochas nominarem, nihil mihi meus Græcæ linguæ Thesaurus suppeditaret, quo huic nomini aliquem locum hîc darem. Quid si verò & Programmatum appellationem hunc ad vsum aliquis accommodet? Epitomas etiam vocari posse dicerem, nisi scirem, in iis quibus nomen hoc tribuitur, non solere res adeo ἐπιτέμνεσθαι.

Quocunque autem ea nomine appellari debent, magno lectori apud quemuis scriptorem esse ad iumētō constat: quum illi ad intelligenda

quæ vnoquoque capite scribuntur viam sternã., Sed hoc quoque minimè cuiquam dubiam esse debet, haud cuiuslibet esse ea fideliter apteque scribere. Ideoque non carere interdum periculo eorum lectionem, homini præsertim qui plus fidei illis quàm suo ipsius iudicio adhibere necessè habet: aut etiam ei qui iudicio quidem valet, sed ea properanter legere cogitur.

Ac longè petendum nobis exemplum non est, quum in his ipsis quæ singulis singulorum Gellij librorum capitibus præfixa sunt, occurrat, & in nostros oculos (vt ita dicam) incurrat.

AT SVNT nihilominus ipsius Gellij ista, qualiacūque sunt. Ego verò hoc nego & peñego. Scio tamen fore multos, qui, simulatque hoc me dicentem audierint, suspicaturi sunt, aut etiam sibi persuasuri, duo, vel tria potius, à me ignorari, quæ alioqui de hac sententia me deducere. Primum est, ipsum Gelliū vltimis vltimi libri verbis ea prorsus videri agnoscere: secundum, in earum summarū nonnullis quædã sub illius persona dici: tertium, in principio capituli primi, libri itidem primi, exhibere nobis hanc scripturam quædam vetera exemplaria, *status longitadinisque eius præstantia*, referente pronome cum cuius in titulo facta fuerit mentio. Verū ego, quemadmodum illa non ignoro, ita, quæ illis responderi possunt, in promptu habeo.

Ad primam igitur illam obiectionem quod retinet, non sum nescius, Gellium hæc eo in loco scripsisse, *Capita rerum quæ cuique commentario insunt exposuimus hic vniversa: ut iam statim declareretur quid quælibet in libro queri irueniri que possit.* Sed

capita rerum, id est summas rerum, quæ cuique commentario, id est libro, insunt, exhibere, minus esse aio, quàm hanc operam præstare in singulis etiam eorum vniuscuiusque commentarii mematum, quæ Capita vulgò dicuntur? & ita dici, ne ipso quidem Gellio repugnante, offunt: ( præsertim quum posteriores Græci itidè si non κεφαλῶν at certè κεφαλαίων appellationem huic vsui aptauerint.) Neque enim tam minutè illic, quàm hîc, singula persequi necesse est: quû illic diuisione tantummodo sit opus, at hîc, etiã subdiuisione.

Quòd si tamen hoc illis darem, Gellium illud intelligere de Summis quæ quid singulis Capitibus tractetur, velut per singulos articulos exponunt: illud quoque à me non auferret, eas de quibus loquitur, nō alias esse quàm quas habemus.

Ad secundam obiectionem venio, qua hoc mihi opponetur, in quibusdam earum quas Summas vocari posse, modò aiebam, nonnulla sub ipsius Gellii persona, aut ( Gellianè etiam loquendo) ex ipsius persona dici. Id est ( si fortè hoc apud quempiam expositione indiget) ea orationis forma scripta esse vt non aliam quàm ipsum Gellium de se loquentem à nobis audiri fatendum sit. Tantum certè abest vt hoc inficiat, vt etiam exemplis aliquot testatum manifestaque reddere velim. Legimus itaq; in summa capituli vltimi libri primi, *Quem in molumentum Taurus philosophus responderit, percontanti an sciret ira sceretur* Item in summa capituli secundi libri septimi, *De Casellij Vindictis pudendo errore, quem esse idimus in libris eius quos inscripsit* Anti, uam lectio-

num. Et in fronte capituli proximè sequentis eiusdem libri hæc occurrunt, *Quid Tullius Tiro Ciceronis libertus reprehenderit in M. Catonis oratione, quam pro Rhodiensibus in senatu dixit: & quid ad ea quæ reprehenderat responderimus.* Capiti item octauo libri octauo hæc præfixa sunt, *Quid mihi vsuenerit, interpretari & quasi effingere volenti locos quosdam Platonicos Latina oratione.* Et capiti nono eiusdem libri, ista, *Qualis mihi fuerit in oppido Eleusine disceptatio cum grammatico quodam præstigiioso.* Denique capiti secundo libri decimi quarti præposita hæc sunt, tanquam eius argumentum, *Quemadmodum (siue Quem in modum) differuerit Fannorius, consultus à me super, officio iudicis.* Ac sunt fortasse & aliæ capitulum Summæ, seu Epigraphæ, (vel quocunque vocari debent nomine) in quibus de se loquitur Gellius: vel potius, ita scriptæ quasi de se Gellius loquatur. Verùm ego paucis huic quoque obiectioni respondebo: cum qui hæc sua pro Gellianis obtrudere studuit, hoc figmento alterum tegere voluisse.

Quamobrem, aduersus illas obiectiones, contendo, illa rerum capita quorum à Gellio mentionem eo fieri in loco videmus, non eas esse summas seu Epigraphas quas singulis librorum titulatibus quæ Capita dicuntur, typographicè editiones ad hunc vsque diem præfixerunt: licet ex quibusdam manuscriptis libris sumptæ sint, & illis non solum fidant plerique, sed etiam illarum autoritate & testimonio, tanquam fide dignissimarum, nitantur.

QV ID ergo (inquies) in illis Summis seu Titulis desideratur? Immò verò non hoc vel illud



in iis desiderari dico : sed tam multa simul in earum quibusdam , vt si quis à Gellio scriptas existimet, eum, vbi attentè quæ dicam expenderit siue ( vt Gellianè loquar ) pensiculauerit , Gellium in Gellio desiderare necesse sit.

## DE ALIQVOT SVMMIS SEV TITVLIS LIBRI PRIMI.

### DE TITVLO CAP. PRIMI.

**V**T I G I T V R eum qui primus omniû est, primum in exemplum afferam, ibi hæc legimus, *Quali proportione quibusque collectionibus Plutarchus ratiocinatum esse Pythagoram philosophum dixerit, de comprehendenda corporis proceritate, qua fuit Hercules, quum vitam inter homines viueret.* Quid primum hîc, quid postremum reprehendat? Vel ipsa certè verboritas hæc nos pro Gellianis agnoscere vetaret : sed multo magis id vetât quæ ineptè etiam dicuntur. *Quali proportione* ( inquit quisquis est huius summe seu tituli scriptor ) *quibusque collectionibus Plutarchus ratiocinatum esse Pythagoram philosophum dixerit.* Atqui ex ratiocinatione fiunt collectiones, non autem ex collectionibus ratiocinatio. Aut ( vt apertiùs loquar ) ratiocinando colligimus, hoc vel illud ita vel ita se habere : non autem, colligendo ratiocinamur. Sic tamen vt fatear, posse etiam alterutrum eorum tali loco sufficere, quû minus exactè proprietatis obseruatur. Copulari enim ea videmus à nostro Gellio, tanquam synonyma, aut saltem synonymis similia, & ad eandem significationè

pertinentia: vbi scribit, *Nam si, ut in disciplinis traditur, ita colligere & ratiocinari velis.* Sunt autem sumpta hæc verba ex capite octauo libri secundi: vbi *Colligere & ratiocinari* nihil aliud est quàm quod Græci vno verbo dicunt *συλλογίζεσθαι*: quū itidem paulò antè dixisset *Syllogismo esse vsum pro συλλογισασθαι.*

Iam verò illud, *Quali proportione ratiocinatum esse*, an latis aptè dictum est? Perinde est enim acsi dixisset *Quo proportionis genere ratiocinatum esse.* Quum, verbis Gellii atque adeo rationi insistendo, ita loquendum fuisset, *Quomodo Pythagoras, teste Plutarcho, ex Herculani pedis mēsurā collegerit, habita proportionis ratione, quæ totius corporis fuisset longitudo.* Dico autem *collegerit*, potius quàm *ratiocinatus sit*, quoniam lequitur *ratione.*

Aut certè dicendum ita fuisset, *Quomodo Pythagoras, autore Plutarcho, Herculani pedis mensuram ex spatio Olympici stadii, & hinc totius corporis longitudinem comprehenderit.*

Poterat & hoc modo in breuem summam colligi p̄imi huius capitis argumentum, & quidem verba ipsius Gellii & eorum etiam structuram retinendo, *Quàm scitè ratiocinatum Pythagorā in reperienda longitudinis Herculis præstantia, dixerit Plutarchus.*

Aut etiam hoc pacto, paulo breuius, *Ex qua ratiocinatione Pythagoram Herculani pedis proceritatē collegisse Plutarchus scripsit.*

Quouis denique modo summa huius capitis describenda fuit, potius quàm quo descriptam hîc habemus. In postrema autem potissimum parte inepta est ea quam dixi illius descriptio

ADM. DE TIT. CAP. 41  
nis verbositas; ubi additur, *cum vitam inter homi-  
nes viueret*. Gellius scilicet hoc adiecisset, ne  
fortè ex lectoribus quispiam adeo Cumanus ef-  
fet, vt aliquem è cælo descendisse crederet, qui  
testaretur, Herculem non eadem ibi quoque  
pro eritate esse, qua erat quum vitam inter ho-  
mines viueret.

## DE TITULO CAPITIS II.

In secundi capiti Titulo siue Summa omis-  
sum est. liquid quod parui non est momenti,  
ideoque Gellium id prætermisurum fuisse, mi-  
hi non fit verisimile. Quum enim ibi scriptu m  
sit, *Verba Epicteti Stoici: quibus festiuiter à vero Stoico  
seuinxit vulgus loquacium nebulonum, qui se Stoicos  
nuncuparent: dico, non decenter nec verisimiliter  
solam festiuitatem tribui Stoico, præsertim-  
que Epicteto, qui præ cæteris omnibus fuit*

*Virtutis vera custos, rigidusque satelles.*

Quomodo enim, quum de tanta re tamque ser-  
uageretur, de ea homo Stoicus, & quidem Stoicorum  
seuerissimus (ne dicam, aliorum Stoicorum  
censor) nihil aliud quàm iocari voluisset?  
Quis à Stoicorum Græcorum Catone, in re hu-  
iulmodi, pro dicto censorio aliquod ioculare  
tantummodo, vel solùm γλυκῶ, ac non potius  
γλυκώπιρον, expectasset? At si ipsum Gellii lo-  
cum adeas, nihil quod non expectationi tuæ  
respondat & satisfaciat, inuenies. Illi enim ad-  
uerbio *festiuiter* aliud iunctum est, vel potius illud  
alii, ex quo seruatum ab Epicteto fuisse de o-  
rum intelligimus. Ita enim ipse Gellius, *Quibus*

*verbis Epictetus seuerè simul ac festiuiter seiunxit atque diuisit à vero atque sincero Stoico, qui esset proculdubio ἀκώλυτος &c. vulgus aliud nebulonum hominum, qui se Stoicos nuncuparent: &c. Paulo autem antè dixerat, Iussitque proferrì dissertationum Epicteti digestarum ab Arriano secundum librum: in quo ille venerandus senex iuuenes qui se Stoicos appellabant, neque frugis neque opera proba, se in theorematibus tantum nugalibus & puerilium isagogarum commentationibus oblectantes, obiurgatione iusta incessit.*

### DE TITULO CAPITIS. III.

Titulus seu Epigraphe tertii capitis (cuius capitis principio hac in editione non pauca accesserunt: quum in superioribus initium eius sint ista verba, *Chilo, præstabilis homo sapientia, quònam usque debuerit contra legem contraque ius pro amico progredi, dubitauit*) hic, inquam, titulus aliud quàm Gellius nobis dicit. In eo enim legimus, Quòd Chilo Lacedæmonius consilium anceps pro salute amici cepit: quum apud ipsum Gellium legamus *consilium falsum*. Quis autem *consilium anceps* ab vno eodèmq; scriptore vna eadèmq; significatione dici putarit?

### DE TIT. CAPITIS. V.

In iis quæ quinto capiti præfixa sunt, perdiculum hoc est, quòd Demosthenes rhetor appellatur. Hęc enim ibi leguntur, *Quòd Demosthenes rhetor cultu corporis atque vestitu probis obnoxiò infamique munditia fuit*. Quis (obsecro) ille est

Gellius qui Δημοσθένω τὸν ῥήτορα, Demosthenem rhetorem appellavit? Aldum fateor in sua editione τῶν δεκά ῥητόρων (quos & ipse ante paucos annos multo emendatiores edidi) illud ῥητόρων, itidem interpretatum esse Rhetorum, quum Oratorum interpretari debuisset: sed Gellium nostrum idem peccare potuisse nego, præsertimque Athenis.

## D E T I T. C A P I T I S V I.

In Capitis sexti epigraphæ disceditur à verbis Gellij: vbi scribitur, *Edæque oratio quam ob causam reprehensa, & quem contra in modum defensa sit.* Neque enim Gellius reprehensam fuisse illam orationem, sed reprehensa illa illius orationis verba scribit. Longè autem aliud esse scimus, orationem aliquam dici reprehensam, quàm si hoc de quibusdam tantùm eius verbis dicatur. Neque tamen ignoro posse etiam, generalius loquendo, reprehensam dici orationem, quæ vel in minima sui parte reprehensa fuerit.

## D E T I T. C A P I T I S V I I I.

Ecce, iterum Demosthenem, non oratorem, sed rhetorem, appellari videmus. Et (quod multo est turpius) non tantùm in huius Capitis epigraphæ, sed in ipso etiam Capite, hic inter omnes oratores πλεονεκτῶν eloquentiæ, honoris, μειονεκτεῖ. Nam quum alios qui δμότεχοι erant, oratores appellet: & inter eos Æschinem non solum vocet oratorem, sed acerrimum prudentif-

simúmque fuisse dicat oratorum qui apud conciones Atheniensium floruerunt: quum ex Latinis non Ciceronem tantum, sed Hortensium quoque, & alios, quin etiam ex antiquioribus, M. Catonem & C. Gracchum in oratorum numero, & quidem præstantium, ponat: híc tamen nõ alius Demostheni titulus datur quàm vt rhetor appelletur. Atqui libri decimiseptimi capite vigesimoptimo oratorem nominari ab eo videmus: *Tum Demosthenes orator ex eo prælio salutem fuga quaesivit.* Rhetorem autem & rhetoricæ disciplinæ doctorem alibi eadem significatione dicit. nam Antoniũ Iulianum rhetorem vocat, vt & quosdam alios: Castricium autẽ, qui rhetor itidem erat, rhetoricæ disciplinæ doctore duobus locis vocat: qui sunt libri vndecimi capite decimotertio, & libri decimitertij capite vigesimo: in cuius capitis titulo rhetor dicitur. Eum autem Romæ locum principem declamandi ac docendi habuisse dicit. Neque verò libri decimiquinti capite vndecimo, quod de rhetoribus cicctis scribit, de oratoribus intelligi voluit aut ipse Gellius, aut qui vtrumque Senatusconsultum scripserunt. Quorum posterioris prima hæc sunt verba, *Renuntiatum est nobis, esse homines qui nouum genus disciplinæ instituerunt: ad quos inuentus in ludum coueniat. eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras.* Fateor alioqui, capite sexto libri primi, Castricium (sunt enim non Gellij, sed Castricii verba) de rhetore dicere quæ de oratore potius dicenda videri possint: vbi hæc ait, *Aliter censor loqui debet, aliter rhetor. Rhetori concessum est sententiis vri falsis, audacibus, subdolis, captiosis: si*

*modo verisimiles sunt & poss. &c.* Sed profectò & *vé-*  
*μεις* rhetorem de rhetoribus magnificè loqui,  
 tanquam oratoribus etiam, non tantùm decla-  
 matoribus : & de tironibus, tanquam de iis qui  
 tirocinium deposuerunt : quum declamationes  
 rhetoricas velut præludia orationum esse con-  
 stet. Ideoque libri noni capite decimoquinto, de  
 illo iuvene qui Antonium Iulianum rhetorem  
 rogavit ut se declamantem audiret, dicitur, cum  
 Neapoli fuisset cum utriusque linguæ magistris  
 meditantem & exercentem, ad causas Romæ  
 orandas. At Demosthenem quæ rhetorem appel-  
 lare potuit Gellius ? an ut declamatorem ? an ut  
 rhetoricæ disciplinæ doctorem ? Non dubito igitur  
 quin ex tituli contagio vitiata Gellij scriptu-  
 ra fuerit : id est, quin illa rhetoris appellatio quam  
 Pseudogellius Demostheni tribuerat, ex Capitis  
 epigraphæ in ipsum caput irreperit. Nam ( nisi  
 valde fallor ) si oratorem vocare noluisset ( ut  
 alibi vocare ostendi ) saltem *δημαγωγὸν* potius  
 quàm rhetorem dixisset. Scribit enim libri tertij  
 capite decimotertio, de Callistrato, *Is, Athenis*  
*orator in republ. fuit. illi δημαγωγὸς appellat.* Sed de  
 hoc, Gellio non assentior, quemlibet oratorem,  
 ( qui Græcis est *ῥήτωρ* ) fuisse etiam vocatum  
*δημαγωγόν.*

## D E T I T. C A P I T I S I X.

Quod in hac epigraphæ scribitur, *Quantùmque*  
*temporis imperatum observatùmque sit dicendi simul ac*  
*tacendi*, minimè conuenit cum iis quæ à Gellio  
 scribuntur : quum haud loquendi ac tacendi vi-

ces, sed perpetuam ad certum tempus ἐχεινδιδίαι imperatam fuisse dicat. Quòd si dicamus hunc Pseudogellium non *dicendi* sed *discendi* scripssisse, falsum & hoc erit, non longius discendi quam tacendi tempus constitutum fuisse.

## DE TIT. CAPITIS XII.

Hæc summa siue epigraphæ ex iis, est quæ ex multis pauca eaque non satis aptè comprehendit, vt ex mea reformatione patebit. In hunc enim aut similè modum reformanda est, *In virginis Vestalis capiendæ atate & corpore quid obseruetur: præterquam quòd patrimam & matrimam esse oportet. Et ex quali familia non capiatur. Propter quæ alicui virgini vacatio ab isto sacerdotio tribuatur. Vestalis quo iure sit simulatque capta est. Quo ritu à Pontif. max. capiatur: & cur capi dicatur. Pontif. maximi eam capientis verba: & cur ei Amata det nomē. Item, flamines quoque diales, & pontifices & augures dici solitos capi.*

## DE TIT. CAPITIS XVII.

Pro his, *Quid M. Varro in quadam satyra de officio mariti scripserit, scribendum est, M. Varronis verba, in satyra Menippea, quam de officio mariti scripssit. Sed tituli huius autor, in eo, sicut & in aliis quibusdam, ob nimis properanter lecta Gellii verba, peccauit. Nam hic eius oculi particulam quam prætereuntes, legerunt, Secundum hanc sententiam quoque Varro in satyra Menippea de officio mariti scripsit. Verum & hoc in causa esse potuit cur illam*



voculam prætermitteret, quòd eam ponendo, desit verbū : id est, relinquatur subaudiendum. Fateor alioqui, hæc etiam paucula vnū ex præceptis quæ M. Varro marito dabat, continere.

## D E T I T. C A P I T I S X X I I.

Quod à Gellio de persona dicitur, de re hoc in titulo dici videmus: ad eò vt, si fidem ei habeamus, credituri simus dictum fuisse, Hic superest causæ illius, aut sententiæ, aut dogmati illius. Sed si res ita se habuisset, nequaquam (vt opinor) eius mentio à Gellio prætermissa fuisset.

## D E T I T V L I S L I B R I I I.

Et primùm

## D E T I T V L O C A P I T I S P R I M I.

Mirum, est quid cogitans, vel potius somnians Pseudogellius, illis verbis, *Quo genere solitus sit philosophus Socrates exercere patientiam corporis*, ista subiunxerit, *déque eiusdem viri patientia*. Nullum certè hæc verba locum habere hîc possunt. habuissent autè, addendo *altera*: (hoc modo, *déque altera eiusdem viri patientia*) si Gellius ea quæ de eius erga vxorem patientia refert capite decimo septimo libri primi, his adiecisset: id est, patientiam animi patientiæ corporis subiunxisset. Quid si verò Pseudogellium excusantes ( si tamen dignus est de quo bene quisquam mercatur) eum *Déque eiusdem viri temperantia*, scripisse dicamus?

Sed ei quærenda à nobis & alia excusatio fucrit, de illis verbis, *Quo genere solitus sit philosophus Socrates exercere patientiã corpor.* Illud enim, quo genere, siue alicuius genitiui adiectione, quid sonat? Credamus igitur illum scripsisse, *Quo laborum & exercitiorum genere* & crùm ecce, quum se hic titulus rectè habeat quod ad verba attinet, non itidem quod ad sententiam, siue sensum. Falsum enim hoc est ( vt Pseudogellium sæpe comitatur tò *↓ & sedu*) exponi hoc capite, quo laborũ & exercitiorum genere philosophus ille patientiã corporis solitus sit exercere, quum ex omnibus vnicum nobis narret: sicut & vnicum nobis prima eius verba promittunt. Scribit enim, *Inter labores voluntarios, & exercitia corporis, ad fortuitas patientiæ vices, firmamentum id quoque accepimus Socratem facere insueuisse.* Id est, Inter labores alios aliãque exercitia corporis, hoc quoque modo corpus suum solitum esse firmare atque roborare. Duo autem ista verba coniungens, alium ipsius Gellij locum imitor. Tacus igitur titulus hoc reformãdus pacto esset, *De quodam genere exercitiũ quo Socrates inter alia utebatur, ad firmandum corpus patientiãque eius exercendam. Deque eiusdem viri temperantia.*

### DE TIT. CAPITIS III

In hoc certè titulo non minus quàm in quocumque alio ridiculus est noster Pseudogellius: scribit enim, *Qua ratione verbis quibusdam vocabulisque veteres immiserint H litera spiritum.* Nam si verborum appellacione eas tantùm voces complecti

plecti volebat quæ grammaticis vnam ex octo orationis partibus faciunt, subiungendum erat *nominibûsque, nō vocabulîsque*: sin suam generalem illi datiuo *verbis* significationem relinquebat, quorsum *vocabulîsque* adiiciebat? Scio tamē Gellium alicubi vocabula pro nominibus dixisse.

## D E T I T. C A P I T I S V I.

Quid autem illum ad accusandum ignauix Virgilium, ob quorumdam verborum vsus, mouere potuit? *Quibus verbis* (inquit) *ignauiter & abiectè* Virgilius vsus esse dicitur. At Gellium sequendo, *incuriosè & abiectè* dixisset. Additur in hoc titulo, *Et quid iis qui id improbè dicunt respondeatur*: & tamen ipse Gellius improbè hoc ab illis dici non scribit: nec alio vllō vtitur verbo quo eos de quibus agit Virgilii reprehensores accuset: sed potius præ se fert, illos (quos dicit fuisse grammaticos haud indoctos neque ignobiles) à se excusari, quoniam videri potuerunt aliquam in tribus illis locis *ἀπορίων* rationem eius reprehendendi habere.

## D E T I T. C A P I T I S I X.

Multo asperior acerbiórque est Gellio Pseudogellius. Ita enim hic in sua epigraphe, *Quòd Plutarchus euidenti calumnia verbum ab Epicuro dictum insectatus sit*: at Gellius aliud nō dicit quàm hoc, *Nimis minutè ac propè etiam subfrigidè Plutarchus in Epicuro accusando λέξεισιν τρεῖς*. Id est, verba obseruat, occasionem reprehendendi captans. Illo autem aduerbio *minutè* non dubito quin

Græcum *μικρολόγως* (quod multo est aptius) exprimere voluerit. Verùm ad Pseudogellium ut redeam, hanc maiorem eius quàm Gellii acerbitatem mirari non debemus, quum ea vta-  
tur ibi etiam vbi apud Gellium nulla est, ut vel ex iis apparet quæ modò in titulum capitis sexti dixi. Sed & in titulo capitis proximè præcedentis eundem Plutarchum iniquæ reprehensionis insimulat: quum tamen Gellius contentus fuerit ostendere quomodo Epicurus defendi seu excusari ab eius reprehensione possit.

#### DE TIT. CAPITIS XVIII.

In multis titulis quædam redundant: at hic contrà ut plenus sit, addenda quædã. Non enim satis est dixisse, *Quòd Phædon Socraticus servus fuit: quòdque item alii complusculi seruitutem seruierunt:* sed adiicienda ex ipso Gellio hæc verba, *qui post philosophi clari extiterunt.*

#### DE TIT. CAPITIS XX.

Hæc isti capiti vigesimo præfixa sunt, *Quæ vulgò dicuntur vinaria, id vocabulum veteres non dixisse. Et quid pro eo P. Scipio in oratione ad populum, quid postea M. Varro in libris de re rustica dixerit usurpatum.* Atqui si veteribus ignota fuit vinariorum appellatio, quomodo P. Scipioni & M. Varroni esse nota potuit? Si his quoque ignota fuit, quomodo dicere potuerunt quid pro ea esset usurpatum? Ita igitur reformanda est hæc epigraphæ, *Ea quæ vocantur vinaria, M. Varronem ap-*

ADM. DE TITVL. CAP. si  
 pellasse Leporaria : Scipionem autem (ut quidam putant)  
 Reboraria : Addo autem, ut quidam putant, quo-  
 ni am Gellius hoc non affirmat : verum scribit,  
 Sed quod apud Scipionem omnium etatis sue purissime  
 loquutum legimus Reboraria, aliquot Romæ doctos vi-  
 ros dicere audivi, id significare quod nos Viuaria dici-  
 mus.

Ad priorem autem tituli partem quod  
 attinet, Quæ vulgò dicuntur Viuaria, id vocabulum  
 veteres non dixisse, id expressè dicentem Gellium  
 non audimus de hac voce, sed de altera illa Le-  
 poraria. Postquam enim dixit, Viuaria autem qua  
 nunc vulgus dicit, sunt quos  $\omega\alpha\epsilon\zeta$  deisovs Græci appel-  
 lant : subiungit, Quæ autem Leporaria Varro dicit,  
 haud vsquam memini apud vetustiores scriptū. Fortas-  
 se autem idem dicere noluit Gellius & de altera  
 illa appellatione, quod ad vocem ipsam, sed so-  
 lum quod ad significationem attinet.

#### DE TIT. CAPITIS XXIII.

Considera (obsecro) huius tituli verba, Con-  
 saltatio diiudicatioque locorum, facta ex comoedia Me-  
 nandri & Cæcilii quæ Plocium inscripta est. An pu-  
 tamus Gellium ita fuisse scripturum ? vel po-  
 tius, an eum sine risu hæc fuisse lecturum ? At-  
 qui obuium erat aliud quod in frequenti vsu est  
 vocabulum : eoque ac simul maiore vti breuitate  
 licebat : hoc modo, Comparatio locorum Me-  
 nandri & Cæcilii, ex comædia quæ Plociū inscripta est.

DE TIT. CAPITIS XXVIII.  
 Quam tria sint de quibus hoc in capite agi-

52 HENR. STEPHANI  
tur, vnum duntaxat eorum hoc in titulo ponitur: idque mutatis aliquantum ipsius Gellii verbis. Hæc enim illi præfixa sunt verba, *Non esse compertum cui deo rem diuinam fieri oporteat, quum terra mouet*. Ita igitur reformandus esset, De causa terræmotus inter phisicos non constare, qui duas alioqui afferunt. Et Romanos tacuisse cui deo seruari oporteret ferias quæ ob terræmotum edicebantur, eos item in reperienda motus lunæ & solis defectuû causa sese exercuisse. Sûnt autem & alii perlique tituli qui totam capituli summam non comprehendunt. Quod vel de XIX, qui hunc proximè sequitur, dici potest. nulla enim in eo fit mentio laudis quam summam Ælîpo in prima capituli parte tribuit Gellius.

DE ALIQUOT ALIIS TITVLIS,  
PER TOTVM RELIQVVM  
volumen sparsis.

NON IAM per singulos libros pergam in proferendis capituli titulis qui reformatione indigent: (id enim facere non vacat) sed tantum aliquot hinc inde sumptos adiciam.

DE TIT. CAPITIS XIII, LIB. III.

MIRVM ni rhetor aut rhetoris filius fuit hic Pseudogellius: quippe qui rhetoris appellationem tot locis inferferit. *Audito* (inquit) *fortè Callistrato rhetore in cõcione populi*. Quis (obsecro) rhetor in cõcione auditur? nõne ibi in alia

quàm sua arena esset? Quid rhetori cum concione? quis rhetor tam audax vt in concione ausit vel hiscere? aut quæ concio tam patiens vt vel umbram rhetoris ferre possit? Viderunt scilicet ea de quibus hîc loquitur Gellius tempora, hominem qui nõdum tirocinium deposuisset, imperatoris munere fungentem, hominem ἀπαλαίματον, aut certè prima tantum palæstræ rudimèta edoctum, summi palæstritæ partes suscipientem, hominem ex umbratili declamationum rhetorica ad summam illam lucem orationum quales concionatoriæ erant, tanquam ex leuibus prælii simulacris ad prælium asperimũ, prodeuntem. Sed bene se habet quòd saltem locus hic Gellii illud malum effugit in quod alterum incidisse, paulò ante docui, id est, non itidem tituli contagio infectum fuisse. In ipso enim Capite *orator* omnium exemplarium consensu legitur, non *rhetor*. Quòd si tamen contrà in illis hoc non illud scriptum esset, vel illa vox *δημαγωγοί*, quæ à Gellio subiungitur, vna omnibus apertè reclamaret: sicut *δημαγωγῶν* munus rhetorum muneri reclamare scimus.

Cæterùm quod in principio huius annotamenti dixi, mirum esse ni hic Pseudogellius fuerit rhetor; aut rhetoris filius, de eo rhetorum genere intelligi velim quos Anthologiæ Græcorum epigrammatum libro secundo depingi videmus.

DE TIT. CAPITIS X, LIB. III.

NEGOTIVM certè & ipsi Gellio titulus

hic facesseret, si ei illum legendi & considerandi otium esset. *Quid observatum de ordine rogandarum sententiarum in senatu, iurgiorumque in senatu C. Caesaris consulis, & M. Catonis diem dicendo eximentis.* Si enim id quod præ se verba ferunt intelligamus, Quid etiam observatum sit de ordine iurgiorum, &c. hoc intelligere nonne nihil intelligere erit? Contra hunc titulum (ni fallor) Gellius pro suo etiam agnosceret, *De ordine rogandi sententias in senatu. Et de C. Cesare consule M. Catonem in carcerem duci iubente, quod ab eo sententiã rogatus diem dicendo eximeret.*

#### DE TIT. CAPITIS XX, LIB. VII.

At verò hæc epigra, he non tam negotium Gellio facillè, et quàm bilem ciceret. *Quod Virgilius, ob aquam à Nolanis sibi non permissam, sustulit è versu suo NOLA, & posuit ORA.* Quæ enim ista esset Nolanorum inhumanitas, quæ non solum ἀσπάρθωτια, sed Timonica propemodum μισανθρωπία, aquam, rem omnium rerum valissimam, homini de hominibus possessos studiosis optimè merito denegare? Sed quos tanti criminis reos agit hæc titulus, ipse Gellii locus statim absoluet, *Postea Virgilium petiisse à Nolanis aquam vti duceret in propinquum rus: Nolanos beneficium petiitum non fecisse: poetam offensum, nomen urbis eorum, quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse, Oramque pro Nola mutasse: atque ita reliquisse.* Quis enim ex iis quos ille titulus in Nolanos irritauerat atque asperauerat, his non iam Pseudogellii sed veri Gellii verbis lectis,



adeo infensus illis esse desinet, & quærere etiam incipiet an meritò poëta illis tam grauius offensus fuerit, vt eorum nomen, quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo deradere debuerit. Quid autem illum ( quicumque tandem sit) *πτλογοράρον* excusare possit, vereor ne si dixero, cum magis accusem. Dicam tamen: nec dubito quin lector mihi sit assensurus. Solet ita hic locus interpungi vt post accusatiuum aqua ponatur hypostigme: hoc modo, *Postea Virgiliū petiisse à Nolanis aquam, uti duceret in propinquum rus.* Nec aliter certè interpunctus est hic locus in typographicis superioris temporis editionibus. Facile autem contingere potuit vt quum (sicut de titulo capitis decimiseptimi libri primi dixi) huius *πτλογοράρον* oculi nimis in legendo hoc loco properarent, postea ipsa etiam memoria fidelem eius rationem non redderet, sed seipsam in illo accusatiuo velut sisteret: quem tamen contrà sequentibus iungendum esse manifestum est, perinde ac si scriptum esset, *Petiisse à Nolanis uti duceret aquam in propinquum rus.* Talia autem quotidie peccari videmus ab iis qui quos vocamus Indices in aliquos libros conficiunt. Quod in hoc ipso scriptore accidisse videmus: veluti quum annotarunt, laurorum persuasisse matribus vt suos infantes lacte si o nutrent. Immo, suasse quidem hoc illum, ex Gellio discimus: at persuasisse, quomodo dicere potuit? Sic etiam, quum Gellius hæc dixerit, libri noni capite secundo, vel potius Musonius apud eum, *Maiores autem mei Athenienses, nomina iuuenū fortissimorum, Harmodij & Aristogitonis, quæ*

*libertatis recuperanda gratia Hippium tyrannum interficere adorsæ erant, ne unquam servis indere liceret, decreto publico sanxerunt: quoniam nefas ducerent, nomina libertati patriæ deuota seruili contagio pollui.* Quum, inquam, Musonius hæc dixerit, illi pertransennam tantum (vt ita dicam) locum hunc aspicientes, ex eo hoc generale collegerunt, & in indicem retulerunt, Nomina fortiû servis nõ esse danda. Talis fuit incogitantia cuiusdam, qui ex capite decimo libri sexti annotauit, in more positum fuisse vt philosophi pro foribus docerent: quòd ibi philosophum Taurum hæc conquerentem audisset, *At nunc videre est philosophos ultro currere vt doceant ad fores iuuenum diuitum: eosque ibi sedere, atque operiri propè ad meridiem, donec discipuli nocturnum omne vinum edormiant.* Atqui illæ ad fores non iunguntur cum his proximè præcedentibus, vt doceant: sed cum verbo currere. Sed ne hoc quidem moris fuisse dicendum est, vt philosophi ad fores currerent eorum omnium qui ab illis doceri cupiebant: nihilo certè magis quàm dicere possumus, omnes qui hoc discendi desiderio tenebantur, iuuenes ebriosos fuisse.

## DE TITVLIS CAPITIS IX.

LIB. IX. ET CAP. XV. LIB. XI.

Verum, vt in summis seu titulis pergam, reformatione opus habentibus, hoc principium expendamus, vel (vt Gelliano vtar vocabulo) pensitemus, capitis noni, libro itidem nono, *Quis modus sit verba vertendi in Græcas sententias.* Quo hæc modo quis melius excuset quàm vt ἐξήματα-

*ποικιλία* esse dicat per poëticam hypallagen, & ellipsin adiectiui, cum illo substantiuo *verba* iungendi: tanquã nimirum significare ille voluerit, *Quis modus sit vertendi Græcas sententias in Latina verba*. Adde quòd non itidem generaliter omnium sententiarum mentionem facit Gellius, sed tantùm insignium. Sic autem & in fine summæ capituli decimiquinti libri vndecimi, figuratè loquutus est Pseudogellius, ( sed noua quadam sermonis figura vtens ) quum ipsam figuræ appellationem vsurparet. Gellio enim ita loquuto, *Sisenna eiusdem figuræ verbo vsus est*: ita loqui maluit Pseudogellius, *Sisenna per huiuscemodi verbum noua figura vsus est*.

Verùm oratio mea se referat oportet ad illum titulum capituli noni, libri noni: quòd aliud etiã quàm de quo monui, in eo peccatum sit. Illis enim verbis, *Quis modus sit verba vertendi in Græcas sententias*, subiunguntur ista, *D'è que iis Homeri versibus, quos Virgilius vertisse aut bene aptè que aut improspere existimatus est*. Atqui dupliciter mentitur lectori hæc tituli posterior pars. Promittit enim non tantùm certos quosdam Virgilij versus ex Homericis factos, sed perinde loquitur ac si omnes afferre velit. Deinde non eos tantùm qui perperam sunt expressi, sed eos etiam qui aptè, promitti vides. quum tamen vnicus affectatur locus, isque malè, siue (vt ipse Gellius ex Valerio Probo loquitur) improspere versus. Ideoque totus titulus ita reformandus esset, *Quomodo vertendæ sint ex poëmatis Græcis insignes sententiæ. Et de quibusdam amœnissimis Homeri versibus, quos Virgilius magis quàm quosquam alios improspere vertit*.

## DE TIT. CAPITIS XXII. LIB. X.

Multo plus negotij lectori exhibebit titulus hic capitis vigesimifecūdi libri decimi, *Locus exēptus ex Platonis libro qui inscribitur Gorgias, de falsæ philosophiæ probris: quibus philosophos temere incessuit qui emolumenta veræ philosophiæ ignorant.* Itanc Plato (ex Calliclis persona) temere eos philosophos incessuit qui emolumenta veræ philosophiæ ignorant? Estne temeritatis, desides ignavosque homines incessere, qui (vt potius iis quæ in ipso capite sunt verbis vtar) obtento philosophiæ nomine inutile otium & linguæ vitæque tenebras sequuntur? Aut, si temerarius est Plato in iis incessendis, cur hic eius locus, tanquã pulcherrimus & laude dignissimus, affertur?

## DE TIT. CAPITIS XIII. LIB. XII.

Inter illa autem quæ ne ipse quidem Gellius intelligeret, ponendum puto vocabulũ *inopinatis*, quod habemus in summa capitis decimitertij libri duodecimi, *De verbis inopinatis, quæ utroqueuersum dicuntur, & à grammaticis communia vocantur.* Scio *inopinatum* Gellio non tantum vulgarem vsum habere, sed etiam *ἀδόξον* significare (quod fortasse inopinabile non minus aptè diceretur) sed quomodo vel hoc vel illud de huiusmodi verbis dici potest? Quod si diuinationi quoque locus hîc est, non dubito quin significare voluerit verba quæ contra vulgi opinionem utroqueuersum vsurpantur.

## D E T I T. C A P I T I S X I I I I. L I B. X I I I.

In editionibus quæ hanc præcefferunt, caput hoc duas in partes diuisum fuit, & priori quidem parti præfixa hæc sunt, *Verba ex libro Messalæ auguris, quib. &c.* Posteriori (quæ incipit ab his verbis, *Idem Messala in eodem libro de min. mag. &c.*) ista, *Item verba eiusdem Messalæ, differentis, aliud esse, ad populum loqui: aliud, cum populo agere. Et qui magistratus à quibus auocent comitiatum.* Quibus additur, *Eiusdem capituli decimi quarti portio.* Ista autem editio sicut caput duas in partes non diuidit, ita nec titulum: quem alioqui totidem iisdemque verbis habet. Sed illa non adiicit, *Eiusdem capituli decimi quarti portio*: quum (vt dixi) caput non diuidat. Sedenim non solùm ista postrema verba, quæ dicunt esse capituli decimi quarti portionem, Gellius irrideret & reiiceret, verùm & illam posteriorem tituli partem, qua dicitur Messalæ differere, aliud esse, ad populum loqui: aliud, cum populo agere. Neque enim scribit Gellius, Messalæ de hoc differere (vt certè non differit) sed hoc ex verbis eius patere. Nam illi Messalæ loco subiungit, *Ex his verbis Messalæ manifestum est, aliud esse cum populo agere, aliud, conc. &c.*

## D E T I T. C A P I T I S X I I I I, L I B. X V.

Ne hoc quidem credibile est, Gellium dicturum fuisse, *ex orationibus Græcis*, volentem significare, Ex sermone Græco, siue ex Græca lingua: & tamen ita accipiamus verba illa necesse est, in titulo decimo quarto libri decimi quinti. Hac enim

ibileginus, *Quòd Metellus Numidicus figuram orationis novam ex orationibus Grecis mutuatus est.*

DE TIT. CAPITIS XV, LIB. XV.

Ridiculè autem & absurdè loqui dicendus esset Gellius, si verba eius essent hæc, quæ capiti proximè sequenti sunt præfixa, *Passis velis & Passis manibus dixisse veteres, non à verbo suo, quod est Patior: sed ab alieno, quod est Pandor.* Si hoc constat, participium istud *passis*, quum de velis vel de manibus dicitur, habere suum verbum *Patior*, quid venit in mentem veteribus, ut, quum hoc scirèt, eo tamen participiò ita vterentur, ut suo verbo nullum ius in ipsum esse vellent, verùm id in alienum verbum transferrent?

DE TIT. CAPITIS XXI, LIB. XV.

Quum Gellius scribat, præstantissimos virtute, prudentia, viribus, Iouis filios à poëtis esse appellatos: ferocissimos & immanes, & alienos ab omni humanitate, Neptuni filios: hic noster *πλοζέρος* in priori parte post *prudētissimi*, adiicit de suo *humanissimique*: quasi verò necesse sit, si Neptuni filij fuerint inhumanissimi, illos fuisse humanissimos.

DE TIT. CAPITIS XX, LIB. XVII.

Sed nihil (opinor) magis stomachabundus legeret Gellius, ex iis quæ eius librorum capitibus præfixa sunt, quàm hæc, quibus declaratur quid

capite vigesimo libri decimiseptimicontineatur: *Verba sumta ex Symposio Platonis, numeris coagmentis- que verborum scite, modulate apteque, exercendi gratia, in Latinã orationẽ versa.* Vide enim (obsecro) lector, quantum ab eo absit Gellius vt tantam hanc laudem agnoscat: quum scribat capite vigesimo secundo libri primi, *Verba ipsa super hac re Platonis ex libro qui appellatur Gorgias scripsi. Quoniam vertere ea consilium non fuit: quum ad proprietates eorum nequaquam possit Latina oratio adspirare, ac multo minus eiam mea.* Tamne est aqua igni quàm hæc prudēs modestia temerariæ illi arrogatiæ impudentique confidentiæ contraria? Cum illa autem modestia congruunt & quæ hoc capite de sua interpretatione dicit. Nec minus eam modestiam nobis testatam reddunt verba hæc, quibus caput primum libri duodecimi claudit, *Hæc Favorinum dicentem audiui Græca oratione: cuius sententias, communis utilitatis gratia, quantum meminisse potui, retuli. Amœnitates verò & copias ubertatẽsque verborum Latina omnis facundia vix quidem indipsi potuerit, mea tenuitas nequaquam.* Qui se ita imparẽ exprimendæ Favorini facundiæ fatetur, is scilicet de tã bellè à se interpretata Platonis oratione se iactaret, perinde acsi hac sua Latina paria cum illius Græca fecisset. Sed libet & titulum quendam adiicere libri octauo, eumque lectori considerandum proponere, (est autem capiti eius libri octauo præfixus) *Quid mihi vsuenerit interpretari & quasi effingere volenti locos quosdam Platonicos Latina oratione.* Nõne ( quantum assequi coniectura possumus, quum nõ solum caput illud octauum, sed omnia illius libri interciderint)

titulus hic cum illa modestia & diffidentia conuenit quæ capite vigesimo secundo libri decimi declaratur, quàm cum arrogantia illa & confidentia, vel potius præfidentia.

DE TIT. CAPITIS VII,  
LIBRI XVIII.

Hic quoque titulus est mendax, & repugnans iis quæ à Gellio dicuntur: *Quem in modum Fauorinus tractauerit intempestiuum quendam, de verborum ambiguitatibus quærentem.* Neque enim Domitius, homo doctus, & celeberrimus Romæ grammaticus (qui ineptè hoc titulo intempestiuus vocatur) de verborum ambiguitatibus quærebat: sed ipse Fauorinus contrà quæstionem illi mouebat non quidem de verborum ambiguitatibus, sed tantùm de concionum appellatione, quæ an *ἀνυπόσις* etiam comprehenderet dubitabat.

Tantum verò abest vt scribi debuerit, *Quem in modum Fauorinus tractauerit Domitium grammaticum* (quem, vt dixi, hic titulus *intempestiuum quendam* vocat) vt contrarium scribendum fuerit, *Quem in modum Domitius grammaticus Fauorinum tractauerit.* Audimus enim Domitiũ Fauorino dicentem, voce atque vultu atrociori, *Nulla prorsus bonæ salutis spes reliqua est, quum vos quoque, philosophorum illustrissimi, nihil iam aliud quàm verba autoritatisque verborum cordi habeatis.* Sic tamen vt addat, *Mittam autem librum tibi in quo id reperias quod quæris.* Sed his non contentus, adiicit, *Ego enim grammaticus vitæ iam atque morum disciplinas quæro: vos philosophi, mera estis (vt M. Cato ait) mortuaria glos-*



*saria. namque collig. &c.* Neque verò Fauorinus ludibrio eum (quamuis infanus cognominaretur, quoniã erat natura intractabilior & morosior) sed potius admirationi habet. De eo enim dicit inter alia, *Vel ipsum quale hoc existimatis quod nũc de philosophis dixit? nõne, si id Antisthenes aut Diogenes dixisset, dignum memoria visum esset?* Quinetiam dixerat antea, Videtur enim mihi *ἐπισημαίνεσθαι*. Pro quo *ἐπισημαίνεσθαι* deprauatissimè antea scriptum erat *ἐπιμαίνεσθαι*. Qui autem verbum illud *ἐπισημαίνεσθαι* intelligere vult, recordetur verbalis *ἐπισημασία*. Vide quantum absint hæc ab iis quæ titulus nobis repræsentat.

ADMONITIO DE ALIIS  
 QVIBVS DAM TITVLIS, CON-  
 sultò hunc in locum reseruata.

**Q**UAMVIS hi quoque tituli meæ sententiæ faueant & illi quodammo do adminiculentur: id est quouis ex iis elicere aliud insuper argumentum possim, quo eam tuear ac protegam: extra ordinem tamen de his dicendũ censui, quòd non æquè firmum ac cæteri suppeditare argumentum videantur. Vbi enim ostendero, quædã in his titulis scribi, quorum nulla in ipsis capitibus fit mentio, respondebit aliquis mihi fortasse, non protinus ex eo colligi posse Gellium eos nõ scripsisse: eãque huius rei rationem reddet, quam afferri posse (qualiscunque est) postea ostendam. At ego tamen eos locos proferam, ea lege vt sim contentus si lector quæ hinc petam argumenta inter *εἰκότα* saltem ponat.

Hic à quo initium fumo titulus adiectionem habet non tam paruum, quin ipse quoque suspectum se ex ea possit reddere. In eo enim scriptum est, *Quòd P. Africano & aliis tunc viris nobilibus ante atatem senectam barbam & genas radere moris fuit.* Atqui nulla in ipso Capite rasarum genarum fit mentio. Nec deerit fortasse qui à librario duas hæc voculas omissas esse credat: quum Gellius scripisset, *neque barbam neque genas desisse radi.* Verùm aliæ aliis in locis adiectiones, quarum partim antea feci, partim in sequentibus mentionē faciam, parum credibile reddere hoc videntur.

## DE TIT. CAP. I. LIB. IIII.

Hic autem est capituli primi libri quarti titulus, *Sermo quidam Fauorini philosophi cum grammatico iactantiore, factus in Socraticum modum. Atque inibi. &c.* Eius certè quod hîc dicitur, sermonem illum factum esse in Socraticum modum, nulla in ipso capite fit mentio. Quòd si tamen me quis roget, an verum sit illud: verum esse fatebor. Ita enim Fauorinus, *Si ego te nunc rogem uti mihi dicas & quasi circumscribas, verbis quid homo sit: non (opinor) respondeas hominem esse te atque me. Hoc enim, quis homo sit, ostendere est: non, quid homo sit, dicere. Sed si (inquam) peterem ut ipsum illud quod homo est definires: tum profectò mihi diceres, hominem, esse mortale animal, rationis & scientiæ capiens: vel quo alio modo diceres, ut eum à cæteris animalibus omnibus separares. Proinde igitur nunc te rogo ut quid sit penus dicas, nò, ut*  
aliquid

*aliquid ex penu nomines.* Hæc Fauorinus : meū au-  
 tem nunc est ostendere, verè hoc à me dictum  
 esse, videlicet, verum esse illud, sermonem cum  
 Socratico more ab eo esse habitum : quamuis in  
 ipso capite ( vti dixi ) non legatur. Quem verò  
 potius testem & quem magis *ἀξιόχρεων* laudem,  
 quàm Platonem? Afferam igitur pulcherrimum  
 & notatu dignissimum eius locum in Menone,  
 pag. 71, & 72, meæ editionis : incipiendo ab his  
 ipsius Menonis verbis, *ἀλλ' ἔχαιπεδόν, ὃ Σώκρα-  
 τες, εἰπεῖν. πρῶτον μὲν, εἰ βέλῃ, ἀνδρὸς ἀρετῶν ῥάδιον.  
 ὅπ' αὐτῆ ἔστιν ἀνδρὸς ἀρετῆ, ἰκανὸν εἶναι τὰ τῆς πόλεως πρῶτ-  
 τιν, &c.* Et paucis interiectis, *εἰ δὲ βέλῃ, γυναικὸς  
 ἀρετῶν ἔχαιπεδόν διελθεῖν, ὅπ' εἶ. &c.* Plura enim  
 Græca verba non afferā, sed Latinis totius loci  
 sensum exponam. Interrogatus à Socrate Meno  
 quid sit virtus, à virtute viri iniriū sumit, eamque  
 esse dicit, Idoneū esse aliquē ad res ciuitatis ad-  
 ministrādas : & ita quidem vt in illa administra-  
 tione amicis commoda, inimicis incommoda  
 afferat : & interim caueat ne sibi quicquam tale  
 fiat. A virtute viri, ad muliebrem virtutē tran-  
 sit : qua exposita, addit, aliam esse *παιδὸς*, tam  
 fœminæ quàm maris, ( nam *παιδὸς* iungo cum  
*θηλείας* & cum *ἀρρένος*, quum *πᾶς* vtriusque sit  
 generis : vt sit perinde ac si diceret, aliam esse  
*παιδὸς*, & quidem siue quis *παῖδα θήλειαν*, siue  
*παῖδα ἀρρένα* consideret ) aliam senis : siue is sit  
 ingenuus, siue seruus. Quibus subiungit, Et aliæ  
 quamplurimæ sunt virtutes : adeo vt deesse non  
 possit quod respondeatur de virtute, quidnam  
 sit. Nam prout est vnaquæque actio & ætas, vni  
 cuique nostrum est virtus ad vnumquodque o

pus. Sic autem, Socrates, vitium quoque se habere existimo. Hæc ille: at Socrates eius responsum irridens, ait se fortunatum, quod vnicam virtutem quærens, examen quoddam virtutum apud illum reconditarum inuenerit: & tandem eum vrgere pergit vt quid sit virtus respondeat. Quamuis enim multæ & omnigenæ sint virtutes, omnes vnicum *ei dds* habere, propter quod sunt virtutes. In hoc autem esse defigendos oculos illi qui responsum illud daturus sit. Ex his patere satis puto, quomodo Fauorinus Socratis in hoc capite consuetudinem sequutus sit: & propterea eius titulo adiecta falso non esse hæc verba, *in Socraticum modum*. Sed tuum tamen esto iudicium, lector, an Gellius hæc verba, quæ, licet sermoni suo conuenientia, in capite non posuerat, eius titulo adiecturus fuerit.

#### DE TIT. CAPITIS II. LIB. XII.

Verum vt ad cæteros ordine pergam, hic est capitis secundi, libri duodecimi, *Quod Annanus Seneca, iudicans de Quinto Ennio de que M. Tullio, leui futilique iudicio fuit*. Hanc certè leuitatem & futilitatem in ipso capite non habemus: quoniam tamen aliis verbis vtitur, quibus iudicium eius non minus acriter & acerbè reprehendit, dicere quis fortasse possit, nihil noui adiectum esse.

#### DE TIT. CAPITIS VI. LIB. XIII.

. Contra autem negari non potest quin aliquid noui additum habeat titulus Capitis sexti, Libri

decimitertij. Est autem eiusmodi: *Quid veteres Latini dixerunt quas Græci προσωδιας appellant. Et item, quòd vocabulum barbarismi non usurpauerint neque Romani antiquiores, neque Attici.* Hæc certè postrema verba, neque Attici, noua erunt ei qui caput priùs quàm eius titulum leget: quum in capite nulla prorsus Atticorum fiat mentio. Sed, siue Gellij sit hæc adiectio, siue potius Pseudogellij, quod ea continet, verumne an falsum esse dicemus? Equidem minimè dubito quin & antiquiores Attici βαρβαρίζειν dixerint, non cã tantum significationis formam sequèdo quam habent, μηδίζειν, ἀττικίζειν, λακωνίζειν: verum & quum significare volebant, Barbarè loqui: an autem & huius verbale βάρβαρισμός iam tum in vsu esset, ambigi posse scio: quòd multa verbalia non eodem quo ipsa verba tempore vsurpari cœperint. Sed vocem cuius vsum recepta in aliis sermonis forma permittebat (neque enim dubium est quin μηδισμὸν & ἀττικισμὸν & λακωνισμὸν illi quoque veteres Attici dixerint) pro vsurpata habere possemus, etiam si nullo id testimonio probari posset.

## DE TIT. CAP. IIII. LIB. XIII.

Dum hic πηλογράφος Chrysippum aliis quàm Gellij verbis laudare vult, laudem ei minimè cõuenientem tribuit. modulos enim orationis (quos hic modulos verborum appellat) Chrysippus minimè sectatus est. Sic igitur reformandus est huius capitis titulus; *Vultus iustitiæ seueris atque venerãdis verborum coloribus à Chrysiippo depictus.*

## DE TIT. CAP. VIII. LIB. XV.

Venio ad titulum capitis octaui, libri decimi-  
 quinti. Illi enim capiti hæc verba præfixa sunt,  
*Locus ex oratione Fauorini, veteris oratoris, de cœnarum  
 atque luxuriæ exprobratione: qua usus est quum legem  
 Liciniam de sumptu minuendo suasisit.* Horum poste-  
 riorum huius tituli verborum, *qua usus est quum  
 legem Liciniam de sumptu minuendo suasisit,* ne umbrâ  
 quidê ipso in capite habemus. Nec verò hæc tã-  
 tum verba suspecta esse possunt, sed & Fauori-  
 ni nomen periculum est ne pro alio in ipsum  
 etiam caput irrepserit.

## DE TIT. CAPITIS XI. LIB. XIX.

Ponit versus Platonis amatorios: quos admodum  
 iuuenis lusit, dum tragœdiis contendit. Hic titulus  
 à me affertur, non tam vt ostendam quæ in eo  
 discrepantia sint à verbis Gellii: (nam hoc dif-  
 criminis tantum est, quòd in hoc dicitur, *dum  
 tragœdiis contendit*: Gellius autem dicit, *quum  
 tragœdiis faciendis præluderet*: & hîc admodum iuue-  
 nis, apud Gellium *adolescens* habemus) quàm vt  
 ostendam Pseudogellium hîc minimè sibi con-  
 stare, sed commentum suum detegere: quum  
 hæc non itidem vt quæ in aliis plerisque titulis  
 legimus, ex Gellii persona dicantur, sed tanquã  
 à quopiam qui de Gellio loquatur.

Sed quid ego tam multa? vel ob illos certè  
 πλεονασμοὺς & illas περιουλογίας, vicissimqu  
 illas ἐλλείψεις, quæ his in titulis cernuntur, etiar

si aliud nihil in illis foret quod reprehēdi posset, pudore impediri deberemus quominus Aulo Gellio eas adscriberemus. Quid enim ineptius fingi potest illa de qua in primū primi libri titulum dixi? *De comprehendenda corporis proceritate qua fuit Hercules cum vitam inter homines viueret.* In eodem habemus *Pythagoram philosophum*, sicut in titulo capitis primi libri secundi *philosophus Socrates.* Sic *Demosthenes rhetor* (pro orator) tit. cap. 5. & 8, libri primi. Et *Thucydides, historia scriptor inclutus.* Quasi verò breuitas quam tituli poscunt, permitteret vt ea etiam quæ notissima sunt adderentur. At verò vbi opus est, ibi non adii-  
citur: veluti in titulo capitis decimiseptimi libri tertii, *Plato*, non adiecto philosophi titulo, ad differentiam. Nisi ex eo excusamus quòd simul Aristotelis sit mentio, libros itidem ementis. Sæpe etiam duo posita sunt vocabula vbi alterum sufficere poterat. veluti in titulo capitis primi, libri tertii, *Quæsitum ac tractatum quam ob causam Salust.* Et in tit. cap. sexti, libri vigesimi, *Quæsitum atque tractatum utrū sit rectius dicere.* &c. Item in tit. cap. septimi, libri secundi, *In quibus scriptum quæsitumque est an semper omnibusque patris iussis obsequendum sit.* Alia quædam huius generis omitto, ex iis nonnulla sunt quorum mentio à me facta fuit. Vnum tamen ex illis est quod excusari posse videtur, si Pseudogellio adeo gratificari velimus, vt nobis persuadeamus, eum *verbis & vocabulis ἐν παραλλήλου* non posuisse, sed cuiusdam loci Gelliani exemplo vocabula pro nominibus dixisse. Eorum porro locorum quos antè annotaui, vnus est hic,

*Consultatio diiudicatioque locorum facta ex comœdia Men.* Vbi etiam ostendi quàm paucis comprehendi verbis huius capituli titulus potuisset. Atque itidem pro titulo isto capituli duodecimi, libri undecimi, *Quòd Chrysippus philosophus omne verbum ambiguum dubiùmque esse dicit, Diodorus contra nullum verbum ambiguum esse putat*: scribendus erat alius huiusmodi, multo paucioribus verbis, *Chrysippum, omne verbum ambiguum natura esse, Diodorum, nullum esse dicere.* Sic autem multo breuior est titulus capituli sexti, libri duodecimi, in hac editione, quàm in superioribus. Nam ista habet tantummodo, *De enigmate*. At in illis legitur, *Quòd Græci anigma dicunt, Latini antiqui scirpos appellauerunt*. Quod improbari non potest, quum breuitas illa minimè requireretur. Immo verò, vt plenus titulus esset, scribendum erat, *Quæ Græci anigmata dicunt, veteres Latinos scirpos appellauisse. Item unius horum exemplum.*

Sed ἐλλειψων in titulis (id est titulorum imperfectorum) insigniora exempla in superioribus à me annotata fuerunt. Quibus adii. i potest ἐλλειψίς quæ est in titulo capituli octaui libri decimitertii. Ita enim is scriptus est, *Quòd Afranius poeta prudenter & lepidè Sapienciam filiam esse Vfus & Memoria dixit*. Atqui, si titulum ἐντελῆ dare hic πηλογράφος & voluisset & sciuisset, scribere debuisset, *Afranium poetam verisimè de comparanda Sapiencia opinatum esse, quòd eam filiam esse Vfus & Memoria dixit. Item Pacuuii versus in eadem fermè sententiam, quo reprehenduntur ignaui desidèrque philosophi, & qui lingua tenuis philosophantur.* Aut ita, breuitatis causa, *Item, Pacuuii versus in*



*eandem ferme sententiam, aduersus philosophorum ignauiam. Quòd si fas esset aliquid Gellio affingere, dicerem pseudophilosophorum.*

DE QUIBUS DAM VOCABULIS ET LOQUENDI GENERIBVS, quæ in hisce titulis, sed non apud Gellium, leguntur: ex quibus nonnulla suspecta esse possunt.

TANQUAM ex abundantia hoc argumento vtor: quum alia tam multa iam attulerim, vt omnes habiturum me subscriptores approbatorésque (quemadmodum alicubi Gellius noster loquitur) persuasum mihi sit: & vel illud quod modò de titulo cap. vndecimi libri vndeuigesimali, obieci, non *δύσμαχον* tantum sed *ἀμαχον* esse argumētum videatur. Sed lubenter quorundam etiam vocabulorum & loquendi generum mentionem faciam quæ in hisce titulis, sed non apud Gellium, extant: ex quibus nonnulla modo non barbariei suspecta esse possunt. Cautiores enim admonitione mea lectores reddentur: quum alioqui videam, quæcunque habent hi tituli, pro Gellianis haberi. Facit autem Ludovicus Viues illa sua Gellij vituperatione (cui respondi) vt lubentius hunc quoque laborè (quo Admonitio mea posse carere videbatur) suscipiam. Siquem enim Viues colorem illi suo mendacio inuenire potuit (nam ex multis vnum hoc est, putidum in verbis etiam esse Gellium) nò dubito quin eum ex his titulis potissimum petierit.

Tria autem sunt horum vocabulorum genera:

Primum, eorum quæ Latina quidem sunt, sed nequaquam (vt opinor) in eo quem ibi habent vsu: Secundum, illorum quæ ne Latina quidem esse crediderim. Tertium autem habet locum ea quæ Latina fortasse fuerunt potius quam sunt: id est, quæ obsoleta sunt.

Ad primū genus quod attinet, quāuis Tempestiuū & Intēpestiuum Latina esse constet, tamen homo *intempestiuus* non satis Latinè (meo quidē iudicio) dictū est in titulo Capituli septimi libri duodeuigesimi, *Quem in modū Favorinus tractauerit intempestiuū quendam de verborū ambiguitatibus quaerentem*. Neque enim hoc simile dici potest illi Pliniano, *Anseres cōtinuo clangore intēpestiuū*. Occasionem autem ita loquendi præbuerunt hæc quæ in ipso capite leguntur verba, *Non tēpestiuè, inquit Favorinus, hunc hominem accessimus*. Vbi etiā considera, alio quoque peccatum esse modo ab eo qui titulum hunc scripsit. Nam si intempestiuus vocari poterat eorum qui ibi colloquuntur alter, Favorinus non Diodorus hac appellatione dignus erat. Adco horum titulorum plerique modis omnibus sunt inepti. Sic etiam, Tenuiter, non minus quam Tenuē, Latīnū esse vocabulū constat, sed *Tenuiter* pro Subtiliter, Latinè dici vix crediderim, in titulo quarti capituli, libri primi, *Quam tenuiter curiosèq; explorauerit Antonius Iulianus in oratione M. Tullij, verbi ab eo mutati argutiam*. Scio tamen apud Gell. vno in loco talē vsū videri habere. Item Eximere in numero Latinarū esse vocū notū est: sed tamen Locus ex aliquo scriptore exemptus pro Excerptus, vereor vt satis Latinum sit. Eo tamē bellus hic titulorum fabricator non vno in loco vtitur. Nā

in tit. cap. noni libri sexti legimus, *Locus exētus ex annalibus L. Pisonis.* & in tit. cap. viges. lib. secūdi.

At verò aduerbium Designatè dubitari potest an Latinis in vsu fuerit. Quòd si eo vsi sunt, saltè non eo in significato quem habet in titulo quinto libri secūdi, *Quàm lepidè designatèque dixerit Favorinus philosophus quid intersit inter Platonis et Lysia orationem.* At verò aduerbium Signatè apud ipsum Gellium, cum verbo Loqui. Nam legimus in extrema pag. 362, huius editionis, *Qui propriè atque signatè loquuntur sunt.* Memini autem me & Signanter apud alium quendam legere: vt certè quædam huiusmodi aduerbia vtramque formã habere constat. Nam & in titulo capitis vigesimiprimi libri decimi pro *observantissimè* quædam exempl. *observatissimè* habent: vt & *affirmatissimè* in titulo cap. vigesimiprimi libri primi. At Gellius (vt & de hoc obiter moneã) potius, meo quidem iudicio, dixisset, *obfirmatissimè contenderit*, quàm *affirmatissimè contenderit*. Illo tamè *Affirmatissimè* magis nouum videri alibi possit *Memoratissimum*. Cæterum vt ad illũ titulum reuertar, fieri potest vt in eo *exsignatè* factũ fuerit *designatè*, syllaba vltima præcedentis vocabuli *lepidè*, in principio sequentis repetita. Ea enim ex re quamplurimos vel potius infinitos errores in libris esse natos, docui in meo De mendorum origine tractatu. Quid? *prestigiosum grammaticũ* an Gellium dicere ausurum fuisse putamus? Mihi quidem certè vix fit verisimile: & tamen legitur in epigraphe capitis decimi, libri octaui: *Qualis mihi fuerit in oppido Eleusine disceptatio cũ grammatico quodã prestigioso, tempora verborũ et meditamenta puerilia ignorante, remotarum autem questionum ve-*

*bulas & formidines, capiendis imperitorum animis, ostentante.* Quæstionē certè hanc, sicut & de quibusdam aliis vocabulis quæ in illius libri titulis extant, in medio relinquere cogor: quandoquidem liber ille intercidit. Scio alioqui dicendi genus quoddam à Gellio *præstigiosum* vocari. Nam capite decimoquarto libri septimi, postquam dixit genera dicendi esse tria, tã in carmine quàm in soluta oratione: quæ Græci *χαρκτηρας* vocât, & quæ tribus hisce nominibus distinguunt, *ἀδρὸς, ἰσχνὸς, μέσος*: (subaudiendum est enim *χαρκτηρ*) vt Latini istis, Vber, Gracilis, Mediocris: & Vberi quidem dignitatem atque amplitudinem esse, Gracili, venustatem & subtilitatē: Medium (quem vocauerat Mediocre) in confinio esse, vtriusque modi participem: hæc, inquam, vbi dixit, addit, his singulis orationis virtutibus vitia esse agnata pari numero, quæ earū modum & habitum simulacris falsis cmentuntur: adeo vt plerumque sufflati atque tumidi fallant pro vberibus: squalentes & ieiuni, pro gracilibus: incerti & ambigui, pro mediocribus. Multis autem interiectis, tandem caput his verbis claudit, *Vnumquodque autem genus (vt diximus) quum castè pudicèque ornatur, fit illustrius: quum succatur atque prelinitur, fit præstigiosum.* Verùm, non si tale dicendi genus ab eo præstigiosum vocatū fuit, protinus & aliquis grammaticus appellari potuerit præstigiosus. Qua tamen de re *ἐπιζω*, ac me interim, huic solo titulo confisum, vsurum esse nego. A quo titulo antequam longius discedam, lectorem monebo, hæc quæ in eo sequuntur verba, *remotarum autem quæstionum nebulas & formidines, capiendis imperitorum animis, ostentante.*

*tante*: nō itidem in dubium à me vocari, sed pro Gellianis à me iam nunc agnosci: dummodo *formidines* alium quàm vulgarem significatum habere mihi concedatur: eum, inquam, qui autorem habet Virgilium, hoc in versu,

— *puniceave agitant timidos formidine pennæ.*

Cuius etiam exemplo suspicor Oppianum *Δειμαλέην μέγιστον & δέϊμα πολύχρσον* nominasse.

Inter illa autem, quibus, quum Latina esse constet, abusus dici potest, poni debent (mea quidem sententia) illa duo, *insolentiarum* & *imperitiarum*, quæ leguntur in quodam titulo libri septimi, *grammatico insolentiarum & imperitiarum pleno*. Neque vllō modo persuadere mihi possū, Gellium his pluralibus vsurum fuisse, licet alicubi *veritates πλῆθωτικῶς* dicat.

Sed & quàm inopinatè *verborum inopinatum* factam in quodam titulo mentionem reperiamus, in præcedentibus docui. *Quid* etiam quin Latinū sit nemo dubitat, sed tamē de duobus tantū loquendo, dicere, *Quid foret rectius*, vel *Quidnā foret rectius*, purè Latinitati repugnare, & dicendum esse *utrum*, satis constat. Atqui illud, non hoc, habemus in titulo decimotertio libri primi.

Omisi particulam illam toties repetitam, *Quòd*, quam magna pars horum titulorū velut pro fundamento habet, ad structuram quod attinet. vt in titulo capitis tertii, libri primi, *Quòd Chilo Lacedæmonius consilium anceps pro salute amici cepit: quòdque est circumsp.* &c. Et in titulo capitis quarti, eiusdem libri, *Quòd Demosthenes rhetor cultu corporis atque vestitu probri obnoxio, infamique munditia fuit: quòdque item Hortensius orator ob eiusm. mund. gestumque in ag. histr. Dionysia*

*saltatriculæ cognomento compellatus est. Sic & alibi passim. At ego hunc usum particulæ Quod, imitationem esse dico particulæ ὅτι, quum adhibetur illis scriptis quæ à Græcis ἐκλογαὶ vocantur, aut ἐπιτομαί: ( ut videre est in illis quæ ex Strabone sunt ἐπιτελιμηρέα ) at nostrum Aulum Gellium hunc particulæ Quod usum, & ἐλληνίζοντα & νεωτερίζοντα, & nescio quid nimis grammaticum redolentem, minimè admissurum fuisse existimo.*

Venio ad illa secundi generis vocabula, id est, ea quæ quum in his titulis legantur, quos magno consensu Gellio adscribi videmus, an Latina vlllo modo sint, in dubium vocari potest. Ex iis est *Ignominiatus*, in titulo capitis vltimi libri octauo, *Quibus modis ignominiatus tractatusque sit à C. Casare Laberius poëta*. Ego certè Gellium crediderim dicturum potius fuisse, *Quibus ignominia modis tractatus sit*. vel, *Quàm ignominiose tractatus sit*. Ipsum quidem octauum librum ( quod valde dolendum est ) non habemus, ut an eo in capite Gellius vsus sit videre possimus: sed in hoc ipso Laberio nonnulla reprehendit, tanquam prælicenter scripta (*Laberius in Mimis*, inquit, *quos scriptitauit, oppidò quã verba finxit prælicenter*) quorum tamen nonnulla plus habere licentiæ non videntur. Vnum est saltem, *Depudicare*, quo vti malim quàm illo *Ignominiatus*. Quum autem alia pleraque ostendam in titulis legi quæ tamen apud ipsum Gellium non inueniuntur, minimè mirari lector debet si de hoc quoque idem suspicer. Sic etiam de vocabulo *Sermocinia* dubitari potest, ( quamuis alia eiusdem formæ esse non ignorem ) quod le-

gitur in titulo capitis vndecimi libri septimi, hac in editione : inter eos quidem titulos qui calci voluminis subiuncti sunt: pag. 560. Nam alioqui non *sermociniis*, sed *sermonibus*, habes pag. 206.

Sic etiam de Simulamentis ambigi posse dico, quod est in titulo capitis vigesimisecondi libri decimiquinti, *Historia de Sertorio duce, deque astu eius commentitiisque simulamentis, quibus ad barbaros milites continendos conciliandisque sibi utebatur.* Non solùm autem illud *simulamentis* suspectum habeo, tanquam non Latinum, aut certè non factis purè Latinum: verumetiam *commentitiis*, tanquam omnino *πλεονάζων*, displicet. Neque hoc *ἐν παρόδῳ* tacebo, vt hïc est *πλεονασμός*, ita *ἔλλειψις* videri posse in eo quod, quatuor tantùm vocibus interiectis sequitur, *continendos*. Nam si hoc Latinitas admittit, Latinius saltèm fuisset, *continendos in officio*. Verùm ad nomen illud *simulamenta* vt redeam, ei simile alioqui habemus *meditamenta*, in titulo capitis decimi libri octauo, *Qualis mihi fuerit in oppido Eleusine disceptatio cum grammatico quodam prestigioso, tempora verborum & meditamenta puerilia ignorante, remotarũ autem quæst. &c.* Sed quum ille octauus liber interciderit, an Gellius eo vsus esset (sicut & de illo *ignominiatum* dictum fuit) sciri non potest. Minus certè ab simile vero est cum *meditamenta* (quo & quidam alij vsi sunt) dixisse quàm *simulamenta*: quamuis eiusdem formæ sint. Sed tamè quoniam apud Gellium *interpretamentum* & alia quædam huiusmodi habemus, dixisse quòque non solùm *meditamenta*, verumetiam *simulamenta*, (vt Naso *simulamen* dixit) credamus: at quis illum credat (vt ad loquendi genera veniam) quod in capi-

tis proximè præcedentis titulo legitur dixisse?  
 In eo enim scriptum est, *Quòd Theophrastus, omnium  
 sua ætatis facundissimus, verba pauca ad populum A-  
 theniensem factururus, deturbatus verecundia obtinuerit.*  
 An, inquam, Gellium *deturbatus verecundia* dixisse  
 credibile est? Quid? an quòd aptissimum hoc esse  
 videbatur? an potius, quòd aliud illi non succur-  
 reret? Neutrum horum tanto de viro verisimile  
 est. nam vel iudicio vel memoria valde infelicit  
 fuisse dicendus esset. Scilicet, quum *Impeditus ve-  
 recundia*, aut etiam *Præpeditus verecundia*, posset di-  
 cere: vel *Tardatus verecundia*, seu *Retardatus*: aut *Re-  
 pressus verecundia*: (fortasse etiam *Revocatus*) magis  
 illi placuit *Deturbatus*. Nec verò est quòd mihi  
 quis istum Plauti versum opponat,

*Hæc verecundiam mihi & virtutis modum de-  
 turbavit.*

Neque enim si ludens dixit *deturbavit verecundiam*,  
 etiã ipsa verecundia deturbare dicitur.

Sed illud tamen, qualecunque est, tolerabilius  
 esse fateor quàm quod legitur in titulo capitis o-  
 ctavi libri secundi, *Reprehensio peracta*. Hæc enim  
 sunt totius tituli verba, *Quòd parùm aqua reprehensio  
 Epicuri à Plutarcho peracta sit in syllogismi disciplina.*  
 Ut omittam, ineptè dictum hoc esse, *reprehensio  
 in syllogismi disciplina*: quum potius dicendum es-  
 set, *in syllogismi forma*. Nec illud (credo)  
 agnosceret Gellius, *Per hominum memorias tradi-  
 tum*: quod scriptum est in titulo capitis decimi-  
 quinti, libri tertii: *Exstare in literis perque hominum  
 memorias traditum*. Mihi certè apud eum videor  
*Tradita* legisse, absque adiectione, pro eo quod  
 Græci *παροπαράδορα* dicunt. Quinetiam  
*Largum bibendi* nimis poeticè & audacter dictum



censeret, vt opinor: quod legitur in titulo capitis duodecimi, libri tertii: *Largum atque avidum bibendi à P. Nigidio, doctissimo viro, nouo & prope modum absurdo vocabulo Bibosum dictum.* Quum tamen in ipso capite contentus fuerit Gellius dicere *Bibendi avidum.* Verùm hoc quoque velim consideret lector isto in titulo, quod & in aliis quibusdam antea considerandum proposui: quomodo in eo asperior sit quàm ipso in capite reprehensio. Neque enim ibi à Gellio vocabulum istud penè absurdum esse dicitur: sed tantùm scribit, se *Bibacem* quidem, vt *Edacem*, à ple-risque aliis dictum legisse, at *Bibosum*, quod affertur à P. Nigidio, apud Laberium tantùm reperisse. Et addit, aliud nomen non esse quod simili inclinatu dicatur. nequaquam enim tale esse quale *Vinosus*, aut *Vitiosus*, & cætera quæ in *osus* desinunt: quoniam à vocabulis, non à verbis, inclinata sunt. Ad illa autem loquendi genera vt reuertar, quibus Gellium minimè vsurum fuisse puto, legimus in titulo capitis deciminoni, libri decimiseptimi, de duobus illis Epicteti verbis, *ἀνέχου καὶ ἀπέχου*, *Et quæ duo verba obseruanda præceperit, omnium rerum longè salubria.* Duo sunt quæ referre prope modum pudet: quorum vnum est in epigraphe capitis decimioctauo, libri quinti, *In quid & quantum differat historia ab annalibus.* Alterum autem in epigraphe capitis sexti, libri vndeuigesimi, *Quod pudor sanguinè ab extra (siue ab extra, vna voce) diffundit, timor verò contrahit.*

De tertio eorum quæ dixi vocabulorum genere paucis nunc agam. Dico igitur exemplum eius extare hoc in titulo capitis decimi, libri

primi, *Quibus verbis compellauerit Fauorinus philosophus adolescentem cascè nimis & vetustè loquentem*. Nihil magis alienum à re de qua hoc in capite agitur esse potest, quàm hoc sermone in eius titulo vti. Quum enim ibi Fauorinus adolescentem quendam reprehendat veterum verborum cupidissimum, & plerasque voces nimis prisca & ignotissimas in quotidianis communibusque sermonibus expromentem, denique, non aliter quàm si cum matre Euandri loqueretur, sermone à multis iam annis desito vtentem: hic titulus in illud ipsum quod reprehenditur vitium incidit, dicens, *cascè nimis & vetustè loquentem*. Nam poterat quidem certè Fauorinus fortassis, eum irridendo, sermonem eius aliquo in vocabulo imitari: (quod tamen non fecit) sed titulo obsoletum illud aduerbium *cascè* (quod minus etiam vsitatum fuisse reor quàm nomen *casca*) minimè conueniebat: nec verò in ipso capite vllam eius menciónem fieri videmus.


Cæterùm illa etiam duo vocabula, *Sermocinium* & *Ignominiatus* (quorum antè facta mentio fuit) si inter Latina, at certè inter obsoleta, meo quidem iudicio, sunt ponenda.

Sed iam fortasse manus mihi dant & herbam porrigunt aduersarii, qui antea titulos illos, tanquam Gellianos, mordicus retinebant. Equidem, si non iam nunc id faciunt, at breui facturos spero. Vtcunque tamen se res habeat, pro Gellio aduersus Pseudogellium acriter dimicasse iuuabit: ac fecisse vt qui peruicaces non erunt, quantum illis antea titulis fidebant, tantum diffidere incipiant.

HENR. STEPHANI  
NOX VI, VII, ET VIII,  
ATTICIS AVLI GELLII  
VIGILIIS INVIGILATÆ.

SIVE,  
SPECIMEN SEV ΔΕΙΓΜΑ  
ΕΜΕΝΔΑΤΙΟΝΥΜ, ΠΑΡΤΙΜ  
*è veteribus libris sumptarum, partim alia-  
rum quas è suis coniecturis deprompsit.*






IACOBO AVG. THVANO,  
 SUPPLICVM LIBELLORVM  
 in regia magistro

HENR. STEPHANVS S. D.

**N**doctum quendam, multos tamen li-  
 bros ementem, irridet & insectatur  
 Lucianus. Eius enim extat epistola  
 siue oratiuncula qua inuehitur in  
 quendam ἀπαίδευτον, πολλά βιβλία ἀνέμεινον. Quan-  
 tum autem illum ludibrio habuit, tanto te (ut o-  
 pinor) honore prosequeretur: quantum illum vi-  
 tuperavit, tantum te laudaret: te, inquit, non ἀπαί-  
 δευτον, sed πολλάχως ἀπαίδευτον, huic libros un-  
 dique conquirendi studio acerrimè incumbētem:  
 atque, ut omni librorū genere, Græcorum præ-  
 sertim & Latinorum, tua tandem bibliotheca  
 possit esse referta, nullis sumptibus parcentem.  
 Quinetiam, quòd in delectu editionum typogra-  
 phicarum tantum iudicij adhibes, quòd quanto  
 maiore in pretio tibi est aliquod volumē, eo pre-  
 tiosiore integumento & velut indumēto ornas-  
 tum in his quoque studium tuamque diligen-  
 tiam, non illaudatam (ni fallor) relinqueret.  
 Ad me quidem certè quod attinet, non tan-

tum ardens istud amplificandæ in dies bibliothecæ desiderium laudo, sed ei etiam omnimodis (ut voce postliminio ad has Noctes reuertete utar) gratificari cupio. Nunc adeo his saltem Noctibus, simulque meis, quas hisce vigiliis inuigilaui, eam ditabo. Aliquid autem, quod noctis naturæ repugnat, meæ istæ Noctes efficiant. ex his enim cum alia, tum verò ea quæ in hac editione præstita fuerint, elucescent. Tu, si me ἀγαπᾷς, hoc meum munusculum ἀγαπᾷς ἔχε. Vale.  
 Parisiis, Pridie Nonas Mart.



HENR. STEPHANI

SPECIMEN SEV ΔΕΙΓΜΑ  
ΕΜΕΝΔΑΤΙΟΝΥΜ, PARTIM  
*è veteribus libris sumptarum, partim alia-  
rum quas è suis coniecturis deprompsit.*



VE M A D M O D V M qui quempiam, dum graui morbo conflictaretur, nõ viderunt, nesciunt quanta gratia medicis, qui eum sanitati restituerunt, debeatur: ita qui literarium aliquem campum, dum vepribus sentibúsque obítus squaleret, cõspicati non sunt, quanto runcatori sint obligati beneficio, ignorant: atque hinc fit vt gratiam nullam consequantur. Hoc ne iis vsuueniat qui hac in re de isto Gelliano campo optimè sunt meriti: (hi autem, sunt potissimum veteres libri) & ingratos experiantur eos qui contrà modis omnibus grati esse vellent: horridam illam & tetram (ita enim loqueretur Gellius) quam antea habuit faciem, aliqua ex parte repræsentare conabor.

Sed quú variis & multifariis hoc volumèn antea scateret médis (ob quæ ipsum vepricoso senticosoque cõparauí campo) hac in varietate eú quem memoria suggeret ordinem seruare con-

tentus ero : sic tamen vt auspicaturus sim ab aliquot locis quorum salus absque illorum Hippocratum & Galenorum auxilio (id est veterum exemplariū) planè deposita & deplorata erat. Unde etiam discet lector id facere in plerisque veterum scriptorum locis ( postquam in iis emendandis satis ingeniū iudiciūque exercuerit ) de quo mōneri vulgō solemus in iis quæ variè dubièque narrantur: vt claudum, id est quod claudus afferet nuntium, expectemus. Quemadmodum enim nos, commonefieri scimus hoc dictone fidem nostram primis nuntiis sic addicamus, vt planè incredulam vltimis aurem præbeamus: ita certè vbi de mendosis scriptorum locis variæ coniecturæ aut etiam quæpiā ex vetustis petiæ libris lectiones in medium afferuntur, & nulla tamen neque hartim neque illarum nobis satisfacit: expectandum est quod tardius aduenire sed melius certiusque esse solet veterum codicū *ἀξιόπιστων* auxilium.

QVÆDAM EMENDATA, QVÆDAM ETIAM EMENDANDA IN  
Capite xviii, Libri v.

**B**ENÈ habet certè quòd mihi primus in memoriam venit quidam non parui momenti locus: qui tamen antea sic deformatus erat, vt, tanquam nullius frugi, iaceret. Is est Sempronij Afellionis, apud nostrum Gellium, libri quinti capite decimo octauo, ostendentis quid inter annales & historiam sit discriminis. Postquā enim dixit, annales libros id tātummodo quod quo-



que anno gestum sit demonstrare: at historiam scribentibus, etiam quo consilio quaque ratione singulâ gesta fuerint esse declarandum: interiectis quibusdam (quæ à Gellio præmittuntur) addit, *Nam neque alacriores ad rempublicam defendendâ, neque segniores ad rem perperam faciendam annales libri commouere quicquam possunt. Scribere autem, bellum quo initum consule & quomodo confectû sit, & quis triumphans introierit, exque eo libro quæ in bello gesta sint iterare, id fabulas non predicare ait. Interea quid senatus decreuerit, aut quæ lex rogatiõe lata sit, neque quibus cõsiliis ea gesta sint iterare, id fabulas pueris est narrare, non historias scribere.* Ita enim & in Lugdunensi editione legitur hic locus, ex qua descripsi: quum ita posterior eius pars scribenda sit (sicut etiam in ea quæ nunc exhibetur editione, legitur) & *quis triumphans introierit, & quæ eo in bello gesta sint iterare: non predicare autem interea quid senatus decreuerit, aut quæ lex rogatiõe lata sit, neque quibus consiliis ea gesta sint, id fabulas pueris est narrare, non historias scribere.* Verû in eadem editione quæ nunc in lucem venit, non rogatiõe sed rogatione legitur.

Illum autem locû aliquid præterea opis è vet. exempl. desiderare aliquis fortasse suspicetur, *Nam neque alacriores ad remp. defendendam, neque segniores ad rem perperam faciendam annales libri commouere quicquam possunt.* Sed tolerari tamen posse crediderim, modò non iungamus *alacriores & segniores* cum proximè sequentibus, verû intelligamus, *Neque eos qui sunt alacriores, commouere quicquam possunt ad rempublicam defendendam, neque eos qui sunt segniores commo-*

uere ad rem perperam faciundam.

In proximè præcedentibus item suspecta esse quædam possunt: ex quibus sunt illa verba, *omnium rerum*: quibus vicinæ sunt voces, *omnino mirum*, quæ nec alienæ ab hoc loco mihi videntur: sic tamen vt non prorsus mea coniectura mihi satisfaciât. Paulo post autem malim, *id est eorum qui quasi diarium scribunt*. In iis quæ proximè sequuntur, vbi scriptum est, *non modo satis esse video, quod factum esset, id pronunt.* (&c.) scriptores Sempronio posteriores voculâ *modo* non adiecissent, & *factum sit*, item *gesta sint*, dixissent: an autem Sempronius ita scripserit, in dubio relinquo.

At in Gellij verbis quæ Semproniana proximè præcedunt, legendum credo, *quid ipse inter res gestas & annales interesse dixerit*: vt apud ipsum Sempronium habemus, *inter eos interfuit*. Alioqui, discrimen, siue discriminis, aut aliquid huiusmodi desiderari putauerim.

Circa principium autem huius capituli, vbi noster Gellius ex Verrio Flacco refert, historiam Græcè significare rerum cognitionē præsentium, genitium *præsentium* suspectum quidem habere non debemus, sed nec eū iungere (meo quidē iudicio) cū rerū: verum intelligere rerū cognitionē quā habeant qui præsentis fuerint. Quod cōueniet cū iis quæ dicta fuerunt, *Earū tamen proprie rerū sit historia, quibus gerendis interfuerit is qui narret*. Adeo vt illum Verrii Flacci sermonem imitans Gellius, dicere potuerit, multo breuius, Sit tamen historia rerum narratio præsentis. At si apud hunc intelligamus, historiam Græcè signi-

ficare rerum præsentium cognitionē, quale istud erit? quomodo ita intelligere præsentēs poterimus ut præteritas non excludamus?

## DE SOLOECISMO CORRECTO IN CAP. XI, LIBRI IIII.

Solæcismus, de cuius emendatione hîc dicā, primum fortasse locum merebatur: vel potius, solæcismi huius emendatio: sed eius nunc primum recordatus sum. Eum superiores editiones habent capite vndecimo libri quarti. Nam circa illius principium, postquam Gellius eum Ciceronis locum protulit, in quo scribit, iubere Platonem sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit quod errorem animis perturbationemque afferat: addit hæc verba, (si qua illis editionibus est fides) *Ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur ne faba vescerentur: quæ res habet inflammationem magnam. Is cibus tranquillitatem mentis querentibus constat esse contrarius.* Vbi dicimus esse solæcismum, (quem hic scriptor à Sennio Capitone eiusdemque ætatis aliis imparilitatem appellatum, à vetustioribus autem Latinis Stribliginem dictum fuisse tradit) si hîc esse negabimus? At vide quàm procul à tam infami nota absit lectio quam tibi editio hæc ex libris vetustis exhibet, *Ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur ne faba vescerentur: quod habet inflammationem magnam is cibus, tranquillitatē mentis querentibus contrariam.*

Alius item est locus, qui quum aliquid *σόλοιον* in superioribus habeat editionibus, aut saltem

aliquid *σολοικῶ* proximum, in hac, omni labe caret: sed locum illum in memoriam mihi nunc reuocare haud possum. Ad illum autem solæcisimū de quo modò dixi, quod attinet, noui quendam celebrem in literis virum, qui quum verbo *constat* cum infinitiuo *esse*, aut alio, ita *σολοικῶς* vteretur, & à me admoneretur, ad illum me locum, ita in præcedentibus editionibus scriptum, remittere solebat. Cæterum quamuis noster Gellius Imparilitatem & Stribliginem Latinos appellasse dicat quod Græci Solæcisimum vocarint, tamen ne ipse quidē vsum huius appellationis repudiat. Scribit enim libri primi capite septimo, *Ita in Ciceronis oratione solæcisimus esset manifestarius*. Vtitur autem & alibi,

In eiusdem capitis principio, ex duobus Callimachi versibus eum qui prior est, turpi mendo fœdatum habes, in illo vocabulo *αἰώντων*: sed hoc suæ integritati restitutum iri mea cōiectura spero, inter meas coniecturales emendationes.

CORRECTI QUIDAM LOCI,  
ET VNVS ETIAM QUI CORRIGENDUS  
ex coniectura videtur, in Capite quinto  
Libri duodecimi.

MAGNAM (fat scio) gratiam hæc editio ab omnibus non ingratis hominibus inibit, cū ob alios plerosque locos emendatos, tū verò eum quem nunc proferā. Antea enim circa principium capitis quinti, libri duodecimi, legebatur, *Videmus hominem, doloribus cruciatibusque alui, quod Græci κῶλον dicunt, & febris simul rapida affli-*

*stari.* Quid hoc est, *doloribus cruciatibusque allabi?* quem non illud *allabi* cruciet? & quàm multos iam cruciasse putamus? At ecce vt contrà nihil molestiæ exhibet vera huius loci scriptura, quæ nunc tibi exhibetur, *doloribus cruciatibusque aliu.*

In iis quæ locum hunc præcedunt, pauca interiectis, eadem illæ editiones habent, quòd *aliò maturandum erat*, quum in hac scriptum sit, (vt vides) quòd *alioquin maturandum erat.*

Sed multo maioris est momenti emendatio quam habes pagina 315, *iccirco affectiones istas, primitus penitusque inditas, ratio post addita conuellere ab stirpe atque extinguere vix potest.* Quæ enim antea habuimus typographica exemplaria, lectionem hanc dederunt. *iccirco aff. istas, prim. pen. ind. ratio post addita conuellere, obstirpare atque extinguere vix potest.* Attentè autem hæc emendatio consideranda est, quòd ex ea discamus (sicut ex aliis plerisque) multa ex coniectura posse ita corrigi vt eum quem voluit scriptor sensum efficiant, & tamen aliam ex vetustis libris correctionem afferri. Hic enim (exempli gratia) quis *conuellere, extirpare, pro conuellere, obstirpare,* scribendum non credidisset, & propemodum iurare ausus fuisset? at ecce tamèn antiqui codices, eodem quidem sensu, sed non iisdem verbis, habent, *conuellere à stirpe.*

Quid præterea ex veteribus libris hoc in capite correctum fuerit, lectori, ex collatione, perspicendum relinquo: sed vnus est quem mea tibi coniectura (si non fallitur) emendabit. Legitur in hac editione (sicut & in aliis) pagina 314. *Sed, vt tibi à me rogeratur, dicam ego indoctius (vt*

aiunt) & apertius, quæ fuisse dicturum puto sinuosius atque solertius si quis nunc adesset Stoicorum. nosti enim, credo, verbum illud vetus & peruulgatum, ἀμαδέσερον πῶς εἰπεῖ, καὶ σαφέσερον λέγε. Atque hinc exorsus, de dolore atque de gemitu Stoici agrotantis ita differuit. Quid hîc peccatum est? dices. an ullû hîc vocabulum mendii est tibi suspectum? Nequaquam: sed hoc orationis huius membrû, cuius cuitium est, nosti enim, credo, sede sua motum esse, atque ita totum hunc locum scribendum esse contendo, Sed, ut tibi à me mos geratur, dicam ego indoctius (ut aiunt) & apertius (nostis enim, credo, verbum illud vetus & peruulgatum, ἀμαδέσερον πῶς εἰπεῖ, καὶ σαφέσερον λέγε) quæ fuisse dicturum puto sinuosius atque solertius si quis nunc adesset Stoicorum. Atque hinc exorsus, de dolore atque de gem. & c. Ita enim apta membrorum iunctura erit: quæ non esset, si facta illius sinuositatis Stoici sermonis mentione, subiungeret quod illam improbat & illi repugnat prouerbum. Sed per parenthesis dicta intelligantur necesse est: ideóque illius notis ea inclusi. Cæterùm illud λέγε superuacaneum esse existimo, & propemodum ineptum: præsertim quum absque illo plenus etiam sit versus: qui extat in Aristophanis Ranis. quum enim dixisset Euripides,

Ὅταν τὰ νυῦ ἅπαντα πῖθ' ἠγάμεθα,

Τὰ δ' ὄντ' ἅπαντα, πῶς:

Dionysus hæc se intelligere negat, ideóque eadem alio sermone, rudiore quidem & crassiore, sed apertiore, vult sibi dici.

— πῶς ἔμανθάνω.

Ἀμαδέσερον πῶς εἰπεῖ καὶ σαφέσερον.

Euripides igitur, morem Dionysæ gerens, quod paucioribus verbis obscurius dixerat, pluribus & apertius dicit: his versibus,

Εἰ τῶν πολιτῶν οἷσι νῦν πσεύομαι,  
 Τούτοις ἀπείσομαι. οἷς δ' ἔχρωμεθα,  
 Τούτοις χησαίμεθ'. ἴσως σωθῶμεν ἄν.

Vbi icholiastes ἀμαθέσσερον exponit ἀγροικότερον, & παχύτερον: item ἀπαιδευτότερον: nec non κοινότερον. quæ sonant, Rusticius, Crassius, Indoctius, Communius. Id est, Magis communi & vulgari sermonis forma. Simul autem admonet, alludi ad prouerbium hoc (nam ὡς πῶς παροιμίαν dicit) Σαφέσερόν μοι καμαθέσσερον εἴσων. Quo ex loco discimus, prouerbialem tum temporis fuisse versum hunc, non illum: quum tamen hic eadem, vno excepto, verba habeat. Cæterùm in fine versus qui hunc quem Gellius citat, præcedit, lego πῶς; ἔμανθάνω: vt πῶς non iungatur cum ἔμανθάνω: sed perinde accipiatur ac si dictum esset, πῶς τοῦτο φης; vt sæpe Græci dicunt, quum se non intelligere quod dicitur queruntur, & eum qui verba facit, apertius loqui volunt.

Cæterùm, quum eiusmodi sit hoc prouerbium, vt quotidie apud multos, vel potius aduersus multos, eo opus habeamus, libet etiam hoc addere, (quod, sicut & alia multa, silentio præterii, in Animaduersionibus in Erasmicas quorundam prouerbiorum expositiones, quas iuuenis edidi) mihi videri nimium longè petitam esse ab Erasmo huius prouerbii originem: quum eam contrà è propinquo peti posse existimem. Quotidie enim in multos incidimus,

qui dum verbis & loquendi generibus ab usu remotis, atque (vt ita dicam) præ nimia vetustate nouis, vtuntur, vt pote ex illorum raritate raræ doctrinæ famam aucupantes, multum negotii auditoribus aut lectoribus exhibent: adeo vt sæpe illis dicendum sit, non,

Σοφώτερόν πως καὶ σαφέστερον λέγει:

sed

Ἀμαθέστερόν πως εἰπὲ καὶ σαφέστερον.

QVÆDAM EMENDATA IN  
CAP. VII, LIBRI XVIII.

VERBUM quoddam Græcum, non minus quàm vllum aliud, infigne, valdè que significans, cuius vim sermo Latinus absque periphrasi assequi vix queat, in suam sedem, quam aliud occupauerat, editio hæc in capite isto restituit: ἐπισημαίνεσαι pro ἐπιμαίνεσαι. Nam quum antea legeretur, *Quumque digressi essemus, Non tempestinè, inquit Favorinus, hunc hominem accessimus. videtur enim mihi ἐπιμαίνεσαι: nunc legis, videtur enim mihi ἐπισημαίνεσαι.* Hoc autem, infigne (vt dixi) verbum, tam aptum est huic loco, quàm alterum ab eo erat alienum. Nam quid hîc agit, aut agere potest verbum ἐπιμαίνεσαι? Hoc vt sciamus, eius diligenter excutienda significatio est. Primùm igitur, simplex μαίνεσαι, sonare Insanire, siue Furere, notissimum est. at in hoc ἐπιμαίνεσαι an otiosa esse præpositio queat? Nequaquam: sed aliquis dicitur ἐπιμαίνεσαι πνι (siue personæ siue rei sit hic datiuus) pro eo quod Latini dicerent Insanè aliquem vel aliquid a-



mare, Ad infaniam vsque amare, Insano amore teneri. Est autem in vtroque vsu, carmini potius quàm solutæ orationi conueniens, ideòque multo etiam magis illic quàm hîc frequens: sed nec aliter quàm cum venia à solutæ orationis scriptoribus vsurpatur. Duo autem pulcherri-  
mi poetarum loci in memoriam veniunt, in quorum vno, datiuum personæ, in altero, datiuum rei habet: sed ita vt vterque locus emendationem requirat. Legimus enim apud Mos-  
chum,

Ἡ ἔρα Πανὶ Ἀρχῶ τῶς γάιτονος, ἠέρατο δὲ Ἀρχῶ

Σκιρτητῆ Σατύρω. Σάτυρος δ' ἐπεμήνατο Λύδαν.

quum scribendum sit, ἐπεμήνατο Λύδα, aut certè ἐπεμαίνετο: sicut sequitur φλέγων & ἐσμούχετο. Delectatus autem hoc verbi istius vsu Horatius, eum imitatus est, quum dixit,

*Hic tertius December, ex quo destiti*

*Inachia furere,*

*Syluis honorem decutit.*

Naumachius autem dixit ἐπμαίνεσθαι χρυσῶ, quū nuptæ dans præcepta scripsit,

Μὴ σὺ ποτε χρυσῶ ἐπμαίνεο, μήτ' ἐπιθειρῆς

Πορφυρέην ὑάκινθον ἔχης, ἢ χλωρὸν ἰάσσωιν.

Verùm ἐπμαίνεο in πειμαίνεο deprauatum fuit. Ex illo denique verbo ἐπμαίνεσθαι factum à Polybio fuit cognomentum ἐπμανῆς, & datum regi Antiocho pro ἐπρανῆς, iocosa audacia: eadem videlicet qua Τίμαιος historicus dictus fuit ἐππίμαιος.

Primùm ergo si dicere volebat Fauorinus, illum sibi videri insanire, cur ἐπμαίνεσθαι, non autem μαίνεσθαι, dicebat? Nam composito ἐπ-

μαίνεσθαι, quod non nisi cum datiu adiectione usurpatur, pro simplici μαίνεσθαι, vti, hominis est Græcæ linguæ ignari. Deinde, quâ verisimile fieri nobis potest, illum de homine talia loquuto id dicendum putauisse? audacem enim quandam & plusquam censoriam seueritatem, sed non insaniam, verba huiusmodi præ se ferunt. Postremò, quum non potuerit ignorare Fauorinus quod à Gellio initio capituli dicitur, huic Domitio, homini alioqui docto celebrique in vrbe Roma grammatico, cognomētum Insano factū fuisse, quid hoc aliud quàm inepta exprobratio esset, dicere, de eo cui cognomentum Insano factū esset, eum insanire? Quod non considerantes quidam, ideo lectionem illam probant (ignorātes interim quod modò dixi, nullo pacto compositum ὀπιμαίνεσθαι simplicis posse locum habere) quoniam illud cognomentum initio capituli legerunt. Atqui simul etiam considerare debuerant quæ à nostro Gellio adduntur, illum ita cognominatum fuisse quod esset natura intractabilior & morosior. Iam verò & hoc addo, Fauorinum de insaniam dicturum non fuisse quod de hominis istius intemperie dicit: esse μελαγχολίαν, quæ non paruis nec abiectis ingeniis accidit: quin potius hoc πάθος esse propemodum heroicum. Quid? an Fauorinus de eo quem tali præditum esse ingenio iudicabat, illud dixisset? aut, annon statim ei quod dixerat, cōtradixisset, si quidem hoc addidisset? Multo autem minus ea quæ sequuntur adiicere debuisset, *Vel ipsum quale hoc existimatis quod nunc de philosophis dixit? nōne, si id Antisthenes aut Diogenes dixisset, dignum memoria*

*memoria visum esset?*

At nunc, quàm bene contrà huic conueniat loco verbum ἐπισημαίνεσθαι, perpendendum est. Dixerat Fauorino Domitius, *Nulla prorsus bonæ salutis spes reliqua est, quum vos quoque, philosophorum illustrissimi, nihil iam aliud quàm verba auctoritatésque verborum cordi habeatis*: dixerat & alia quæ sequuntur: Fauorinus autè, quum ab eo vnà cum suis digressus esset, illis dicit, *Non tempestiuè hunc hominem accessimus. videtur enim mihi ἐπισημαίνεσθαι.* intelligens, illum sermone vtì qui aliquid portendat, & malè ominosus sit. At verò ad eum qui μαίνεσθαι quando tempestiuè accedere possumus?

In hac emendatione asserenda lógior fui, propter quendam, virum sanè doctum, qui alteram lectionem aduersus me pertinaciter tueri vóluerat.

Paulo autem ante illum quem modò attuli locum, vocabulum quod itidem est Græcum, in suam repositum sedem fuit, quam non aliud Græcū, sed (quæ iniuria videri acerbior possit) aliud, quod est Latinum, occupauerat. Hæc enim præcedentium est editionum lectio, *Nam qui (vel namque) collegisti & lectitasti res tetras, & inanes, et friuolas: tamquam mulierum voces præficarum.* At verò huius editionis, ista, *Nam qui colligitis lexicidia, res tetras & inanes & friuolas, tamquam mul. & c.* Conuenire potest numerus singularis, (vt quidè me inuito loquuntur grammatici) alloquendo, non vnum philosophum, sed plures? Neque enim dixit, Tu philosophè, sed, *Vos philosophi.* Deinde, si duo illa verba posuisset Gellius, sequi potius deberet quod præcedit: hoc modo, *lecti-*

98 HENR. STEPHANI  
*casti & collegisti*. Postremò, cur non potius, col-  
 ligitis & lectitatis, in præsentì, dixisset? At bel-  
 lè, *colligitis lexicidia*, adhibendo etiam diminuti-  
 uum, ad maiorem contemptum. Notú est enim  
 λέξειδια sonare vocolas, vt λέξεις, voces. Nec ve-  
 rò non proclivius fuit lapsus his ex syllabis in il-  
 las. Adde quòd bellè cum hac lectione congru-  
 unt ea quæ sequuntur, *tamquam mulierum voces*  
*præficarum*: perinde ac si certis se vocibus adstrin-  
 gerent, velut conductitiam & ipsi linguam ha-  
 bentes, & magis verba quàm sensum eorum cu-  
 rarent, vt solent qui è summo tantùm pectore  
 loquuntur.

LOCIDVOEMENDATI.  
 VNVS, VOCVM DVARVM ADIE-  
 ctione, alter, duarum detractiōe.

ITEM DE ALIIS QUI-  
 BUSDAM LOCIS.

**S**VNT aliquot loci, ad quos emendandos ali-  
 quid ex veterum librorum autoritate vel ad-  
 iectum vel detractum fuit. Adiectionis huius  
 paritèrque detractiōis specimen tibi erunt qui  
 sequuntur loci.

Capite septimo libri decimi quinti habemus  
 exemplum cuiusdam epistolæ Augusti ad Caiú  
 nepotem scriptæ: ea in superioribus editionibus  
 hisce verbis clauditur. *Deos autem oro ut quantum*  
*mihì superest tēporis, id saluis vobis traducere liceat, in*  
*statu reipub. felicissimo αὐδραγαθωώτων ὑμῶν καὶ διαδε-*  
*ραύων.* Atqui posterius illud participium *διαδε-*

*ῥοδῶν* quid significabit, quū nihil habeat à quo excipiatur? At si adicias *stationem meam*, ex vetustis libris (hoc modo, καὶ σταδὲ ῥοδῶν *stationem meam*) non erit quod ad huius loci expositionem desideres.

At verò in principio capitis secundi, libri noni, legimus, *Ad Herodem Atticum, consularem virum, ingenioque amœno, & Græca facundia celebrem, adiit, nobis presentibus, palliatus quispiam & crinitus, barbâque propè ad pubem usque porrecta: ac petit es sibi dari eis ἀποῦς, emendos scilicet. Tum Herodes interrogat quisnam esset.* Ita quidem editiones quæ hanc præcesserunt: sed quid illis duobus vocabulis, *emendos scilicet*, opus erat? Editionem hanc adi, in ea te illa non offendent. nam veterum librorum fidem sequendo, eiecta fuerunt: quum in iis legatur tantum, *ac petit es sibi dari.* Nec verò fieri potest quin illa duo vocabula nasutis suboluerint, tanquam irreptitia: vt multa huiusmodi ex margine in contextum (quem vocant) solere irrepere, notum est. In iis autem quæ proximè sequuntur, eadem habet, *interrogat quis homo esset.*

IN EO autem quod huic proximum est capite, habes itidem aliquot locos aliter in hac editione quàm in illis scriptos: de quibus te admonere libuit. Ac primùm, quum in illo brevissimo & pulcherrimo tamen Philippi encomio (quod initio capitis habetur) scriptum sit in illis, *Philippus Amyntæ filius, terræ Macedonia rex, cuius virtute industriâq; Macedones locupletissimo imperio aucti, gentium nationumque multarum potiri cœperant: & cuius vim atque arma toti Græciæ cau-*

*dam metuendamque, inclytæ illæ Demosthenis orationes concionesque notificant.* Quum (inquam) superioris temporis editiones hæc ita scripta exhibeant, in ista quæ nunc prodit, primum pro *Macedones* habes *Macetæ*, ex veterum exempl. fide. Mirum tamen hoc videri possit, cur non sicut *Macedoniæ* illic dixerat, ita etiam *Macedones* hinc: aut certe cur non *terræ Macetidis* illic, sicut hinc *Macetæ*, dixerit. Neque tamen eiusmodi est hæc obiectio ut nobis lectionem hanc reddere suspectam possit.

Pro illis autem, *et cuius vim atque arma toti Græciæ cauendam metuendamque*, (quæ lectio quamuis in Gryphianis exempl. & aliis inueniatur, ferri non potest, quum necesse sit duo illa gerundia posteriori accommodari) in quadam editione ex coniectura scriptum fuerat, *et cuius arma vimque toti Græciæ cauendam metuendamque*. Sed in vet. exemplaribus, ad quorum fidem hæc editio excusa fuit, retinetur quidem illorum duorum nominum ordo, verum non itidem gerundia priori sed posteriori aptantur: hoc modo, *et cuius vim atque arma, toti Græciæ cauenda metuendaque*.

Maioris momenti est vox, quæ noua videri potest, *vocificant*: loco illius notæ, vel potius notissimæ, *notificant*. Quid autem de hac nouitate dicemus? an suspecta nobis non erit? Mihi quidem certè *ἐκ ἐστὶν ὀπίως* non sit suspecta. Alioqui si *vocificant* à Latinitate admitti credibile sit, multo maiorem quàm *Notificant* emphasin habere manifestum est: ut perinde propemodum sit ac si diceret *Vociferantur*: quasi alludendo ad prouerbium, *αὐτὸ τὸ παρ᾽ ἑμα βόα*. Ad alterum verò quod attinet, quamuis multi dubitaturi sint

an ipsum pura Latinitas agnoscat, eo tamen v-  
sum esse Nasonem constat, hoc in versu,

*Atque modum culpæ notificare velis.*

In fine autem Latinæ epistolæ (id est, Gellianæ  
interpretationis epistolæ Philippi) pro *successione*  
illa habet *susceptione*, eodem sensu, sed voce mi-  
nus vsitata, præsertimque quum Græcam *διαδο-  
χην* interpretari oportet. Si tamen hanc propius  
intueamur, *susceptionem* ei potius quàm *successio-  
nem* respondere comperiemus: sicut & suscipere,  
*τῷ διαδοχῆν*.

EMENDATIO QUORVNDAM  
LOCORVM CAP. XXII,  
LIB. XIII.

QVAMVIS mea in Ludouicum Viuem pro  
Aulo Gellio Apologia iã de huius loci (vel  
potius, vnus horum locorum) emendatione di-  
xerim: tamen iterum hîc de ea, sed plenius, disse-  
ram. Noster itaque Gellius, postquam dixit, M.  
Catonem, consularem & censorium, publicis  
iam priuatisque opulentum rebus, villas suas  
inexcultas & rudes, ne tectorio quidem præli-  
tas fuisse dicere, ad annum vsque ætatis septua-  
gesimum: scribit, cum postea his verbis uti, *Ne-  
que mihi adificatio, neque vasum, neque vestimentum  
ullum est in manu pretiosum: neque pretiosus seruus,  
neque ancilla est. Siquid est (inquit) qua utat  
non est, ego sum: cuique per me uti atque fruatur  
deinde addit, Vitis vertunt, quia multa ego  
illis, quia nequeunt egere. Quibus subiungit hanc  
meram veritatem Tusculani hominis egere sè*

multis rebus, & nihil tamen cupere dicentis, plus commouere ad exhortandam parsimoniam, sustinendamque inopiam, quàm Græcas præstigijs eorum qui philosophari sese dicerent, umbrâsque verborum inanes fingerent: qui se nihil tamen egere, ac nihil cupere dicerent: quum & habendo & egendo & cupiendo arderent.

Ita quidem in typographicis editionibus quæ hanc præcesserunt: at in hac, *neque vestimentum ullum est manu pretiosum*, absque præpositione *in*: quod facit vt facile assentiar scribere volentibus *manu pretiosum*, vna voce: eodem modo quo *manu pretium* coniunctè dicitur. In eadem editione, *Siquid est quod utar, utor: si non est, ego, suum cuique per me uti atque frui licet*. Vbi, ad constructionem primùm illam quod attinet, *quod utar*, eam confirmat quod sequitur, *suum uti atque frui*. Sed aptè quidem *sum* in *suum* hîc mutatum dico, ex libris veteribus: verùm non rectè illud *ego* retineri, nullo verbo sequente. Quamobrem in *egéo* mutandû esse, aut saltem aptissimè mutari posse, nemo mihi (vt opinor) negare aufit: præsertim quum subiungantur illa, *Vitio vertunt, quia multa egéo: at ego illis, quia nequeunt egere*. Erit igitur *egéo*, perinde ac si diceret, Egere queo. Egere autem, Indigentiam ferre, seu tolerare. Et quod vernaculo sermone dicimus, *Je m'en passe*.

Enimuero quamuis mea hîc coniectura mihi satisfaciât, non celabo tamen lectorem aliam quam mihi amicus quidam ab alio se habere dixit: *Siquid est quod utar, utor: si non est, ego sum cui se semper uti atque frui licet*. Non ignoro autem videri posse hæc verba Senecæ (epistola centesi-



ma & vigesima) *Catonianum illud, à te mutuum sumes*, pro hac coniecturali emendatione videri posse facere. Sed totum illum Senecæ locum, ut pauca illa verba possint intelligi, afferam. *Quoties aliquid inueni, non expecto donec dicas, In commune. ipse mihi dico. Quid sit quod inuenerim, quæris? Sinum laxa: merum lucrum est. Docebo quomodo fieri diues celerrimè possis: quod valde cupis audire. Nec immeritò: ad maximas te diuitias compendiariò ducam. Opus erit tamen tibi creditore, ut negotiari possis. Es alienum facias oportet: sed nolo per intercessorem mutueris, nolo proxeneta nomen tuum iactent. Paratum tibi creditorem dabo. Catonianum illud, à te mutuum sumes. Quantulumcunque est, satis erit, si, quidquid deerit, id à nobis petierimus. Nihil enim, mi Lucili, interest utrum non desideres, an habeas.* Totum locum posui, & quòd sit insignis, & quòd eum ex Catone non illa tantum verba, verum, alia etià habere crediderim. Sed nequaquam persuadere mihi possum, ex eo ipso Catonis loco sumpta hæc esse, quem Gellius nobis affert: verum ex alio eiusdem argumenti. Ostendit certè & Plutarchus in M. Catonis vita eum parui non fecisse, non egere rebus superuacaneis. Scribit enim, καὶ τὸ μὴ δεῖδαι τῆς περὶ τῶν μᾶλλον ἢ τὸ κεκτημένα δαυμάζων. Deinde quantum ab eo abfuerit ut pretiosam vestem gestaret: εἰδῆτα μὲν γὰρ οὐδέποτε φησὶ φορέσαι πολυτελες ἔραν ἑκατὸν δραχμῶν.

Iam verò & quod Gellius initio huius capituli ex illius ipsius verbis tradit, *villas suas inexcultas & rudes, ne tectorio quidem praelitas, fuisse: apud eundem Plutarchum habemus, τῆς δὲ ἐπαύλων αὐτοῦ μὴ δεμίαν εἶναι κακομαρτύλι.*

Sed venio ad quendam alium locum, quo caput hoc clauditur: *qui se nihil habere & nihil tamen egere ac nihil cupere dicunt, quum & habendo & egendo & cupiendo ardeant*. Ego ne hunc quidem locum mendo carere puto: quod tolletur, meo quidem iudicio, si copulatiua particula ante vocem *cupiendo* tollatur: vt legamus, *quum & habendo & egendo, cupiendo ardeant*. Id est, quum cupiditate ardeant, non minus quum habent, quam quum egent.

QVÆDAM INTEGRITATI SVÆ  
RĒSTITVTA, IN CAP. XVIII,  
LIB. VII.

QVEM AD MODVM nautæ eos scopulos  
easque petras multo magis formidant quæ  
*ὄραλοι* dicuntur, & medici (illi quidem certè qui  
*χειρουργῶσι*) illa hulcera quæ *ὄπυλα* vocant, multo  
periculosiora esse queruntur: ita etiã inter men-  
da quorũ velut morbis libri laborant, nulla plus  
periculi habent, idcõque nulla formidabiliora  
sunt, quàm quæ nihil deprauationis præ se fe-  
runt: vnde fit vt lector in iis quos illa occupa-  
runt locis sana omnia & integra esse arbitretur.  
Hoc adeo Gelliani aliquot manifestum facere  
nobis possunt: quorum vnus est hic libri septimi  
capite decimo octauo. Ibi enim Gellius, exemplo  
probare quopiam volens, iusiurandum apud  
Romanos inuiolatè sanctèque habitum serua-  
tũque, historiam illam affert de captiuis de-  
cem quos Hannibal post Cannense prælium Ro-  
mam misit, iureiurando adactos in Pœnica se ca-

stra redituros, si permutatio à Romanis non fieret. *Veniunt (inquit) Romam decem captiui, mandatũ Pœni imperatoris in senatu exponunt: permutatio senatui non placita.* Addit, octo ex iis, statim, vti iurati erant, ad Hannibalem profectos esse: duos reliquos Romæ mansisse: ac sese solutos esse liberatosque religione (intellige autem iurifiurandi religione) dicere: quoniam, quum egressi castra hostium fuissent, commentitio consilio regressi eodem die, tamquam si ob aliquam fortuitam causam issent, atque ita iureiurando satisfacto, rursus iniurati abissent. Tandemq; quantũ Romanis hæc eorũ fraudulẽtia displicuerit, his verbis exponit, *Hæc eorum fraudulenta calliditas tã esse turpis existimata est, vt cõtemti vulgo discerptique sint.*

Quotusquisque enim fuit cui, locum istum legenti, mendũ suboluerit? At mendosus tamen est. Qua in parte? In voce *discerpti*. Atqui (excipiet quispiam) vox est Latina *discerpti*: & quosdam alios à populo, quũ ira exarsisset, discerptos fuisse legimus. Ideo que retinendum esse hoc vocabulum perseuero. At ego duo illa fateor: tertium, quod è duobus illis colligis, nego. Primũ enim quæro an verisimile sit Gellium *contemti* & *discerpti* sine aliquorum interiectione fuisse iuncturum. Cuiusmodi fuisset, si ita loquutus esset, Vt vulgo primũ contemti, tandem verò & discerpti fuerint. Deinde (quod multo validius est argumentum) rogo ecquos ita fuisse discerptos legerimus, vt in ipsa discerptione, id est, inter ipsas discerpentium manus animam non reddiderint. At hi nouum discerptionis genus passi essent, si non solum viui ex illa euassissent, sed ita

incolumes vt censores postea omnium notarum & damnis & ignominiis eos afficerent. Neque enim credibile est tam inhumanos futuros fuisse censores, vt si vel pauca tantum vulnere ex illa dilaceratione accepissent, etiam damnis omnium notarum & ignominiis eos postea plecterent. Sed quid dilacerationem dico? Gellio plus etiã Discerpi quàm Dilacerari esse puto. nã de Euripide loquens, dilacerationi esse immortuum, non scribit, sed ex vulneribus quæ in ea accepisset, mortem esse sequutam. Eius verba sunt libri decimi quinti capite vigesimo, *Is, quum in Macedonia apud Archelaum regem esset, utereturque eo rex familiariter, rediens nocte ab eius cœna, canibus à quodã amulo immixtis dilaceratus est: & ex his vulneribus mors sequuta est.* Hic certè dilaceratus est interpretari non ausim *διασάδην*, aut *διασπαράχθην*: quoniam de quibus hæc dicuntur, illi, quantum meminisse possum, τῷ διασπασμῷ siue τῷ διασπαράγμῳ immortui esse scribuntur. Ac sic de Orpheo Isocrates, *διασπαράξεις τὸν βίον ἐτελεύτησε.* Ac memini certè me alicubi legere etiã, τῷ διασπασμῷ seu διασπαράγμῳ ἐναπέθανε; (quod tamẽ rarum est, quum satis sit, *διασάδην*, vel *διασπαράχθην*: & ex eo mortem esse sequutam, lectori intelligendum relinquatur) at verò, ita loquentem, *διασάδην, ὥστε ἐν τῷ βουμάτων δάνατον ἐπακολούθησαι*, quis ferret? Illi scilicet Cæsaris interfectores, de quibus Plutarchus scribit, populum eos quæsisse, vt discerperet, (*συλλαβεῖν καὶ διασάδαται τοὺς ἀνδρας ζήτουῦτες*) post discerptionẽ, quemadmodum Gelliani isti violatores iurisiurandi, à censoribus damnis etiam omnium notarum &

ignominiiis mulctati fuissent. Latini Distrahere etiam pro Græcis illis dicunt: quod tamen τῷ διασῶν (si originem spectemus) magis quam alteri respondet. Quod si Gellius quid *Discerpere* esset, ignoravit, at non, quid *Concerpere*. legimus enim apud eum in extremo capite decimo-octavo libri quarti, *Eúmque librum statim discidit suis manibus, & concerpfit.*

Ab sit verò, absit, ut Gellium huius vel illius verbi vim ignovisse credamus: quin potius eo usum esse verbo quod editio ista ex veteribus libris depromptum offert, persuasum habeamus. Sed ecce, verbum, quod aptam quidem huic loco significationem habet, verum omnium propemodum auribus novum futurum est, in locum illius omnibus notissimi reponitur. Ita enim exemplaria quorum editionem procuravi, *Hæc eorum fraudulenta calliditas tam esse turpis existimata est, ut contempti vulgo dispreti que sint.*

Quid hoc verbi est, *Dispreti*? quod omnes certe contemnent ac dispernent: eoque præsertim nomine quod ad Gallicum, vel potius Gallicum ad hoc accedat: nec accedat tantum, sed idem valeat, & ad huius exemplum factum fuerit. nostrum enim *Despriser* ex illo *Dispernere* est. Neque tamen est quod solum Gellium eo usum esse putemus. Ita enim Ambrosius, Sermone vigesimo-septimo, *Si medicum animarum nostrarum fideliter exoremus, & præcepta eius, tamquam suscepti idonei, minimè dispernamus.* Ac memini certè me apud alios quoque huius ordinis scriptores hoc verbum legere, in quorum numero esse Cassianum arbitror.

Vide nunc quanti interfit ex qua editione scriptorem quempiã habeamus. quæ enim coniectura ad illud *dispreti* peruenire potuisset? Cæterum minimè mihi dubium est quin spretum illud *dispreti*, ideòque in *discerpti* mutatum fuerit. Atque hanc monèdi lectoris occasionem minimè prætermittã, ea de re cuius alioqui iam admonitus à me fuit in libello quem DE LATINITATE FALSO SUSPECTA scripsi: tantum abesse vt quædam Latina vocabula, aut saltem de quorum Latinitate ambigitur, magis nobis eo nomine suspecta esse debeant quòd cum Gallicis conueniant, & ex iis facta videantur: vt potius de iis propterea *im-  
xiu* debeamus. Quod me non nisi firma nitentè ratione dicere, ostenderem aliis etiam quàm quibus in libro illo vsus sum exemplis, si hïc ea de re dicendi locus esset. Narrabo tantum quid mihi ante triduum vsu uenerit, quum in quosdam eo quo dixi modo suspicaces incidissè. Legebant illi hunc duarum è meis Noctibus titulum, NOX IIII, ET V, ATTICIS AVLI GELLII VIGILIIS INVI-  
GILATÆ, siue ADMONITIO DE TITVLIS CAPITVM A QVOPIAM PSEVDOGELLIO IMPERITE SCRIPTIS: DE QVE EORVM REFORMATIONE. Ecce, omnes illud REFORMATIONE mirari, ad illud commoueri & succensere, tanquam à me dormitante scriptum. Quum instarem, nos Gallicam nostram vocem ex illa sumpsisse: immò verò aiebant, tu ex Gallica Latinam facere voluisti. Mi-

hi (vt ingenuè fatear) exempla non succurrebāt, quum alioqui legiſſe me apud magni nominis ſcriptores certò ſcirem: adeo vt etiam, donec Theſaurus patris mei proferretur, nimium pertinax aliquoties audierim.

In eodem capite habes particulam *ſcilicet*, in ſuperioribus editionibus: ſed hæc editio eam expulit, librorum veterum autoritate, ſicut ex eo cuius antea mentionem feci loco. Quum enim in illis legatur, *darent argenti pondo libram ſcilicet, & ſelibram*: in iſta habes, *dari argenti pondo libram ſ.* Verùm *darent* retineri potuit: ſicut & in iis quæ proximè ſequuntur, *inreiuſurando adegit* pro *inſiurandum adegit*. Niſi fortè ſcriptum fuiſſe ſuſpicemur, *ad inſiurandum adegit*.

Circa ſinem capitis, vbi eadem hæc editio habet, *quoniam, quod facturos dictitauerant, non feciſſent*, nõ eſt quòd exiſtimes incuria prætermiſſũ fuiſſe pronomen *ſe*, quod in aliis legitur. contrà enim conſultò omiſſum fuit, veteres quosdam libros ſequendo. Et ita elegiographorum vnus Tibullus ( ſi me memoria non fallit).

*Iuravi quoties rediturum ad limina nunquam?*

Sed ne hoc quidẽ perſuadere tibi debes, ſemper omitti ſolitum fuiſſe huiuſmodi in locis pronomen. Ab iisdem enim alicubi mittebatur, alicubi contrà adiiciebatur. atque hoc apud hunc ipſum ſcriptorem videre eſt, quum ſicut ab hac editione iſto in loco pronomen abeſt, quum ſit in ſuperioribus: ita viciffim alicubi illum habeat, quum ab illis abſit. In membri autem præcedentiſ ſine ſcribere malim *afficerint*.

ET

QVÆDAM ETIAM CORRIGENDA.

IN EORVM numero locorum de quibus in præcedente tñemate verba feci (eorū inquam qui deprauati sunt, quamuis integri esse credantur) ponendus hic videtur, *Maximè hoc atque verissimè Afranius pœta de gignenda comparādāque Sapientia opinatus est, quòd eam filiam esse vsus & Memoriam dixit.* Quotusquisque enim aduerbiū hoc *maximè* legens, quo nullum est vsitatius, nullum tamen habere hīc vsū animaduertit? Nullum certè habere potest: adeo vt huius editionis lectio in dubium vocari non possit, *Eximie hoc atque verissimè Afr.* &c.

Aliquanto pòst autem, vbi illæ habent, & proinde sapere ac consulere ex iis quæ pericula ipsa rerum docuerint, non quæ libri tantum aut magistri, per quasdam inanitates verborum & imaginum, tanquam mimo aut insomnio (vel, in mimo aut in somnio) delectauerint: in ista legitur, *tanquam in mimo aut in somnio dictitauerint.* Sed mihi, qui in huius editionis lectiones non iuravi, minimè displicet *delectauerint*: vt quæ delectauerint dictum intelligamus pro Delectando dixerint, siue Delectabiliter dixerint. Obseruavi enim, hunc scriptorem aliis etiā quibusdam verbis sic vti, vt ea hoc modo resolvere oporteat.

In fine capitis suspecta mihi sunt duo vocabtilla: vnum est *mores*: alterum, *madentes*. Postquam



enim dixit Macedonem philosophum, hunc Pa-  
 cuuij versum, *Ego odi homines ignaua opera & philo-  
 sophia sententia*, dignum censuisse qui pro foribus  
 omnium templorum scriberetur: addit, *Nihil  
 enim fieri posse indignius neque intolerantius dicebat,*  
*quàm quòd homines ignaui ac desides, operti barba  
 & pallio, mores & emolumenta philosophia in lingua  
 verborumque artes conuerterent: & vitia facundissimè  
 accusarent, intercutibus ipsi vitiis madentes.* At ego  
 lubentius honores & emolumenta philosophia lege-  
 rem: & intercutibus ipsi vitiis scatentes. Neque ta-  
 men alteras illas lectiones nullo posse defen-  
 di modo dixerim. Quod autem ad vocem *in-  
 tolerantius* spectat, aliū fateor *intolerabilius* fuisse  
 dicturum: sed si *res incredula* pro Res incredibi-  
 les dicere sibi permisit hoc etiam sibi permisisse  
 credibile est. Næuium saltem autorem habere  
 se dicere potuit, ad illud *intolerantius* quod atti-  
 net. nam libri decimoini capite septimo eum  
*intolerantibus curis pro intolerandis* dixisse scribit.

Cæterum locus ille de quo paulo antè dixi, *tan-  
 quàm in somno aut in somnio delectauerint*, in quo *delecta-  
 uerint in dicitauerint* mutari docui, ex quorumdã  
 veterum librorum autoritate, alium quendam  
 mihi in memoriam reuocat, in quo vicissim *se ob-  
 lectantes* editio ista habet, quum in aliis scriptum  
 sit *dilatantes*. Nam libri primi capite secundo le-  
 gemus in eorum quæ typographi dederunt ex-  
 plarium plerisque (si tamen non in omnibus)  
*In sitque proferrè dissertationum Epicteti digestarum ab  
 Arriano primū librū, in quo ille venerandus senex iu-  
 uenes, qui se Stoicos appellabat, neque fragis neque operæ  
 probæ, sed theorematibus tantum iugalibus & pueri-*

*luum isagogarum commentationibus dilatrantes, obiurgatione iusta incesuit. At verò in hac editione habes, se in theorematibus tantum nug. & puer. isag. commentationibus oblectantes, Verùm cur verbo dilatrantes locum hîc omnino denegemus, nihil causæ video.*

LOCI EMENDATI IN  
CAP. VII, LIBRI XIX.

**V**OCES duæ repositæ hîc fuerunt, quæ omnino necessariae erant. In superioris enim temporis editionibus scriptum est, *Obesum hîc notauimus proprie magis quàm vsitatè dictum. ἀξέως ἔπ' ἀντίρροσιν obesum pro pingui atque uberi dicit.* Sed quidam, quum verbum *dicit*, nullum habere nominatiuum viderent, in *dicitur* mutauerunt. At hæc editio ex antiquis codicibus, *Vulgus enim ἀξέως, &c.* Vide quàm periculosum sit, quæ ex coniectura emendata fuerunt, in ipsum (vt vulgò loquimur) contextum reponere.

In eiusdem capituli principio pro *pradiolum tenuæ* habet editio ista *herediolum tenuæ*.

Circa finem autem *tenellis* pro *tene illis*: sed *māciolis* non placet. Item, *quis tam siliceo*, pro *quiescam si liceo*. Verùm ego scribendum suspicor *silicio*: vt sit ex silice fictum vocabulum, & ita dicatur quispiam *silicio*, vt poëtæ aliquem *silices* (sicut & *ferrum*) in pectore gestare dicunt.

In fine autem, quum ita scriptum sit in aliis editionibus, *Cætera enim, quæ videbantur nimium poëtica, explosæ orationis vsu alieniora, prætermisimus*: habet ista lectionem de cuius veritate dubitare nefas

nefas fuerit, & *prosa orationis usu alieniora.*

At vocabula quibus hoc caput clauditur, perperam ex vno tria facta fuisse suspicor, deinde & aliquid deprauationis hinc contigisse. Fit autem mihi verisimile, habuisse illud triconpositum vocabulum aliquam etiam à caperando deriuationem, sequendo eam significationem qua dicitur Caperare frontem: id autem in *carptores* mutatum fuisse.

## E M E N D A T V S L O C V S I N CAP. III, LIBRI XIX.

**G**ENVS quoddam loquendi hoc in capite superiores editiones habent, quod multis multum negotij exhibuit: *Quoniam qui maledicis & vituperat, quanto id acerbius facit, tam maxima mole pro iniquo & inimico ducitur: & plerumque propterea fidem non capit.* Multis inquam multum molestiæ exhibuisse locum hunc scio, & multum amoliendæ huic molei insudasse. At ecce quàm facilè hæc editio molem illam remouerit, *tam maximè ille pro iniquo & inimico ducitur.* Iniquum autem accipiendum puta tanquam cum inimico ἐν ἑαμίλλῃ iunctum: eo modo quo Iuno Troianis iniqua dicitur.

Iam verò & capite secundo libri primi *molibus* in nonnullas editiones irrepfit, pro *mollibus*: quū, vbi habes, *longis ambulacris & mollibus, adium posticum refrigerantibus lauacris nitidis & abundis*: scriptum ibi sit, *longis ambulacris, & molibus adium posticum refrigerantibus,*

CORRECTVS LOCVS IN  
CAPITE VIII, LIBRI I.

**Q**UOD ex aliis plerisque locis manifestum iam feci, deprauationi obnoxia hunc apud scriptorem, sicut apud alios, fuisse quæ rariora & ignotiora erant siue vocabula siue loquendi genera: ex hoc quoque patebit, quem me primum integritati suæ restituisse puto. Quum enim de Laide dicatur, *Conuentusque ad eam ditiorum hominum ex omni Gracia celebres erant: neque admittebatur nisi qui dabat quod poposcerat. Poscebat autem illa nimiam quantitatem.* Quum, inquam, hoc de Laide dicatur, vt quidem superioris temporis editiones habent, ego *nimiam quantitatem* in *nimum quantum* mutari debere admonui: & Gellium hîc, sicut in aliis plerisque locis, ἐλλνίζην voluisse, addidi: quum eadē forma hoc efferatur qua Græci dicunt, *θαυμασὸν ὄσον*: quamuis sermo ille vtrumque vocabulum Græco respondens non habeat, sed tantum posterius. Nam *θαυμασὸν ὄσον* notum est sonare, Mirum quantum. Ac persuadere etiā sibi quispiam posset, *mirum quantum*, non *nimum quantum*, scriptum ab eo fuisse: nisi veterum librorum consensus lectionē hanc non illam cōprobaret. Nam quod libri huius capite decimono legimus, *Mulier nimum atque immensum poposcit*, non obstaret alioqui quominus alterum illud, *mirum quantum*, scripsisse Gellium crederemus: quum non itidem hîc vt illic eum voluisse ἐλλνίζην constet. Neque verò mihi magis huius editionis scriptura illo in loco placet, *Mulier nimum immensum poposcit*, quàm vulgata, quæ

cōpula duo hæc connectit.

Consultò autem huius emendationis à me facta mentio est, quòd sciam multos & miratos esse & reprehendisse etiam in nostri Gellij sermone cum alia, tum verò illa verba, *Poscebat autē illa nimiam quantitatem*. Reprehensione quidem certè non indigna fateor, sed simul etiam minimè Gelliana fuisse, & quid deprauandi eius sermonis, qui contrà eleganter est *νευνοωπερής*, occasionem præbuerit, ostendi.

Scio porro & alia esse in sermone Gellij, quæ reprehensionem mereri videantur, quum tamen ( vt alibi docebo ) in Latinitatē minimè peccent.

DE ALIORVM ALIQVOT LOCORVM EMENDATIONIBVS, AVT saltem aliis lectionibus quàm quas superiores editiones habent.

LECTIONES sunt nonnullæ quæ quum prima fronte tibi fortasse placituræ non sint, vbi eas attentius consideraueris, placebunt. Cuius rei exemplum afferam ex capite decimosextimo libri primi, de Xanthippe, *Xanthippe, Socratis philosophi vxor, morosa admodum fuisse fertur, & iurgiosa: irarūque & molestiarum muliebrium per diem perque noctem satagebat*. Ita enim hæc editio, quum antea legeretur *scatebat*. sed præterquam quod Scatere ablatiuo potius iūgitur, multo aptius illud quàm hoc esse videtur: quasi nobis significare velit eam die noctēque solitam mente agitare vnde irascendi & molestias exhibēdi de

casiones caperet.

In principio capituli quod hoc proximè sequitur, pro his, quòd *vocabulum Græcum vetus, traductum in linguam Romanam, proinde atque si primitus Latine fictum esset, resoluerit in voces Latinas, antea legi solebat, quòd vocabulum Græcum vetus traductum in linguam Romanam pro meraco, & quasi à se primitus Latine fictum esset, resoluit in voces Latinas.* In qua quidè lectione vestigia quædam illius agnoscis: sed quum illa *proinde atque si* alio quopiam corrupta modo antea essent, & ita fortasse vt ex his voces vel potius syllabæ factæ essent quibus nihil significaretur: aliquem altero illo modo deprauasse verisimile est, dum emendare vellet. Manifestè quidem certè & in eo peccatum est, quòd dicitur *à se fictum*. Neque enim Lælius de illo vocabulo tanquàm à se, sed tanquam à Latinis primitus ficto id dixit: vt vel ex ipsius Varronis verbis, eū reprehēdentis, apparet. Quamobrem nulli dubium esse debet quin germana sit ea quæ nunc exhibetur lectio.

QUÆDAM sunt vocabula eo ( si iocose aut etiam ridiculè loqui licet ) fato, sicut apud cæteros scriptores, ita & apud hunc, vt quoties à certo quodam librariorum genere inuenta fuerunt, toties ferè fuerint deprauata. Ex iis est *Aptus*, participiū, aut certè participij locū obtinēs. Nam in principio capituli decimiquinti, libri primi, habent vulgares superioris temporis editiones, *Linguam autem debere aiunt non esse liberam, nec vagam, sed vinculis de pectore imo ac de corde apertis moueri & quasi gubernari.* Atqui istud *apertis* quid hoc loco sibi vult? Id sanè nulli a-

peritum, quin potius omnibus obscurum esse conperietur: at si legas *aptis*, ut editio ista habet, omnia hinc apertissima erunt. Sic autem & in isto loco capitis quarti, libri septimi, *Iniquè igitur Tiro Tullius, qui ex omnibus facultatibus tam opulente orationis, aptis inter sese & coherentibus, paruum quidpiam nudumque sumpsit, quod obrectaret.* Nam & hinc in quibusdam superioris temporis exemplaribus typographicis *apertis* leges. Iam verò & quidam est apud hunc ipsum scriptorem locus, ubi huius vocis *apti* sedem occupavit *capti*, si coniectura mea fallax non est: quam inter alias emendationes meas coniecturales habebis. Nullum autem exemplum affero huius usus vocis *aptus*, quòd cum vel mediocriter doctis notum existimem: alioqui certè (aliorum exemplo) vel paginam exemplis implere possem.

Ut autè à capite huius tmematis (parum abfuit quin dicerè à capite huius capitis) ad eius calcem transcam: alia est emendatio, quæ quum olim coniectura tantum mea niteretur (*δοξα καμè ει δέναι*) nunc eam veteris exemplaris fide niti gaudeo. Ea est hinc, *Neque minus insigniter veteres quoque nostri, hoc genus homines in verba prouectos, Locutuleios, & Blatterones, & Linguaces dixerunt.* Editio enim ista non *prouectos* sed *proiectos* exhibet. Qua autem ratione coniecturam meam antea confirmabam, nunc veterum exemplarium testimonium confirmabo. Dicunt Latini, *Proiectus ad eam rem*, (& quidè in malam partem) non *Prouectus*. ut Tacitus, *Ges ad libidinem proiectissima*. Cicero non solum *Proiectus ad audendum* dixit, sed etiam *Proiecta audacia, & Proiecta cupiditas*. At verò ubi apud Liuium

legimus, *Legiones proiectæ ac proditæ ad inconsultam atque improvidam pugnam*, sunt potius *proiectæ* quæ ab aliis *proiectæ* fuerunt, quàm quæ seipsas *proiecerunt*: ut quum dicitur, *Ad omne scelus proiectus*, est qui à seipso est *proiectus*, qui seipsum *proiecit*. Sic in vernaculo sermone vtrumque hunc usum tribuimus voci *Abandonné*. At verò quum dicit Tacitus, *An ciues, quibus iam proiecta senatus auctoritas*, hoc *proiecta* dicitur exemplo Græci participij ἀπερρίμμενον: quod quum *Abiectum* seu *Proiectum* sonet, de eo dicitur quod contemptui esse cœpit, quod vilescit & iam prope modum sordet. Adeo ut illa Taciti, *quibus iam proiecta senatus auctoritas*, ita reddi possint, οἷς ἡδὲ τὸ τῆς συσχλήτης ἀξίωμα ἀπερρίμμενον ἔστι. Et quandoquidem huc vsque hoc in sermone *proiectus* sum (hic enim *Proiectus*, non *Proiectus* locum habet) addâ & hoc, ἐν παρέργῳ μέρει, *Proiecit* esse itidem ἀπορρίπτει, siue ἀποβάλλει, aut potius, *passiua* ut edo voce, ἀποβάλλεται: in isto Horatii versu,

*Proiecit ampullas, & sesquipedalia verba:*

quum tamen vulgus contrario omnino sensu intelligat.

Ad Gellianum autem locum ut redeam, non in eo tantum vocabulo editionem hanc ab aliis discrepantem inuenies, sed & in vno illorum insignium quibus veteres Latini hoc vitio & velut morbo laborantes appellarunt. Ita enim illa, *Neque minus insigniter veteres quoque nostri, hoc genus homines in verba proiectos, Locutuleios, & Blatterones, & Lingulacas dixerunt*. quum præcedentes editiones non solum habeant *in verba proiectos*, verum etiam *Lingulacos*, non *Lingulacas*. De



quo vocabulo dubitari non potest, quum Festus scribat Lingulacam esse genus piscis, esse item mulierem argutricem. Aptissimam autem suæ expositioni vocem inuenit Festus, quum argutricem dixit. Ita enim Propertius,

*illa mihi totis argutat noctibus ignes.*

Hoc vnum in dubium vocari potest, an terminatio illa in A C A virili etiã generi tribuatur: quod quamuis obseruasse mihi videar, harum duarum lectionum optione libenter lectori reliquerim.

Ad *Blatterones* autem quod attinet, ita malim quàm *Blaterones* sine geminatione literæ T, scribere: quoniam Festo de eius origine non assentior, nam à Græco nomine βλάξ deducit: ego autem verbum *Blattero*, ex quo *Blatteronem* fecerunt, à βαππίζω oriundum esse, mihi persuadeo.

ET QUONIAM in mentionem incidi participii *Proiectus* pro *Proiectus*, & mihi nunc gratificans memoria alia duo exempla suggerit eiusdem iniuriæ ab eadẽ litera V, alteri illi literæ I, factæ, & quidem apud hunc etiam scriptorem: eorum mentionem comperendinare non libet. Incipiam autem ab eo in quo mihi *αὐτὸ τῆς Διοχίας* meæ coniecturæ gratulor: quod est capite decimotertio libri duodecimi: à cuius initio initium sumam, *Quum Roma à consulibus iudex extra ordinem datus, pronuntiare intra calendas iussus essem, Apollinarem Sulpicium, doctum hominem, percontatus sum an his verbis INTRA CALENDAS, ipsæ quoque calenda tenerentur. Dixique ei, me videlicet datum iudicem, calendásque mihi productas, ut intra eum diem pronuntiaarem. Cur (inquit) hoc me potius rogas? &c.* Ita enim in superioris tem-

poris editionibus hic locus legitur. At in ista, *calendâsque mihi predictas, ut intra eum diem pronuntiare*. Ita illa ex veteribus libris: quibus certè non possum magnas gratias non agere, dum meæ (vti dixi) coniecturæ gratulor: quam quum probare quibusdam non possem, nunc eam omnibus probare possum. Affertur autem hic Varionis locus, ex libro quinto De lingua Latina, *Hinc illa, Indicit illum, Indixit funus, Prodigit diem*. vbi itidem deprauantes nonnulli hoc verbum *prodixit*, in *prodixit* mutauerunt.

Alterum autem vocabulum in quo literam *V* eandem inuentionem i. e. *æ* I apud hunc quoque scriptorem fecisse obseruauit, est verbum *Diffundo*: & eius verba *Diffusio*, siue *Diffusio*. Ita enim præcærentes in *Storis* typographicæ, capite secundo libri decimi quarti, *Sed enim ego homines quum considerabam, alterum, fidei, alterum, probri plenum, spurcissimæque vitæ ac defamatisimæ, nequaquã adduci potui ad absoluendum. Iussi igitur diem diffundi: atque inde à subselliis pergo ire ad Fauorinum, quem meo tempore Romæ plurimum sectabar*. At quæ nunc prodit editio, *Iussi igitur diem diffindi*, non *diffundi*, tibi exhibebit. Itidem verò circa principium capituli, quum sit in illis, *Atque in rerum quidem diffusionibus comperendinationibusque, & aliis quibusdam legitimis rebus, ex ipsa lege Iulia & ex Sabini Massurii, & ex aliorum quorundam iurisperitorum commentariis commoiti & adminiculati sumus*: in ista legitur, *Atque in rerum quidem diffisionibus*. Annotauit autem olim doctissimus Budæus, *Diffindere diem*, esse quod à nobis diceretur *Rem in crastinum continuare, aut remittere*. Estque

ita vsus præter Gellium non Vlpianus tantum, verum etiam Lilius, vbi scribit, *C. Papyrius Iunium Bubulcum magistrum equitum dixit: atque ei legem Curiatiam de imperio ferenti, triste omen diem diffidit.* Quinetiam lex XII. tab. si iudex vel alteruter ex litigatoribus morbo fontico impediatur, iubet diem iudicii esse diffusum: aut (vt alii scribunt) diffisum. Haetenus de tribus istis vocabulis, in quibus litera V locum literæ I occupauit: cuius occupationis alia etiã exempla, & quidem insignia, meus De mendorum origine liber tibi ostendet: simul verò quomodo litera I literæ V par pari reddiderit, te docebit.

Libet porro & aliorum quæ in his ipsis quos attuli locis editio ista aliter quàm præcedentes scripta habet, te admonere. In hoc igitur posteriori loco, vbi legitur in illis, & *aliis quibusdã legitimis rebus*, illa non *rebus* habet, sed *ritibus*: quam vocem illa eiecta esse recipiendam, nemo (vt opinor) negauerit. In illo autem altero loco ex quo vocabulum *diffisiones* à me depromptum fuit, quum in aliis typographicis lib. is habeas, *spurcissimaque vita ac defamatisima*: in hoc leges, *spurcissimaque vita ac deformatissima*. Non dubium sanè est quin *Deformatissima* purioris Latinitatis sit quàm *Defamatisima*, quum illud apud Ciceronem quoque extet: hoc autem *Ξιχογέπος* ex Gellio tantum afferiant. Non vno autem in loco illo vitur Cicero. nam *Deformata ciuitas* ab eo dicitur: necnon aliquis *Deformatus*, atque ornamentis omnibus spoliatus. item *Deformatus corpore, fractus animo*. Quinetiam, *Deformatus vitiis*: cum quo optimè *deformatissima vita* cõ-

uenit . non alia enim re quàm vitiis deformatissima est. At vero verbi *Defamare*, simul & participii *Defamatus*, vnum dumtaxat affertur exemplum, & quidem ex ipso Gellio: *vt vocabula quoque eorum defamata atque deformia cum rebus ipsis viderentur*. Vbi aptius fortasse *deformata* cum *defamata* iungeretur.

Paulo pòst aliud mendum est, ex eorum genere quorum antea mentionem feci, quæ nimirum occulta sunt, & nihil deprauationis præ se ferunt. Nam quum, *quem meo tempore Roma plurimum sectabar*, in plerisque præcedentium editionum scriptum sit: est tamen scribendum *in eo tempore*, vt in ista editione habes. Ineptè enim hoc diceretur, *Eum sectabar meo tempore*: & facilis fuit lapsus ex voculis duabus *in eo* in voculam *meo*. Pòsset tamen & *eo tempore* absque præpositione legi.

Nouum autem videri possit id loquendi genus quod habes pòst, hac in editione, *Atque illud amplius ambigi ac dubitari scio, debeatne iudex, inter cognoscendum, ea quæ dictio quæstioque opus est, dicere & querere: etiam si, cuius ea dici querique inter est, neque dicat neque postulet. Patrocinari enim prorsus hoc esse aiunt, non iudicare. Præter hac, sup. &c.* Nam superiores editiones habent, *ea quæ dictio quæstioque opus est*: quæ lectio vulgarem & purè Latinam tamen sermonis formam sequitur: quã habemus & in illo Salustiano præcepto, *Cõsulito, & ubi consulueris, maturè factò opus est*: at verò altera illa cum hac Plautina phrasi aliquid commune habere videri queat fortasse,

*Sed quid tibi nos mendice homo tactio est?*

Non libenter tamen à recepta vulgo lectione hoc in loco discesserim.

Circa finem autem capitis, quum hî: legatur, *Et propterea iuravi nihil non liquere: atque ita iudicato illo solutus sum*, illic habemus, *Et propterea iuravi mihi non liquere: atque ita iudicatus illo solutus sum*. Quam lectionem omnino sequi malo, præsertim quum ab ipso etiam Cicerone *iudicatus* ita dicatur.

Iam verò & circa ipsius capitis principium, quum hæc editio habeat, *Sicut illa mihi tunc accidit inexplicabilis reperienda scientiæ ambiguitas*: ingenuè fateor magis mihi alteram lectionem arripere, *reperienda sententia*. Neque enim in tribunali hærebat circa illa generalia præmonita & præcepta quibus ante ~~causam~~ præmuniri iudex præpararique ad incertos casus futurarum difficultatum debet: sed in reperiendo quod pronuntiaret, in reperienda sententia quam ex boni & prudentis iudicis officio ferre posset.

IN EXTREMO capite primo libri decimi-quarti duæ sunt lectiones, quarum utraque suavitati ratione videtur, & elegans ambæ verbum nobis exhibent: in illa longa Fauorini dissertatione aduersum eos qui sese Chaldæos seu genethliacos appellabât. Ut autem paulo altius repetam, scribit, Fauorinum deterrere volentem ac depellere adolescentes à genethliacis illis & quibusdam aliis id genus, qui prodigiosis artibus futura omnia dicturos se pollicebantur, huiusmodi argumentis concludere solitum, nullo pacto adeundos consulendosque esse. At, enim aduersa euentura dicere, aut prospera. Si dicant

prospera, & eū fallāt qui eos cōsuluit, miserum factū iri, frustra expectando: si aduersa dicant, & mentiantur, miserum factum iri, frustra timendo. Ad alteram autem dilemmatis partē veniens *Sin vera respondent* ( inquit ) *eaque sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies, antequam è fato fias. Si felicia promittunt, eaque euentura sunt: tum planè duo erunt incōmoda: & expectatio te spe suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi iam praeflorauerit.* Ita quidem hæc editio: at in præcedentibus, legitur non *praeflorauerit*, sed *deflorauerit*. Est certè *Deflorare* factum ad exemplum Græci ἀπανδίσειν: *Praeflorare* autem, accipiendo pro *Prædeflorare*, est ἀποανδίσειν: sic tamen vt exponi etiam possit ἀποσπεπιδου. An verò *Praeflorare* pro *Prædeflorare* accipi possit, in medio relinquo: quamuis Plinius iunior eo ita vsus est. sic dicatur in Panegyrico. *Deflorare* autem extra omnem cōtrouersiam est. Legimus enim apud Liuium, *Erant qui fama id maius bellum quam difficultate reuulsisse interpretarentur, vno memorabili prælio debellatum: gloriámque eius victoriæ defloratam ad Thermopylas esse.*

Cæterum, in iis quæ proximè præcedunt, habet hæc ipsa editio, & *expectatio te spe suspensum fatigabit*: quum in illis sit *spei*. Quæ lectio vt ferri possit, dicendum est ( meo quidem iudicio ) non cum *expectatio* iungi hunc genitiuum, sed cum *suspensum*. quod tamen minus vsitatum esse puto, quàm *Suspensus animi*, quod & apud Liuiū extat.

Pagina autem quæ hanc præcedit, & est 376, habes, *Hæc nos sicca & incondita & propemodū vna oratione attingimus.* quum in aliis editionibus sit, *Hæc nos ficta & incondita & propemodum ieiuna ora-*

*riore attigimus.* Vbi non dubito quin *fiçta* mendosum sit pro illo *fiçca*, quod ista habet: at illud *una* suspectum est. In eadem editione & ibidem leges, *At Fauorinus, vt hominis ingenium fuit, aut quæ est Græcæ facundia copia simul & venustas, latius ea & amœnius & splendidius & profluentius exsequatur.* at in præcedentibus legitur, *vt hominis ingenium fuit, vtque Græcæ facundia copia simul & ven.* Sic autem scribendo, magis laudatur Fauorinus, quàm ponendo illam disiunctiuam particulam.

Pagina 372, *Præterea mirabatur id cuiquam pro percepto liquere* multo melius quàm antea, *id cuiquam pro præcepto liquere.* Id est, liquere tanquam perceptum. Vtitur autem hac voce & pag. 376, de iisdem, *Non enim comprehensa, inquit, neque definita, neque percepta dicunt: sed lubrica, atque ambagiosa coniectatione nitentes, inter falsa atque vera pedes.* &c.

Circa huius paginæ medium, *sed eadem ipsa ex alia omni terra non videtur, & sunt aliis omnino ignarissima.* quum in aliis scriptum sit, *& sunt aliis omnino ignarissima.* Eadē certè significatione vtrumque dici constat: sed illud quàm hoc esse audacius, & propterea nostro Gellio magis conuenire: qui etiam *Incredula res* pro *Incredibiles* dicere non veretur, vt antea monui.

Sub iis autem quæ proximè sequuntur, magnum & periculosum latere mendum dico, *Atque videmus, inquit, & has tantummodo stellas & ex una parte terra obseruari debuisse: quæ tãdem finis obseruationis istius fuit, & quæ temp.* &c. Magnum (inquam) & periculosum sub hoc loco mendum latere dico, ac miror nemini mendosum visum

fuisse: quum planè sibi repugnet Fauorinus. Sed in iis quas paulo pòst dabo emédationibus coniecturalibus, huic quoque loco remedium allaturum me spero, ex quo omnes integritati suæ restitutum esse iudicent.

Circa finem verò, & *ad postremum finis etiam vitæ exspectaretur*: quum in præcedentibus sit, *spektaretur*: quod non displicet.

DE HOC etiam lectoré monebo, esse quosdam locos qui quum alia verba hac in editione habeant, & alium efficere sensum primo aspectu videantur, si tamen eos propius aspiciat, eundem esse comperiet. Exemplum autem habet, pag. 37. *Atque ibi aduocatum non incelebrem sic postulare, ut extra causam diceret, remque quæ agebatur non attingeret*: quum aliæ hac priores editiones hanc illi lectionem exhibeant, *sic postulare, ut quam causam diceret, remque quæ agebatur, non attingeret*. Altera tamen illa lectio magis mihi placet, cæterisque itidem magis (ni fallor) est placitura.

## DE EMENDATIONE QVORVNDAM VERSVVM.

**L**IBET & versuú emendationis specimé proponere, & à Laberianis illis initium sumere, qui citantur à Gellio libri decimi capite decimo-septimo. Ita igitur in superioribus editionibus,  
*Democritus Abderites. physicus philosophus, clypeû  
 Constituit contra exortum Hyperionis, oculos  
 Effodere ut posset splendore arce: ita radiis  
 Solis aciem effodit luminis, malis bene  
 Esse ne videret cinibus. sic ego*



*Fulgentis splendore pecunia volo  
 Elucificare exitum atatis mea:  
 Ne in re bona esse videam nequam filium.*

At hæc editio,

*Democritus Abderites physicus philosophus  
 Clypeum constituit contra exortum Hyperionis,  
 Oculos effodere ut posset splendore aëo.  
 Ita radius solis aciem effodit luminis,  
 Malis bene esse ne videret ciuibus.  
 Sic ego fulgentis splendorem pecunia  
 Volo elucificare exitum atati mea,  
 Ne in re bona esse videam nequam filium.*

Est autem (vt admonet Gellius) persona quæ hoc apud Laberium dicit, diuitis auari & parci, sumptum plurimum afortiamque & propinationem adolescentis filij deplorantis. Sed ego propinationem in popinationem ex coniectura muto: vt videbis inter meas emendationes coniecturales.

ITEM Ennij duo versus, qui ita scripti sunt in quibusdam typographicis superioris temporis editionibus, capite penultimo, libri secundi,

*Hercle hoc erit tibi argumentū sēper in prōptu sitū,  
 Ne quidquam expectes amicos, quod agere tu per te  
 potes:*

in hac editione ita scriptos habes,

*Hoc erit tibi argumentum semper in promptu sitū,  
 Ne quid expectes amicos, quod tute agere possies.*

Verum si coniectatio mea hîc non aberrat, scripsit potius Ennius,

*Ne quid ab amico expectes, quod tute agere possies:*

SUNT etiam versus in hac editione, sicut & in præcedentibus, in suos numeros non bene re-

positi. vt pag. 534,

*Si ex te tacente fieri possem certior, here,*

*Quæ miseriæ te tam miserè macerent:*

*Duorum labori ego hom. &c.*

Sic enim & in aliis editionibus: sed tamen inficias nemo ire potest quin nomen *here* præiungi sequenti versui debeat: hoc modo,

*Si ex te tacente fieri possem certior,*

*Here, quæ miseriæ te tam miserè macerent.*

SED ET litera S (vt de hoc quoque à memonaris) hac in editione, sicut in præcedentibus, seruata fuit, apud Ennium & Lucilium, in fine eorum etiam nominum in quibus eliditur. vt pag. 106, in his Lucilianis,

*Quidni? & scruta quidem vt vendat, scrutarius  
laudat:*

*Præfractam strigilem, soleam improbus d' midiatam.*

Sunt tamen qui in his apostrophi notam loco literæ S ponant.

VOCABVLA ALIQVOT, PARTIM INVSITATA IN ALIIS QUI EXTANT SCRIPTORIBVS, PARTIM in iis parum vsitata: quæ editio hæc Aulo Gellio reddit.

**A**VLO GELLIO idem quod cæteris scriptoribus accidit, vt eius vocabula, quæ minimè vulgaria, ideóque multis incognita essent, in alia mutarentur, quæ & his sono vicina, & paucis ignota, aut saltem quæ minus rara essent. Verùm hæc editio ea nunc illi reddit: quæ dum  
confi-

considerabis, tuū erit simul cogitare quā multa nobis in aliis scriptoribus hac itidem ratione interciderint. Non omnia tamen repræsentaturūme quæ hæc editio Gellio restituit, sed huius quoque locupletationis specimen tantū exhibiturum promitto.

DE VERBO INSTINGVERE.

**I**NSINCTVS participium, & INSTINCTVS verbale apud alios scriptores legimus: apud Gellium autem & ipsum verbū INSTINGVERE. nam ab eo est *Instinxit*, quod legitur pag. 471, *Hæc admonitio Tauri de orationis Platonica modulis, non modò non repreßit sed instinxit etiam nos ad elegantiam Græcæ orationis verbis Latinis affectandam.* In aliis tamen editionibus non *instinxit*, sed *instruxit*, legitur. Sed quis non videt Gellium illi *repreßit* voluisse verbum subiungere quod contrariam significationem haberet? Sic autem participio *Instinctus* vsus est Liuius, *His cursor vocibus instinctos milites in prælium ducit.* vt hîc admonitio Tauri *instinxisse* dicitur. & Lucanus, *sacro mens instincta furore.* At Cicero, *Quodam furore & audacia instinctum.* Verbalis autem *Instinctus* frequentiora etiam sunt exempla.

Verū quum *instinxit* nouum librariis esset, at *instruxit*, quod, si non significatione, at scriptura proximè ad illud accedit, foret notissimū, aut quòd illorum oculi fallerentur, aut quòd suspectum illud haberent, *instruxit* in locum eius substituerunt.

## DE PARTICIPIO INGENIATVS.

NON magis audax quàm ingeniosū vocabulum INGENIATVS, quod nunc primū tibi exhibetur. Nam quum in illa Fauorini pulcherrima dissertatione aduersus matres quæ suos nō suo lacte nutriunt, hæc quoque in medium afferatur, (vt quidem in præcedentibus editionibus leguntur) *Quæ malum igitur ratio est, nobilitatem istam nati modò hominis, corpūsque & animum benignè ingenitis primordiis inchoatum, insitiuo degenerique alimento lactis alieni corrumpere?* Quum (inquam) hæc ita in superioris temporis editionibus scripta sint: in ea quæ nunc prodit, leges, *Quæ (malum) igitur ratio est, nobilitatem istam nati modò hominis, corpūsque & animum bene ingeniatīs primordiis inchoatum, insitiuo degenerique alimento lactis alieni corrumpere?* Erunt fortasse quos huius vocabuli audacia offendet, & qui Gellium ita scripsisse, vix sibi persuadere poterunt: at ego, si Gellium bene noui, eum hoc pro suo agniturum esse dico. Nam & in illa scriptura *benignè ingenitis*, habemus vestigia huius, *bene ingeniatīs*: & indolem præ se fert istud participium à Latinitate non alienam. Ideoque tantū ab est vt aures meas offendat eius audacia, (siue Gellius, vt fuit nouator, hoc finxerit, sine ab alio fictum vsurparit) vt etiam mulceat. Erit autem ex eorum vocabulorum genere, quæ quamuis participiorum speciem præ se ferant, sua tamen verba inuenire non possunt.

## DE VERBO DISPERNERE

IPS I etiam vulgo notum est SPERNERE; at verò DISPERNERE, multis eorum etiam qui in omni propemodū scriptorum genere versati sunt, eorumque monumenta triuerunt, ignotum. Idem tamen valet quod simplex illud Spernere. Passivæ autem vocis participiū DISPRETVS repositum suam in sedem fuit, capite septimo libri decimoctavi. Nam quum ibi superioris temporis editiones habeāt, *Hæc eorum fraudulenta calliditas tam esse turpis aestimata est, ut contempti vulgo discriptique sint*: nova hæc editio affert vocabulū quod plurimis omnino novum futurum est, *dispretique*. At cur *discripti*, quod & purè Latinum & vtitatissimum est, retineri non potest? Huius rei rationem in præcedentibus reddidi: vbi etiam nostrum *Despriser* hinc factum videri docui. Scio alioqui, posse etiam, quum sit oppositum verbo *Priser*, ad eandem quoque originem referri: vt *Priser* sit quasi Pretiare (quoniam *Pris* est Pretium) vicissimque *Despriser*, quasi D. spretiare. Sed tamē pro Appretiare alius formæ verbo utimur, *Appretier*: ac obseruaui certè in nostro sermone, quædam similia vocabula, & ad eandem significationem pertinentia, non eandem tamen originem habere. Cæterum illud *Dispernere* non ita novum esse vt nullum alibi extet vñs eius exemplum; ibidem docui.

## DE VERBO VOCIFICARE.

HVIVS quoque verbi VOCIFICARE mentionem antea feci; pagina 100. Habet au-

132 HENR. STEPHANI  
 tem ipsum editio ista, capite tertio libri noni;  
 nam quum ibi habeant quæ sunt ea priores, de  
 Philippo Macedoniae rege, & cuius vim atque ar-  
 ma toti Græciæ cauendam metuendamque (aliæ. &  
 cuius arma vimque toti Græciæ cauendam metuendam-  
 que) inclytæ illæ Demosthenis orationes concionésque noti-  
 fican: in hac legitur, inclytæ illæ Dem. or. concionés-  
 que vocificant. Addam autem aliquid cuius te cõ-  
 monefacere super hoc loco sum tibi oblitus: vi-  
 deri præposterum esse horum verborum ordi-  
 nem, cauendam metuendamque: scribendumque  
 potius, metuendam cauendamque: quum cauamus  
 ab iis quæ iam metuimus, ideòque hoc i ræe-  
 dat.

#### DE VERBO RENIDERE.

ISTVD autem verbum RENIDERE,  
 vel potius eius participium RENIDENS,  
 quod ex eorum numero est quæ Gellio reddita  
 fuerunt, haudquaquam nouum, vt superiora,  
 fuerit. Legitur autem in primore pagina 400,  
*At ille contra renidens, Audi, inquit, discipule plura  
 alia consimilia.* quum non solum Sebastiani Gry-  
 phii editio (quæ prodiit ante quinquaginta an-  
 nos) sed aliæ pleræque habeant valdè diuersæ  
 significat'onis verbum *renitens*. Quin tamen ab  
 illo aliena sit loco hæc lectio, minimè cuiquam  
 esse dubium potest.

Cæterum, minimè quidem nouum est (vti  
 dixi) vocabulum *Renidere*: sed ego aliquid de eo  
 ἐν ἀπόδειξις dicturus sum cognitu dignum, quod  
 plurimis nouum fore existim'o. Scio *Renidere* ex-  
 poni *Ridere*, cū alibi, tum in hoc Catulli loco,

Egnatius, quòd candidos habet dentes,  
 Renidet vsquequaque: seu ad rei ventum est  
 Subsellium, quum orator excitat fletum,  
 Renidet ille: seu piti ad rogum filii  
 Lugetur, orba quum flet unicum mater,  
 Renidet ille. &c.

at ego hoc etiam in loco Renidere esse aio potius quod Græci dicunt σειρήναι, quàm Ridere. id est, Esse ore hianti, & dentibus renudatis, more eorum qui rident. Scio autem statim mihi oppositum mi hunc ipsius Catulli versum, quo locum illum claudit,

*Nam risu inepto res ineptior nulla est.*

Sed cum qui ridentem imitetur, & ridere videatur, aut etiam videri velit, dici ridere, minime mirum est. Idem certè quidam comicus Græcus de puella dicēs quod Catullus de Egnatio, id est, illam velle ab omnibus suos ἀκαυὸ ὀδόντας conspici, dicit illam σειρήναι. Sic etiam quod σειρήναι προσώπων aut τῶ προσώπων dicunt, à Latinis Renidēci ore dicitur: vt legimus apud Maronē, Metamorph. viii,

-- puer Icarus unā

*Stabat, & ignarus sua se tractare pericla,  
 Ore renidenti, modò quas vaga mouerat aura  
 Captabat plumas.* Id est σειρήναι τῶ προσώπων.

Quoniam autem & canes, quum irascuntur ac minantur, ita dentes renudant, diducto ritu, (quod quidam Ringi dici propriè putauerunt) de iis quoque dicitur σειρήναι. vt legimus apud Aristophanem, ἡ γριωμεύοις ἐπ' ἀλλήλοισι καὶ σειρήναι.

## DE PARTICIPIO PRODICTVS.

HVIVS quoque participij facienda hîc est mentio, quum ex iis sit vocabulis quæ huic Gelliano volumini restituantur. Nam (vt antè dictū à me fuit) quum priores editiones habeant capite decimotertio libri duodecimi, *Dixique ei, me videlicet datum iudicem, calendisque mihi prodietas, vt intra eum diem pronuntiare:* inueniet lector *prodietas*, hac in editiōe, sequente veterem scripturam. Animaduertendum est autem, postea diem præfinitam ab Apollinari Sulpitio dici, eadem de re loquente: *Quum dies ita præfinita est vt iudex intra calendas pronuntiet.* Hoc item addo, præpositionem *Pro* in hoc *Pro dico* (vnde *Prodictus* manauit) respondere Græcæ *πρὸ* in *προλέγω*.

DE NOMINIBVS SCÆVVS  
ET SCAEVITAS.

IN EODEM capite, & quidem non multo post illa quæ modò inde deprompsi verba, legitur in aliis editionibus, *scæuus profectò et cæcus animi forem, si, quum haberem tui copiam, issem magis ad aliū quàm ad te.* At in ista, *scæuus*, non *scæuus*. Id inque & in alio loco error cernitur. Sed in illo qui est capite decimotertio libri duodecimi, vidi etiam editionem quæ exhibet non *scæuus*, nec *scæuus*, sed *leuus*. At magno consensu habent illæ *leuitate* pro *SCÆVITATE*, libri sexti capite secundo. Ibi enim legi solitum est, *Sin verò sunt aspera & inscita & rudia, nullisque artium bonarum adminiculis fulta, etiamsi paruo siue nullo fatalis incommodi conflictu urgeantur: sua tamen leuitate & voluntario impetu in assidua delicta & in errores ruunt.* Vtus autem est etiam alibi, sed ibi quoque in aliam vocem mutatum in aliis editionibus fuisse comp-



ries. Quid si verò dicamus *Leuitate* scriptum hîc à Gellio fuisse? *Leuitate*, inquam, cum *æ*. Idem sanè sensus ex eo efficeretur: atque idem & de *Lauius* dicendum est, quod in quibusdam typographicis exemplaribus dixi extare cap. decimotertio libri duodecimi, non *scauus*, nec *sauus*. Vtrûque sanè ex Græca voce sumptum fuit: *scauus*, ex *σκαιός*: *lauus*, ex *λαιός*. At verò Festus de vno loquens (si quidem vulgarem scripturam sequamur) alterius indicat originẽ. In omnibus enim, quas quidem viderim, editionibus, scriptum est, *Laua*, *sinistra*. quòd eã Græci *σκαιὰ* dicunt: unde tractum cognomen *Scauola*. Immo expectandum erat, quòd à Græci *λαιὰ* dicunt. & ita scripsisse credibile foret, nisi sequerentur illa, unde tractum cognomen *Scauola*. Facile igitur mihi persuaserim, Festum hæc in nomine *Scaua* scripsisse, quæ postea in nomen *Laua* irreperint: aut certè ita scriptum hunc locum reliquisse, *Laua*, *sinistra*: sicut & *Scaua*. quòd eam Græci & *λαιὰ* & *σκαιὰ* dicunt. Cæterùm, quum eandem duo hæc vocabula originem habeant, Latinis vsitatius est *Lauus* pro inepto, quàm *Scauus*: Græcis contrà *σκαιός*, magis quàm *λαιός*, est vsitatum: si tamen vllus est huius in ista significatione vsus. At *σκαιός* cum *ἀπειρόκαλος* etiam iunctum inuenitur: & ab hoc est *σκαιότης*, pro quo à Gellio dicitur *Scauitas*. Ab illo autem *λαιός* non memini me *λαιότης* legere: sed potuit tamen Gellius *Leuitas* ex *Lauus* facere. Enimvero vtrocumque vsus Gellius fuerit in illo capitis secundi libri sexti loco, sciendum est aliquam infelicitatis significationem coniuncti habere: quemadmodum & Sinistrium de infelici

136 HENR. STEPHANI  
quoque dixerunt. Sic autem apud Virgilium,  
-- *si mens non laua fuisset,*  
illud *laua* expono non solum Stulta, sed etiam  
Sinistro & infelici consilio vfa.

#### DE NOMINE PAUPERTINVS.

GELLIUS in duobus suarum Noctium locis  
nomen hoc scripserat: ex quorum altero quum  
eiectus fuerit, nunc editio hæc ei restituit. Nam  
libri vigesimi capite primo ita legi solebat, *Qua-*  
*nam ibi igitur acerbitas esse visa est, quod in ius vocato*  
*pauperrimo homini, vel inopi, qui aut pedibus fortè a-*  
*gris esset, aut quo alio casu ingredi non quiret, plaustrum*  
*esse dandū censuerunt?* At in hac editione, pag. 526,  
inuenies *paupertino homini, vel inopi* De qua le-  
ctione dubitari non potest, quum Gellius super-  
latiuum *pauperrimo* cum *inopi* minimè iuncturus  
fuerit: & alibi eodem vocabulo vtatur. Nam ca-  
pite sexto libri decimi quarti legimus, pag. 386,  
*Et librum hunc opulentissimum recipe, nihil prorsus ad*  
*nostras paupertinas literas congruentem.* A fertur au-  
tem à Nonio ex Varrone hoc vocabulum.

#### DE ADVERBIO OMNIMODIS.

POSTLIMINIO in duos Auli Gellij locos  
redit & antiquum aduerbium OMNIMODIS.  
ex vtroque enim expulsus fuerat. Nam pro his  
quæ editio ista habet, circa finem paginæ 64, *Ex*  
*quibus latenter intelligas, nō omnes omnimodis diis exo-*  
*sos esse qui in hac vita cum arumnarum varietate lu-*  
*ctantur:* in superioribus habes, *non omnes modò diis*  
*exosos esse,* quum particula *modò* nullum habere  
hîc locum possit. Fateor tamen nec illud *omnes*

cum *omnimodis* mihi placere: sed existimare legē-  
dum, *non omnimodo diis exosos esse*, absque illo no-  
mine *omnes*. Alioqui enim ex Epicūti verbis col-  
ligeremus, aliquos eorū qui hac in vita cum va-  
riis ærumnis (pro quo Gellius dicit, cum ærum-  
narum varietate) luctantur, diis exosos esse.

Alter autem locus è quo expulsū hoc aduer-  
bium fuerat, est pag. 120, *Alij enim redhiberi om-  
nimodis debere, alij contra, nisi id vitium morbo contra-  
ctum esset*. Substitutum autem fuerat eius in locū  
*omnino*. Vfus est Lucretius hoc adverbio,

*Si non omnimodus, & magna parte animai  
Privatus.*

Vfus verò est & alio eadem forma eadēque  
audacia composito *Multimodus*: vt libro quinto,

*Ducere multimodis cantus, & flectere voces.*

Et libro quarto, de mulieribus,

*Multimodis igitur prauas turpēsque videmus  
Esse in deliciis.*

#### DE ADVERBIO PENSIM.

NOVVM aliud adverbium (id est, nunc pri-  
mū typographica exemplaria ingrediens) in-  
uenies pagina sexta huius *Endoreos*, *Pensim*. Ibi e-  
nim leges, *neque ea quæ à Theophrasto pensim atque  
enucleatè scripta sunt exequutus est*: quum aliæ ha-  
beant, *quæ à Theophrasto pensiculatè atque enucleatè  
scripta sunt* Ne tamen facilè reiiciatur Pensicula-  
tè obstat verbum *Pensiculare*: quod habes pag. 351,  
*Pensicula utrumque & moderare*: reperies suo quod-  
que in loco sonare aptissimè. Nonnullæ autem edi-  
tiones habent, *Pensicula utrumque moderatè*: reper.  
&c. Verū editiones multæ illud ipsum aduer-

bium *Pensiculatè* hoc loco habent: quum in iis ita legatur, *Vtrumque pensiculatè modulatèque reperies suo quidque in loco sonare aptissimè.* vbi perperam quidque pro quodque. Ego autè malo quidem hoc loco *Pensicula*, at neque moderatè probo, neque moderare, quod habet nostra editio: sed retinens quam addit particulam connexiuam, muto moderare in modularè: & ita lego, *Pensicula utrumque, & modularè.*

DE ALIIS QVIBVSDAM  
ADVERBIIS.

VTITVR Gellius aliquoties aduerbiis eius fo. mæ quâ IN QVISITE habet: quorum nonnulla deprauata itidem fuerunt. Atque adeo hoc ipsum in aliquibus editionibus depruari alicubi contigit. nam libri primi capite tertio, pro his, *satis inquisitè satisque sollicitè quaesierunt*, in nonnullis excusis exemplaribus legitur, *satis inquit scitè satisque sollicitè quaesi.* Parua quidem mutatione opus fuit ad peruertendum *Inquisitè* in *Inquit scitè*: sed verbo isti, *inquit*, nullus hîc esse locus potèst. Editio autem quæ nunc prodit, habet AN QVISITE, ἀνχαικός.

Extat & aduerbium IVDICATO apud Gellium, quod (ni fallor) deprauatum & ipsum in quibusdam editionibus fuit. Eo vtitur initio capituli primi libri decimi quarti, *Exercendine autem anne ostentandi gratia ingenii, an quòd ita seridè indicatòque existimaret, non habeo dicere.* Vbi iudicatò dictum est ad exemplum Græci κερπίδικος, cui etiam planè respondet. id est, adhibito iudicio. Cui opponitur ἀπίκτος.

Hactenus ea quæ specimen illius quoque quam dixi locupletationis esse volui. quum alioqui in mentem multo plura venirent (ex quibus sunt, *Inscentia* pro *Insctia*, quod est in aliis: item *Imparientia*, non *Imparientia*: nec non *Lingulaca*) poterunt autem & nostræ emendationes coniecturales aliqua huc pertinentia vocabula suppeditare: inter Latina quidem *Popinatio*, inter Græca autem, *ῥητορίσκος* & *ἀνοικονόμητος*.

GRÆCA etiam nonnulla vocabula secus hac in editione scripta sunt quàm in superioribus: sed eorum duo tria sunt de quibus haud scio an illi assentiri debeã. Duo, quorû memini, sunt *πασκρατία* pro *πασκραπασαί*: & *σικεπνίται*. Prius illud extat libri decimi tertii capite vigesimo sexto. sed *pancratiæ* in hac editone literis Latinis scriptum, sicut in aliis *pãcratiastæ*, habes. Postquam enim ex Panætio retulit, vitam hominum qui ætatem in medio rerum agunt, ac sibi suisque esse vsui volunt, negotia periculâque ex improviso assidua & propè quotidiana ferre: addit, *Ad ea cauenda atque declinanda proinde esse oportet animo semper prompto atque intento ut sunt athletarum qui pancratiæ vocantur. nam sicuti illi ad certandum vocati, proiectis, altè brachiis cõsistunt.* &c. Sic & aliæ editiones, nisi quòd *pancratiastæ* in iis legitur, vt̄i dixi: item *perinde*, non *proinde*: quæ tamen scriptura hac in editione fere perpetua est, hoc etiam in significato. Cæterû n̄ mihi noui ù esse fateor *πασκρατίας* (à quo est illud plurale *πασκρατίας*) pro *πασκραπασαί* minimeque in Thesauro meo inueniri. Quòd si nihilominus ita Gellius scripsit, erit factum ex *πασκραπών*: ex

quo etiam deductum esse *πασκραπασής* haud nego, sed non itidem *ἀμέσως*. nam ex *πασκράπον* fit *πασκραπάζω*, ex *πασκραπάζω* autem *πασκραπασής*.

Venio ad alterum illud, quod itidem nūc primum Gellii Noctes ingreditur. id est *σκεπηται*. ita enim scribendum est pag. 286, pro *σκεπηται*. Neque enim *σκεπηται* admitti potest: & vel *σκεπητικοί*, vel *σκεπηται*, scripserit Gellius necesse est. In eodem certè capite aliquanto post *σκεπητικοί* habemus, quod passim & apud cæteros scriptores occurrit. At *σκεπηται* nusquam me legere memini: quin etiam mihi nouum esse non inficior talis formæ verbale à tali verbo: nimirum à *σέπημαι*. Verum, cui hoc displicebit, aut etiam suspectum erit, reponat alterum quod cætera habent typographica exemplaria, *σκεπητικοί*. In quibus alioqui turpiter in titulo peccatū est, *De Pyrrhonibus philosophis quadam*. quū scribendum sit, *De Pyrrhonis philosophis*. In duobus autem tribusve repræsentata fuit quantum potuit veterum librorum qualiscunque est scriptura.

Quinetiam ea sequendo, scripta Latinè nonnulla fuerunt, quum aliæ editiones Græcè scripta habeant: vt pag. 289 habes *apirocalus*, quū in aliis sit *ἀπειροχάλος*. Item pag. 513, vbi legis, *vt in tali asotia atque nequitia artium vinceretis*: in aliis editionibus legitur *ἀσωτία* Græcè scriptum, absque illis, *atque nequitia*. Non est autem quòd putemus perinde esse siue Græcè siue Latinè talia scribantur, quum Latinè scribi vix alia solerent quàm quæ Latinorum vsu erant tritissima.

Cæterum de multis vocibus Græcis hac in editione emendatis, & de redditis Gellio tribus

Græcis verbis, quos præcedentes ei abstulerant, necnon de emendanda plurimis in locis Græcorum quæ apud Gellium sunt vocabulorum interpretatione, lege sequentem ad lectorem epistolam.

DE EMENDANDA GRÆCARVM QUÆ APVD GELLIUM  
sunt vocum interpretatione.

ITEM,  
DE MULTIS VOCIBVS GRÆCIS  
QUÆ HAC IN EDITIONE  
correctæ fuerunt.

HENRICVS STEPHANVS  
LECTORI S. D.

**V**OCABVLA illa Græca de quibus modò egi, aliquid mihi in memoriam reuocarunt, de quo te iam nunc admonendum cenſeo. Quum enim ſoleant Gellij editionibus adiungi Græcarum quæ in eo ſunt vocum, & eorum quos ex quibusdam Græcis ſcriptoribus affert locorum interpretationes: mirum eſt tam diuerſas editiones, & quæ alioqui in multis inter ſe diſſentiunt, ita inter ſe de illis interpretationibus conſentire, vt eadem illarum errata omnes tibi bona fide (ſi bona fides hîc locum habet) exhibear: & quidem ad typographica uſque menda. Exempli

gratiâ, Homericâ ista, *λάαν ἀνω ᾧδεσκε ποτὶ λόρον;* ibi ita sunt interpretata, *saxum sursum impellebat ad cumulum.* quum minimè dubium sit quin interpretès, quicumque is fuit, scripserit *tumulum*: & tamen inter se confer quascunque cõquirere poteris editiones, inter se hoc in mendo optimè cõsentire comperies. Vt omittam & alium in deprauatione verbi ᾧδεσκε consensum. ex eo enim & ibi, & in ipso etiam capite, fecerunt ᾧδεῖν ἔσκε.

Ibidem, huius Homerici versus ( quem Gellius citat capite tertio libri decimiseptimi (Καὶ δὲ δῦρα σέσηπε νεῶν, καὶ σπάρτα λέλωται, interpretatio hæc est, *Et ligna putrent ratium, & sparta in cariem sunt*: magno & hîc consensu: quum tamen manifestum sit deesse vocẽ quæ illi *sunt* iungatur: & dubium memini esse debeat quin is qui hæc ita vertit, eã minimè omiserit: sed scripserit *in carie soluta sunt*, aut aliquid huiusmodi. Quamuis alioqui cum aliter potius debuisset hæc reddere fatear, & vocem Græcam *sparta* minimè retinere. Ita certè non malè vertisset, *Atque adeo nauium ligna putrefacta sunt, & rudentes fatiscunt.*

Sunt etiam nonnulli loci, vbi error ex typographia natus videri nequit, & pudet tamen illi interpreti eum imputare. Atque hoc de isto dici loco potest, cap. octauo, libri noni, τὸν γὰρ μυρίων καὶ πεντακισχίλιων χλαμύδων δρόμῳον ἐκ ἔσι μὴ πλείονων δεῖδαι. hîc enim πεντακισχίλιων χλαμύδων videmus reddi, *quindecim millibus vest. mentorũ.* quum vel ei qui planè sit in Græcarum literarũ cognitione nouitius, fatis notum sit πεντακισχίλιων non plus esse quàm *quinque millibus.*

Alicubi verò ne diuinare quidem possis quid



ille interpres scripserit. Exempli gratia, hæc tria vocabula, *σικητικοί*, *εφεκτικοί*, *απορητικοί*, vertit (vt quidem editiones illæ habent) *Commentantes*, *Obligantes*, *Ambigentes*. at quis tamen illum pro *εφεκτικοί* *obligantes* scripsisse ciedat? neque enim credibile est eū ignorasse ita dictos Pyrrhōnios philosophos à verbo *ἐπιχειν*, quod est (quū de illis dicitur) Hæsitare, assensum interim retinēdo. sed quid inueniemus huc pertinēs quod commune aliquid cū illa voce *obligantes* habeat, ad scripturam quod attinet?

Sed nonnullis in locis duo hæc mala concurrerunt, quòd interpres in locis deprauatis mendosam lectionē sequutus sit, & alibi ea etiā quæ mendo carebant nō rectè sit interpretatus. Vel in hoc certè Alcæi loco qui miserè corruptus est in omnibus editionibus, (libri decimiseptimi capite vndecimo) prior illa miseria conspicitur,

Τόντε πνόμενα οίνω. τὸ γ' ἄστρον φειτέλλεται.

Illam enim deprauationē sequens, cum ira vertit, *Pulmonem vino. summum enim contrahitur.* quum tamen scribendum sit, vt in ista editione habes,

Τέγγε πνόμενα οίνω. τὸ γ' ἄστρον φειτέλλεται.


Nisi potius in duos versus diuidi hæc debent. Sonant autem, *Madefacito pulmonem vino. astrum enim exoritur.* Idem verò error & Macrobianā pleraque editiones occupauerat: sed Macrobianā illam, quæ nunc vnà cum ista Gelliana prodit, ab ea puram inuenies. Vnum miror, *φειτέλλεται* legi, nō *ἐπιτέλλεται*, quod potius huic significationi conuenit. Quod autem in hac editione habes plurale *πνόμενας*, perinde est.

Sic etiam capite decimotertio libri quarti, in-

terpres ille sicut legit hæc deprauata, *ᾧ λογικῶν ἢ λογικῶν κακῶν*, ita etiam hæc Latina verba illis deprauatis respondetia nobis exhibuit, *De pestibus, aut rationalium regula*. At germana scriptura nunc tibi datur, *ᾧ λογικῶν, ἢ λοιμικῶν κακῶν*. quæ verba sonant, *De pestibus (siue pestilentis) aut pestilentibus malis*. Nisi quis malit *Pestilentiosis*.

Quum igitur talis interpres superioribus editionibus contigerit, qui & in mala exemplaria & in malos Græce linguæ doctores inciderat, similes habuerunt labra lactucas: ideó que mirari nõ debes si huic editioni aliam esse querendam interpretationem censui. Interim verò istæ meæ lucubrationes plurimos tibi locos interpretabuntur. Vale.

CLAVDIO



CLAUDIO PVTEANO, REGIS  
IN SENATV PARISIENSI  
CONSILIARIO,

HENR. STEPHANVS S. D.

**N** Octibus ternis diem vnum addere  
neceſſe habui: vt, quoniam copia e  
veteribus libris collecta; omnia ex-  
pugnare huius libri menda non po-  
tuerant, mea emendationes coniecturales, ſeu con-  
iecturae emendatrices, velut ſuccenturiantes ac-  
cederent. Praeter illas enim quas e meis coniectu-  
ris ortas aliis intermiſcui, habeo quas lectoribus  
ſeorſum patefaciendas cenſui. Spero autem fore  
vt gratiam ſi non ab omnibus, ab eorum certe  
plurimis ineam. nam, aut valde fallor; aut eoru  
pleraque non minus *δ'σοχι* erunt, quam ea qui-  
bus Xenophonti & quibuſdam aliis ſcriptori-  
bus Graecis & Latinis pariter adminiculatus  
ſum, aut etiam opitulatus. Magna enim illarum  
coniectationum pars (earum praefertim quae in  
Xenophonteos quosdam locos edidera) veteru  
librorum teſtimonio confirmata tandem fuit.  
Qua de re literis quorundam, mihi alioqui igno-  
torum, certior factus fui. Quoru rogo vt exem-

plum sequens, si quos veteres nanciscaris libros, præter eos quos & commodasti, & quibus multorum iam debet locorum restitutionem hæc editio, iisque aliquam meorum σοχασμῶν partem confirmari videas: καὶ τῆς ἐμῆς δισοχίας literas à te διαγέλους accipiam, si fortè hinc absim. Idem verò hîc cum ab aliis quibusdam, tum à Pithœis ambobus & à Nicolao Fevreo petam. nam hituum illud præclarum conquirendi veteres libros studium æmulantur. Quòd si meas coniecturas nullius antiqui exemplaris testimonio cõfirmari contingat, proximum erit ut tuo saltem & eorum quos nominavi iudicio comprobentur. Ut enim de tua deque illorum satis omnibus nota doctrina taceam, fieri non potest quin præterea, dum tot diuersorum scriptorum locos ex antiquis exemplaribus emendatis, hac exercitatione iudicium vestrum multum corroboretur, & nescio quis genius διορθωτικὸς, siue ἐπαρορθητικὸς, suam vobis auram sæpe aspiret. Tu igitur, & tecum par illud fratrum, necnon Nicolaus Fevreus, primi eritis quorum sententiam καὶ τῆς ἐμῆς ὀξύθερκίας aut contrὰ ἀλασοκοπίας, expectabo. Vale. Parisiis. 111. Id. Mart.



HENR. STEPHANI  
EMENDATIONES CONIE-  
CTURALES.

SIVE,  
CONIECTURÆ EMENDATRI-  
CES LŒCORVM ALIQVOT A.

GILLII, PRAETER EAS  
quas præcedentibus  
inferuit.



AVDEO, primum in mentem mihi  
venire quendam Fâvorini locum: tum  
vt meam de eo fidem liberem, tū ve-  
rò quòd dignus sit Fauorinus à quo  
meas emendationes coniecturales auspicer: vt-  
pote cuius dissertationes seu sermocinationes in  
Atticis hisce Noctibus, velut minores inter ignes  
luna ( suam enim comparationem mihi cōmo-  
dat Flaccus ) niteant, splendeant, fulgeant. Adde  
quòd magni vel potius maximi est momenti  
huius loci correctio: quum eius deprauatio non  
solum lectorem alioqui auidum remoretur, sed  
ipsius orationis cursum, velut obex quidam, si-  
stat. Quomodo enim eius orationis cursus non  
interrumpatur, in qua quis sibi repugnãtia loquitur?  
Sed ad rem venietidum est.

In illa igitur egregia atque illustri oratione, qua Fauorinus philosophus aduersum eos disse- nit, qui sese Chaldæos seu genethliacos appella- bant, (qui hodie Astrologiæ iudiciariæ periti, vulgò autè & Natiuitatū factores dicuntur) ac de motu deq; positu stellarū posse futura prædicere profitebantur: inter alia se mirari dicit, hoc cui- quam pro percepto (non, pro præcepto) lique- re, erraticas illas stellas quæ à Chaldæis & Baby- loniis siue Ægyptiis obseruatæ dicerentur, non esse plures quàm vulgò crederentur. Possè enim fieri existimat vt & alij quidam planetes (quos erraticas stellas dixerat) pari potestate sint, sine quibus recta atque perpetua obseruatio perfici nō queat: neque eos tamè cernere homines pos- sint, propter exuperantiam vel splendoris vel al- titudinis. Nam & quædam sidera è quibusdam terris conspici, earūque terrarum hominibus nota esse, quum tamen eadem ipsa ex alia omni terra non conspiciantur, sed aliis omnino sint ignarissimæ, vel (vt editiones superiores habent) ignotissima. Quod id verò his proximè ab illo adii- citur? Istud, *Atque videmus & has tantummodo stellas & ex vna parte terræ obseruari debuisse.*

Quid hæc sibi volunt, Fauorine? Tibi non con- tas: eadem ais & negas. Fateris enim duo quæ negas: i: vnum, has tantummodo stellas vi- deri: alterum, ex vnica parte terræ debuisse ob- seruari. Quid hîc Fauorinus, vel potius aliquis Fauorini defensor, respondeat? Quum hæc quæ obiicio, vera esse inficiari non possit, ad verbo- rum Fauorini deprauationem librariam confu- giat necesse est. Sed qua in parte illam esse dicet?

Hic certè mirū ni hæerere cogatur. At ecce quàm parua mutatione (quod plerumque à me fit in iis quæ ex coniectatione emendo) rem tam impeditā expedio. Repono enim, *Atque ut demus*, pro illis *Atque videmus*. Id est, *Atque ut concedamus*. Sed quum in præcedentibus legatur editionibus, *Atque ut videmus*, lectoris erit optio, ex vtra lectione mala malit bonam illam facere. Nam hîc iam habet particulam *ut*, & tantum delenda est prima verbi *videmus* syllaba: illic, quum legatur, *Atque videmus*, habet iam in *videmus* priorē particulæ *ut* literam: ex litera *i*, alteram, quæ est *t*, facillimè fecerit. Debuerat verò & sermonis ἀνακάλυψις suspectum hunc locū reddere. Qui enim iudicio valent, si attentè hunc locum considerent, animaduertent, ista, *quæ tandē finis obser.* nullo cum proximè præcedentibus verbo connexa esse. Nā hæc, *Atqui videmus, inquit, & has tantūmodo stellas, & ex una parte terræ obseruari debuisse,* non suspensam relinquunt orationem, sed sententiam ἐντελεῖν efficiunt: adeo ut ista, *quæ tandem finis obseruationis istius fuit, & quæ tempora satis esse visa sunt ad percipiendum quid præmonstr.* &c. ab illis pendere videri non possint. Sin verò alteram lectionē sequaris, *Atque ut videmus*, suspensa quidem relinquetur oratio, propter particulam *ut*: sed incoherētia sunt hæc, *Atque ut videmus, quæ tandem finis fuit obser.*

Cæterum, quamuis *Genethliacos* Gellium scripsisse putem (præsertim quum & in fine capitis vocabulum istud repetatur) potius tamen *Genethliálogos*, aut Græco sono Græcisque literis γενεθλιαλογος seu γενεθλιολόγος dictos fuisse existi-

ino. Sed Gellius tāquam ex illorū persona loquitur : quippe qui illos ita se appellasse scribit. Quū autem vulgus vocat Natiuitatum factores, *Faiseurs de nativité* (quod, verbum è verbo, sonat γενεθλιοποιοι, non γενεθλιολόγοι) respicit ad eam quam faciunt & vocāt figuram, in qua quæ ἐν τῷ γενεθλίῳ possint prædicere rimantur. Apparet autem ex tam longa aduersus istos dissertatione (summa enim eius capita tantum, & quidem non omnia, Gellium excerpisse arbitror) fuisse non minus olim quàm hodie, plurimos qui huius scientiæ amore insanirent. A quame infania iam ab adolescentia liberatum fuisse, sæpe Deo Opt. Max. gratias egi, sempérque agam. Quum enim ea in ætate omnium scientiarū essem φιλομαθής, sed simul etiam ἀψίκορος, contigit postremò vt γενεθλιαλόγος quoque euadere summo opere cuperem. Quod tamen desiderium patri aperire non audebam : quòd scirem fore vt non solùm me ab hoc proposito deterreret, sed intermineretur etiàm ne huic studio quidquam temporis impenderem. Verùm (vt humanū est in vetitum niti) eo acrior vehementiorque cupiditas illius scientiæ mihi excitabatur. Tandem verò clam patre inuenio hac in vrbe qui mihi μαινορόφω (quod tamen tum temporis non putabam) velit συμμαίγεσθαι. Adimus igitur quendam huius ἐπισήμους (si tales obseruationes ἐπισήμους efficere possunt) ἐμπειρότατον. Petit ille à nobis pretium mirum quātum in singulos menses : sed tamen quod petit paciscimur. Patrem deinde rogo vt per eum mihi liceat cuidam geometriæ & arithmetices longè peritissimo operam dare, cu-



ius familiarissima futura sit in priuatis edibus institutio. Concedit : ad eum itamus. Et quoniam tam grande pretium rem patri suspectam reddere potuisset, vnam dumtaxat eius partem ab illo peto, & ita cum indulgentissima matre ago, vt alteram suppeditet. At ecce quod in Græco pro uerbio est, Thesaurus, carbones. Nam vbi ingenia nostra multum diuque extractionibus radicum ac regulis algebrae fatigauit, & propemodum cruciauit ( quæ ad genethliologiam esse *προσπειρασιν* dictitabat ) & tandem ad illius scientiæ rudimenta venimus : doctrinam de domibus, quæ illius esse firmissimum fundamentum debebat, incertissimam esse cognouimus : idcircoque τῶ γενεθλιαλόγῳ & τῇ γενεθλιαλογίᾳ, multum de temporis & laboris iactura questi, valediximus. Hæc autem ad ea quæ disserit Fauorinus ad iicere libuit, vt quidam iuuenes mihi charissimi, si non Fauorini monitis, meo saltem periculo sapere discant. Postea verò hoc etiam certò cognouimus, ipsum nihil certi, nihil veri solitum prædicere : & sæpe quod à Fauorino de genethliacis sui temporis dicitur, facere, vt lubrica atque ambagiosa coniectatione nitens, inter falsa atque vera pedetentim, quasi per tenebras ingrediens, iret. Et tamen omnium, etiam τῶ ὁμοτέχων, testimonio, nullum tota Gallia magis huius scientiæ peritum, magis in ea exercitatum, habebat.

Et hæc quidem illi meæ annotationi, in gratiam eorum qui libenter monentibus parent, ἐπιμέβησα : sed libet & aliud διηγημάρον eodem pertinens προσπιμεβῆν : quod minimè ( vt opi-

nor) prætermiffurus erat Fauorinus, fi cognitum habuiffet. Dum Venetiis apud Odettū Seluam, regis noſtri legatum, commorabar, ille quodam celeberrimo genethliologo (quem tamen honoris cauſa non nomino) familiariter utebatur. Quum autem ſæpe ex eo audiuiſſet, filij eius horoſcopum ingétem quandam felicitatem (quod Græci ſignificantius dicerent, *πάμμεγάλη δὲ τύχης χεῖμα*, vel *εὐδαιμονίας*) illi polliceri, & tandem etiam ex eo intellexiſſet, tempus illius felicitatis aduentare; nuntiū de huius prædictionis euétu quidiſſimè expectabat: præfertim quum ei in aſtrogia iudiciariæ ſcientia parcm Italia nõ habere diceretur. Urgebat legatus, quòd ille iã eſſe *ὑπερήμερος* cœpiſſet; illum ſuæ *ὑπερημερίας* pudebat, ſed nihil cõmentitium dicere audebat. Venit poſt aliquot dies ad legatum gaudio exultās, quòd illa tamdiu expectata felicitas filio ſuo cõtigiffet, & tam felicem in illa prædicenda ſuam artem expertus eſſet. Tum legatus, & quotquot eum circumſtabamus, mentem auréſque erigere. Ille, rem miram, inquit, & propè incredibilem audietis. Nudiuſtertius mercator, qui hoc nomine vocatur (cum enim nominabat) filio meo pannum pulcherrimum in veſtem ultro donauit: hēri autem ſutor operam illi ſuam obtulit, nullumque manupretium ſe poſtulare dixit. Ab his ille ad *ἐπιφωνήματα*, re tali ſcilicet digna, nos ad *ἀζωνίαν* præ admiratione tantæ ſtoliditatis & vecordia venimus. Sed iam ad penſum redeūdum mihi eſt: interea autem, quemadmodum aliquando Gellio noſtro ſuarum vigiliarum, quas Atticas vocat, labor & inquietas ſuauiſſitate quo-

mindsam modulorum paulisper acquieuit, ita & liborem mearum Parifinarum, quas Atticis illius inuigilauit, harum narrationum voluptate paulisper acquiescere contigit. Simul verò Fauorini dehortationi aliquid opellæ & ipse præstiti.

CONIECTVRÆ EMENDATRICES QVORVNDAM LOCORUM Capitis I, Libri XII.

AB VNA Fauorini fermocinatione, vel potius (vt vocare Gellius solet) differtatione, ad alteram venio, non minus & doctam & βιωφελῆ: non minus denique Fauorino dignam.

Non procul ab huius capitis principio, hæc legis. *Atque ibi percontatus est quàm diutinum puerperium & quàm laboriosi nixus fuissent. Puellamque, defessam labore ac vigilia, somnum capere cognouit. fabulari instituit prolixius. Et nihil, inquit, dubito quin filium lacte suo nutritura sit. Vt hæc verba, fabulari instituit prolixius, cum præcedentibus iungi possint, addendum videtur postquam vel ubi, post Puellamque: hoc modo, Puellamque ubi defessam lab. ac vig. f. capere cognouit, fabulari instituit prolixius. Vel, Puellamque postquam def. lab &c. Fortasse autem & quoniam locum habere hinc posset. Quod si nihil hinc addas, scribendum fuisset, fabulari instituit prolixius vel, a e u e Nunc verò putandum c f i l s principi*

1, F n a o i se p ti ul m hanc  
 1 c i q i 10 ot, & i quit, du-  
 b i q p

Ad maiora venio. *An tu quoque*, inquit, *putas naturam feminis mammarum ubera, quasi quosdam nauulos venustiores, non liberum alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse?* Duo hîc vocabula valde mihi displicent, nec parum suspecta sunt. *ubera* dico, & *nauulos*, Ad prius illud quod attinet. paruum (meo more) mutationem in eo emendando mihi permitto. scribo enim *mammarum tubera*. In altero paulo maiore libertate utar, quam tamen non reprehensum iri spero. *nauulos* enim in *torulos* muto. Non dubito autem futuros, qui, quum priorem illam emendationem probent, contrâ tamen hanc improbent. sed ij velim aliquem alium vsus vocis *Næuus* (ex qua diminutum esse *Næuulus* notum est) quàm vulgarem, me doceant, & qui rei qua de agitur conuenire possit.

Hoc in loco, ac de gravitate eneris & labore partus fatiscat, quædam exempl. non habent præpositionem *de*. sed placet de gravitate, eo ferè modo dictum quo Laffus de via. Cæterùm cum illis, ne aquor illud ventris irrugetur, conueniunt hæc Ouidiana,

*Scilicet, ut careat rugarum crimine venter,  
Sternetur pugna tristis arena tuæ?*

Verùm nihil magis in toto isto tmemate me offendit quàm vocabulum *cogniti*, hoc in loco, *Quantulum hinc abest, iam perfectum, iam genitum, iam filium, proprii atque consueti atque cogniti sanguinis alimonia primare?* Quis enim mihi neget, post illa duo, *proprii* & *consueti*, tertium *cogniti* frigere? Sed quid eius in locum substituetur? Prior quidem coniectura mea illud *cogniti* mutauit in *co-*

*gnat*: sed posterior, quæ magis mihi satisfacit (ut *θευτέραι φρονίδες* solent esse *σφώτεραι*) est *congeniti*. Harum coniecturarum qui neutram probabunt, hoc saltem mihi fateantur necesse est, *cogniti* post illa duo esse superuacaneum: nisi se iudicio carere fateri malint. Præsertim verò post *consuesi* cur *cogniti* adiiciatur, quum poetæ *nota* frequenter dicant, significare consueta volentes?

Pagina autem 306, *In arboribus etiam & frugibus maior plerumque vis & potestas est ad earum indolem vel detrectandam vel augendam, aquarum atque terrarum quæ alunt, quàm ipsius quod iacitur seminis.* Ita quidem in hac editione: sed aliæ *detrectandam* habent. Ego neutrum probo, sed *deterendam* scribendum puto: quam ad scripturam magis illa quàm hæc accedit. Utitur autem verbo *Deterere* hoc in significato eà quæ proximè sequitur pagina.

## LOCUS EX CONIECTURA CORRECTI IN CAP. I. LIBRI I.

VERBA quædam in illo à quo discedo capite lecta, locum istum mihi in memoriam reuocarunt. Ea sunt in loco quæ proximè emendauit, *ad earum indolem vel detrectandam vel augendam*. Cogitavi enim, *Indolem*, vel potius *Bonam*, *indolem* esse id quod *δ'ουίαν* Græci dicunt: statimque in mentem venit iste Plutarchici libri titulus, *ὅτιον ψυχῶν καὶ σωμάτων ἀσθενείας καὶ δ'ουίαν καὶ ἀρετῶν διαφοράς*. Hunc enim emendationem requirere arbitror, mutando *καὶ* in *καὶ*: & perinde esse acsi dictum esset, *καὶ*

τὸ δ' οὐσίαν καὶ ἀρετὴν ἔχειν, siue πρὸς τὸ δ' οὐσίας καὶ ἀρετῆς ψυχάνην. Aut etiam, πρὸς τὸ πινὰ δ' οὐσῶ καὶ ἐνάρετον εἶναι. Adeo ut ita interpretari oporteat, Quanta sit hominibus animorum & corporum ad bonam indolem & virtutē differentia. Sciendum est autem corporibus hominū animisque, siue mentibus, magnam ad multa siue in multis esse afīnitatem, vel ipso Gellio teste, libri quarti capite decimotertio. Atque huc pertinet quod quidam tradiderunt, τοῖς τοῦ σώματος πάθει ταῖς ψυχῆς ἀκολουθεῖν, saltem ὡς ἐπὶ τὸ πλείον.

Sed quis Gellium scribit pro Inscribit dicere aufum credat? Et credamus tamen necesse est, aut mendosa esse exemplaria putemus. Ego certè hoc potius quàm illud mihi persuadeo, quū tot aliis locis, Inscribere, aliorum more, pro ἐπιγράφειν, non Scribere dicat. Nam in illo cuius modò mentionem feci capite decimotertio libri quarti, habes, *Refert ὁ Democriti liber, qui inscribitur περὶ λοιμῶν ἢ λοιμικῶν κακῶν*. vbi mēdosissimè in superioribus editionibus legitur περὶ λοιμῶν ἢ λογικῶν κακῶν. Quam scripturam sequutus est quisquis Græca quæ apud Gellium sunt, interpretatus est, ita enim illa vertit, De pestibus, aut rationalium regula. quum altera scriptura sonet, De pestibus vel malis pestilentibus.

Verum ut ad verba Inscribere & Inscribi reuertar, in capite quod illud proximè sequitur, habes itidem, Librum nonum Atei Capitonis Conlectaneorum, (vel Coniectaneorum) qui inscriptus est De iudiciis publicis. Sic etiam libri decimi capite tertio, In eo namque libro qui de

falsis pugnis inscriptus est. Item capite nono libri decimitertii, tradit Tullum Tronem, qui M. Ciceronis alumnus & libertus, adiutorque in literis studiorum eius fuit, libros complures de usu atque ratione linguæ Latinæ, item de variis atque promiscuis quæstionibus composuisse: & in his præcipuos videri esse quos Græco titulo *παιδείκταις* inscripsit, tamquam omne rerum atque doctrinarum genus continentes. Necnō capite decimo octauo libri decimiseptimi metio fit libri M. Varronis, quem inscripsit, Pius, aut De pace. Denique libri vltimi capite vltimo, habes aliquoties Inscripsit, & Inscripserunt, & Inscripsimus.

Sed quorsum (dicet aliquis) hanc tuam emendationem tot exemplis confirmas? In causa sunt alii loci, qui quum itidem habeant *scripsit* (non *inscripsit*) pro *ἐπιγέγραφε*, fidem illi meæ emendationi apud nonnullos videtur derogaturi. Nam legitur in illo ipso cuius modò mentionem feci capite vltimo libri vltimi, pag. 541, *Est qui scripsit συγγράμην*. Quinetiam capite decimoseptimo libri decimi, *Laberius poeta in mimo quem scripsit Restionem*. Sed tot aliis locis duo trorsus minimè debent opponi. Animaduerte autè obiter, pulchrè hîc repositam fuisse vocem *Restionem*: quæ & alio loco comprobatur, quum antea legeretur, *quem scripsit rectoriem*. Quædam verò editio exhibet (*ἐν τινὸς μαγιστροῦ δωρεως*, vt opinor) nō *rectioem*, sed *rectorem*. Atqui altera illa lectio propius ad veram accedebat. Ceterùm in illa ipsa quæ *rectorem* habet, legitur etiam *inscripsit*.

Vtitur porro & alio modo Gellius verbo In-

scribere, siquidem sermonis formam spectemus. Legimus enim in principio capitis tertii, libri quinti, *Protagoram, virum in studiis doctrinarum egregium, cuius nomen Plato libro illi suo in clyto inscripsit*. Quum alioqui dicere potuisset, De cuius nomine suum illum librum inscripsit. ut si Græcè dicas, ~~τὸ~~ ὀνόματος αὐτοῦ τὸ ἐαυτῶ βιβλίον ἐπέγραψε. vel, ἐκ τῆς ὀνομασίας, aut ἀπὸ τοῦ ὀνόματος.

EMENDATUS EX CONIECTURA  
 LOCUS CAPITIS III,  
 LIB. XVI.

FIDEM hinc meam liberabo, quam dedi antea, de emendatione cuiusdam loci, in quem illud è sermone Græco ortum participium *apti* reponendum esset. Hoc igitur est initium capitis tertij, libri decimisexti, *Cum Favorino Roma dies plerumque totos eramus: tenebátq. animos nostros homo ille, fãdi dulcissimus: atque eũ, quoquo iret, quasi ex lingua profusum eius capti prosequeremur. ita sermonibus usquequãtque amœnissimis demulcebat*. Quisnam (obsecro) eorum qui aliquam linguæ Latinæ puritatem seruant, ita loquitur ut se ex lingua alicuius captum esse dicat? Tolerabilius certè foret, si, sublata præpositione scriberetur, *lingua eius capti*: id est delectati: ut *captus carmine* apud Virgiliũ, pro Delectatus. Sed alius profectò sub hoc loco latet error. nemini enim dubium esse debere dico, quin hinc *capti* sedem participij illius *apti* inuaserit. Tam enim eleganter dicitur, *ex lingua eius apti*, quàm erat inelegans (ne dicam, parum Latinũ) *ex lingua eius capti*. Atque ut Lucianus de Her-



eule Gallico dixit, magnam hominum multitudinem trahere, ἐκ τῶν ὄτων ἅπαντας δεδερόους, ita hîc dicere Gellius potuisset, ἐκ τῆς αὐτῆς γλώσσης δεδερόοι.

## DE DVOBVS LOCIS CAPITIS XIII. LIB XI.

C. GRACCHI locum mendosum esse suspicor. Verisimile enim mihi nō fit, eum ita scripserit, *Quæ vos cupidè per hosceannos appetistis atque voluistis, ea si temere repudiarit, abesse nō potest quin aut alim cupidè appetisse, aut nunc temere repudiasse dicamini.* Fortasse autem aduerbium *temere* ex posteriori parte in priorem irrepfit: atque vt ibi superuacaneum est hoc vocabulum ante *repudiarit*, ita vicissim deest aliquod ante *cupidè*. Alioqui certè, si Gracchum ita scripserit, etiam dignum reprehensione fuisse constaret. Sed fusiùs hac de re in vna mearum super quibusdam Gellianis locis *Quæstionum* disseram. Quædã porro à Gellio de nōnullis veterū scriptorum locis referuntur, quæ obstat quominus incredibile videri debeat eum in mendosa exemplaria incidisse. Vel illa certè dubitatio de scriptura cuiusdam Salustiani loci, libri primi capite decimoquinto, illud credibile esse ostendit.

In eodem capite, vbi legitur, *admoniti à Castritio sumus vt considerarem quæ vis quòdve emolumentū eius sententia foret*, licet non omnino ab hoc loco aliena sit significatio vocis *emolumentum*, malim tamen scribere *momentum*: sicut in extrema pagina habemus, *in quibus verbis omne momentum rei est.*

158 HENR. STEPHANI  
sed pro *momentum* editiones quædam *monimen-*  
*tum* habent.

CORRECTVS EX CONIECTV-  
RA QVIDAM LOCVS  
CAP. III, LIB. XI

GELLIUS hoc in capite, locum quendam  
Gracchi (quem fortem ac vehementem orato-  
rem existimatum fuisse scribit) cum Ciceronia-  
no conferens, quibusdam eius verbis hæc præfa-  
tur, *Complorationem deinde tam acerba rei; & odium*  
*in Verrem detestationemque apud ciues Romanos incen-*  
*se atque acriter atque inflammanter facit, quum hæc di-*  
*cit. At ego crediderim cum scripsisse intente atque*  
*acriter atque inflammanter. Cur enim aduerbium*  
*incense ab aduerbio inflammanter disiunxisset?*

CONIECTVRA SVPER EMEN-  
DATIONE TRIVM LOCORVM  
CAP. XIII, LIB. VII.

CAPITIS huius initium est, *Et in carmine &*  
*in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria*  
*quæ Græci χαρακτήρες vocant: nominaque eis fecerunt*  
*apponi, ἀδρὸν, ἰχνὸν, μέσον. Hæc verba, nomina-*  
*que eis fecerunt apponi, quem habere sensum dice-*  
*mus? Per quæ (obsecro) aut per quos Græci no-*  
*mina tribus i illis characteribus apponi fecerunt?*  
*cui aut quibus hoc negotium, cui se idoneos nõ*  
*esse cognoscebant, demandarunt? Verum ad hæc*  
*tam difficilem quæstionem veniendum non erit,*  
*si legas,*

si legas, me autore, nominâque eis fecerunt apposita: ut reuera nomina hæc non solùm apposita sunt, sed etiâ appositissima atque aptissima. Ideoque Gellius non vno ea modo interpretatur, ut vim eorum possit assequi. Nam character & sp̄s ei est non solùm *uber*, sed & *magnificus*: *ἰξυὸς* non *gracilis* tantùm, verùm etiam *subtilis* & *cohibitum*: at *ἰσὸς*, & *mediocris* & *mixtus moderatûsque*.

Sed hæc verba, quibus caput illud clauditur, *Vnumquodque autem genus, ut diximus, quum castè pudicèque ornatur, fit illustrius: quum fucatur atque praelinitur, fit prestigiosum*, mirari quis possit ad quænam ex præcedentibus referatur: quoniam dicit, *ut diximus*: & tamen nihil tale videtur ab eo dictum esse. Ego certè lubenter legerem. *Vnumquodque autem genus eorum que diximus*: sed quoniam vereor ne audacula hæc emendatio videatur, aliam affero: ut verba ista, *ut diximus*, alio loco ponantur ita, *vnumquodque autem genus, quum castè pudicèque ornatur, fit illustrius: quum, ut diximus, fucatur atque praelinitur, fit prestigiosum*. Sed vbi dictum hoc fuisse putadum est? Aliquo certè modo verbis hisce illa respondent, *his singulis orationis virtutibus vitia agnata pari numero, quæ earum modum & habitum simulacris falsis ementiuntur*.

Verùm nec vocem illam mihi suspectam, *ubertum*, silentio præteribo. Ita enim hæc editio, *Magnificum dicendi genus in Ulyxe, & ubertum: subtile, in Menelao, & cohibitum*. Hæc vox *ubertum* nullo mihi modo placet: nec pro ea facere dicendum est aduerbium *Ubertim*. Ideoque legere malim *uber*, sicut in præcedentibus editionibus scriptum est: *Magnificum in Ulysse & uber est, sub-*

*sile in Men.* Fortasse autem natus hinc fuerit error, quòd in vet. exempl. esset, *Magnificum in Vlyxe & vber: tum subtile in Men.* Neque enim nullus est huiusmodi vsus particulæ *tum*.

EMENDATVS EX CONIECTV-  
RA LOCVS CAP. III, LIB. VII.

MIRVM est è libris veteribus emendatum istum locum non fuisse, quem habes pag. 192, huius editionis, *maiore scilicet venia reprehensuri Tironem.* Totum illius orationis mēbrum est hoc, *Ex ea epistola libitum fortè nobis est reprehensiones eius quasdam attingere, maiore scilicet venia reprehensuri Tironem, quàm tum ille reprehendarit Catonem.* Atqui non procedit orationis huius structura, quum præcedat *nobis.* Idcòque *reprehensuris* scribo: neque hanc meam emendationem à quoquam reprehensum iri puto.

Maioris autem momenti est consideratio verbi *consiperent*, quod paruo interuallo sequitur: *quum vereri sese ostendit ne patres, gaudio atque letitia rerum gestarum prosperè, de statu mentis sua deturbati, non satis consiperent, neque ad rectè intelligendum consulendumque essent idonei.* Fuit certè tempus quum in *consisterent* mutandum suspicarer illud *consiperent*: vt eum haberet vsum quem in isto Ciceronis loco, *Et tantus clamor à nostris (placuerat enim referre gratiam) vt neque mente, neque lingua, neque oratione consisteret.* Sed à Gellio sine adiectione dictum esset *Consistere*, pro eo quod à Cicerone dicitur, *Consistere mente.* Neque verò potuit adiaci hic ablatius *Mente*,

quum præcedat, *de statu mentis suæ deturbati*. Atque ut demus, Consistere, absque illa adiunctione dici posse, superuacue hæc addidisset, *non satis consisterent*: quum cum qui de statu mentis suæ deturbatus est, non satis consistere notum sit. Quum itaque Consiperent retinere mallet, & attentius illud considerarem, venit in mentem, Gellium Græcum *συμφορεῖν* exprimere verbo Consipere voluisse: sicut Græco *ἀναφορεῖν* Desipere, & *πῶ ἀναφορεῖν* Resipere respondet. Verbi autem *συμφορεῖν* significationem huic Gellij loco conuenire, ipse quoque (ut spero) persuasum habebis, ubi legeris quæ de ea in meo Thesau- ro Græcæ linguæ trado, minimè contentus iis quæ à Budæo scripta iam erant.

CORRECTVS EX CONIECTV-  
RA LOCVS CAP. II, LIB. XVII.

OPÈ veterum librorum reddita fuerunt cui-  
dam huius capituli loco multa verba. Quum enim  
superiores editiones vnū ex iis qui ex primo Q.  
Claudij Annali affertur, ita scriptum habeant,  
*simul forma, factis; eloquentia, dignitate, acrimonia,  
confidentia pariter præcallebat: ut facillè intelligeretur,  
magnum viaticum: & sequantur verba Gellij, Ma-  
gnum viaticū pro magna fac. &c.* in hac ceditione le-  
ges, *ut facillè intelligeretur magnum viaticum ex se at-  
que in se ad rempubl. euertendam habere.* Quibus illa  
verba subiunguntur, *Magnum viaticum pro magna  
facult. &c.* Sed in iis quæ paruo sequuntur inter-  
uallo, scriptura vocabuli Græci, cuius Gellius  
mentionē facit, suæ integritati non omnino re-

stituta fuit. Ita enim ibi, *Magnum viaticum pro magna facultate & paratu magno nouè positum est. videturque Græcos sequutus, qui ἐπόδιον à sumptu via ad aliarum quoque rerum apparatus traducunt: ac sæpe ἐποδίζον pro eo dicunt quod est Institue & instrue.* In præcedentibus autem editionibus repetitur hîc nomen illud ἐπόδιον: quæ scriptura multo longius ab integritate abest. Sed quum duorû verborû vestigia remaneant in illo corrupto vocabulo ἐποδίζον, dubitari potest vtrum eligendum sit, ad scripturam planè suæ integritati restituendam. Anceps enim est illa mendosa scriptura & ambigua, ad ἐποδίζου & ad ἐποδισσον. verùm si ἐποδίζου legere libeat, significationem verbi mendij sub voce passiuâ habere sciamus.

CONIECTATIONES IN QUOS-  
DAM LOCOS CAPITIS XX,  
LIBRI XVII.

VIDE quid sit, ea quæ Græca sunt, in eos qui minimè Græci sunt (id est, Græcæ linguæ periti) incidere. *Hæc verba ubi lecta sunt, atque ibi Taurus mihi, Heus, inquit, tu ἤντοπισα. &c.* Quale hoc vocabulû est? vel potius ποδαπὸν est? Latini esse non posset, etiamsi Latinis literis scriberetur. Nam terminatio nominis Rhetoristes, aut Rhetorista, ei similis quâ habet Sophistes, siue Sophista, à Latina lingua in huiusmodi nominibus abhorret. Diminutiui autem nominis forma, ex Rhetor diceretur potius Rhetorculus, vt Amatorculus ex Amator, & Doctorculus ex Doctor. At si Græcum est, vt cer-

tè est (ad ipsam etiam terminationem quod at-  
tinet) cur sub literis Latinis, tanquam sub Lati-  
na veste, patriam mentitur? Scribe igitur *ἢ τοσι-  
οξε*. quædam enim diminutiva huiusmodi ha-  
bent Græci.

Aliquanto pòst, *Sed lineas umbrâsque facere qua-  
sivimus & ausi sumus*. vide annon verisimile sit  
scriptum à Gellio fuisse, *lineas umbrâsque eorum fa-  
cere*. id est, ea delineare & adumbrare.

Paulo pòst, *Quale quum fieret modo factum est, ta-  
le extitit*. Multo magis placeret, *sed quali quum  
fieret modo factum est*.

In fine capitis, *Sed qui facit nos ut honestè amemus*.  
Ego *commonefacit* in locum huius *facit* repono.  
Quem enim locum verbum simplex *facit* habe-  
re hîc potest? at verò *qui commonefacit*, respondet  
huic Platonico verbo *ὁ ποροτέπειπών*. quamvis alio-  
qui reddi etiam possit *Qui hortatur*.

Libet autem & de hoc admonere, particulâ  
*atque* minimè esse suspectam in eo quem primû  
attuli loco debere: *Hæc verba ubi lecta sunt, atque  
ibi Taurus mihi, Heus, inq. &c.* Meminisse enim  
oportet eius super hoc adverbio observationis  
quam libri decimi capite ultimo habes. Ibi enim  
dicit à Virgilio pro adverbio Statim positû hîc  
esse,

*Non aliter quàm qui adverso vix flumine lembum  
Remigis subigit. si brachia fortè remisit,  
Atque illum in præceps pronò rapit alveus amni.*

Eodem enim modo eum, Virgili exemplo, *at-  
que ibi Taurus mihi*, dixisse puto non alio sensu  
quàm si ita loquutus esset, Statim ibi Taurus  
mihi.

## EMENDATIO CONIECT. LOCI

CVIVSDAM, CAP. XXVI,

LIB. X.

CAPITIS huius initium ita in præcedentibus editionibus scriptum est, *Asinio Pollioni, in quadam epistola, quam ad Plancum scripsit, & quibusdam aliis, C. Sallustius iniquè dignus nota visus est, quod in primo histor.* Hæc autem editio habet, *& quibusdam aliis C. Sallustij iniquis dignum nota visum est, quod in primo histor.* Quibus ex verbis eandem effici sententiam videmus; sed scribendum cenleo *C. Sallustio iniquis.*

## CONIECTURA EMENDATRIX

CVIVSDAM LOCI CAP. XII,

LIB. XII.

IN fine huius capituli hæc leguntur, de Cicerone, *Risit satis: atque, inter ridendum, ἀκοινώνητοι, inquit, homines estis, quum ignoratis, prudentis & cauti patrisfamiliæ esse, quod emere velit, empturum sese negare, propter competitores emptionis.* Ita (inquã) superiores editiones: in hac autem, non ἀκοινώνητοι sed ἀκοινογοντοί. Atqui huius certè vocabuli significatio nulla est: ac ne vocabulum quidem appellare licet fortasse fortuitam hanc syllabarum congeriem. Altera autem vox, ἀκοινώνητοι, non quidem significatione itidem caret, sed nihil loco huic conueniēs sonat. Hic igitur quid agendum nobis est? videndū an coniectura germanam lectionem ex illis possit syllabis elicere quas hac in editione è veteribus libris habes.



Arque adeo iã mihi istud assequutus esse videor. mea enim coniectatio, ex ἀκοινογονοὶ faciēs ἀνοικονόμητοι, Gellianam huic loco scripturã (meo iudicio) reddit: bellum quidem certè vocabulũ, & perbellè rei de qua híc agitur quadrans, in alterius locum reponit. Nam ἀνοικονόμητοι sunt OEconomiaẽ imperiti, seu rerum œconomica- rum: ἐκ εἰδότες πὼς δεῖ τὰ τοιαῦτα οἰκονομεῖσθαι. Quo- modo autem & in aliis vocabulis terminatio passivam præ se vocem ferens, a ctiuum nihilo- minus significatum habeat, mea te Schediasmata docebunt.

CONIECTATIONES IN  
 ALIQVOT LOCOS CAP. IX,  
 LIB. I.

POSTQVAM dixit, ordinem atque rationẽ Pythagoræ, ac deinceps familiaẽ successione eius, recipiendi instituendique discipulos, hunc fuisse, vt iam à principio per physiognomoniam mores naturasque adolescentum qui sese ad discendum obtulerant, sciscitaretur: addit, *Eum qui exploratus ab eo idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim inbebat.* At ego participium inuentus, vel compertus, aliudve huiusmodi, cũ idoneus desiderari existimo, esse enim scribendum, & quidẽ à Gellio fuisse scriptum, *Eum qui exploratus ab eo, idoneusque inuentus fuerat. vel, compertus fuerat.* aut si quod aliud participium aptius afferrí potest.

Paulo post, *Is autem qui tacebat, quæ dicebantur ab aliis audiebat. neque percõteri, si parum intellexerat: neque commentari quæ audierat, fas erat.* Quis hoc de

Pythagora credat, eum noluisse suos discipulos illius *εχρηματιας* tempore, ea quæ audissent, commentari? Vcl Naso certè aliud de Pythagoræ discipulis videtur sensisse, quàm eos ne commentari quidem ea quæ audierant ausos fuisse. Hæc enim de illo canit,

*Quumque animo & vigili perspexerat omnia cura,  
In medium discenda dabat: cæterumque silentium,  
Dictaque mirantum, magni primordia mundi,  
Et rerum causas, & quid natura, docebat,  
Quid deus unde niues, quæ fulm: &c.*

Atqui hæc admiratio ex commentatione provenire videri potest. Præterea verò quomodo fieri poterat vt discipulorū animos non subiret cogitatio de iis quæ audissent? & quī scire Pythagoras poterat an suam discipuli legem de iis non commentandis seruarent? Quum autem ea commentari & de iis cogitare pro vno eodémque dico, Gellium ipsum autorem habeo, qui commentationes & cogitationes *ἐν τῷ ἑαμιλλῆ* ponit. Alium tamen vsum dare hīc verbo *commentari* fateamur necesse est, aut (quod malim) scripsisse eum credamus, neque aliud quàm commentari quæ audierat, fas erat, aut certè, neque commentari nisi quæ audierat. Obiiciet forsitan aliquis, à Gellio paulo post dici, *Ἢι dicebantur in eo tempore μαθηματικοί*: ab iis scilicet artibus quas iam discere atque meditari inceptauerant, sed hoc loco aliud esse meditari quàm commentari, respondeo.

Circa finem capitis, *Qui à Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant*. Si discipulorum legeretur, ita dictū hoc esset vt initio capitis decimi-septimi libri secundi habes, *Phædon Elisensis ex co-*

*horte illa Socratica fuit.*

In fine autem capitis habet hæc editio, *Et coibatursocietas inseparabilis. tamquam illud fuerit antiquum consortium, quod re atque verbo appellabatur κοινόςσιον.* Superiores autem habent, quod in re atque verbo Romano appellabatur κοινοςσιον. Multum faceſſebat negotij vocabulum Romano: sed aliquid scrupuli videntur & illa verba iniicere, quod re atque verbo appellabatur Quid si igitur, quod re erat, atque verbo appellabatur, scribamus?

EX CONIECTURA EMENDATUS LOCUS CAPITIS  
X, LIB. XVIII.

NEGOTIO posse ferri vocem ἀδιαίρετος, quam habemus in fine huius capitis; in definitione τοῦ σφυγμοῦ, quam veterum medicorum esse scribit, σφυγμός, ἐστὶ διαστολή καὶ συστολή ἀδιαίρετος ἀρτηρίας καὶ καρδίας. Satis nunc tum est ἀδιαίρετος sonare Indivisibilis: sed quomodo convenire huic loco potest? Audacter igitur, me autore, scribe, ἀπροαίρετος. Me autore, inquam, qui me Gellium ipsum autorem habere dico: quum scribat, *naturalis, non arbitraria.*

CORRECTA EX CONIECTURA QVÆDAM CAP.  
V, LIB. IX.

HIEROCLIS Stoici verba, quibus caput istud clauditur, mēdosa in superioribus editionibus erāt, ac ne in hac quidem mendis carēt.

Commune huic cum illis mendum esse arbitror in prima voce ἡ δονῆς, & hoc ex genitiuo nominatum ἡ δονῆ faciendum dico. Præterea nõ placet hîc, οὐκ ἔστιν, nisi particulam ὅπου aut οὗ, quæ facilius omitti ante οὐκ potuit, ei præfigamus. vt dicat, vbi non sunt lupanaria. Alioqui vel οὐκ ἔσω scribendum fuerit, vel ἀπέσω, quod in aliis editionibus est, reponendum. Quinetiam magis mihi arrideat ἐδὲ quàm ἐδὲν. vt totus ita legatur locus, ἡ δονῆ, τέλος. πορνῆς δόγμα. ἐκ ἔσω πορνεία, ἐδὲ πόρνῆς δόγμα. hoc sensu, Voluptas, finis : hoc meretricis est dogma. Non sint lupanaria, nec meretricis dogma erit. Aut legendo, ἐκ ἔσω πορνεία, ita, Vbi non sunt lupanaria, nec meretr. &c. Sed quoniã vox qua lupanaria significatur, deducta est ab ea quæ meretricem significat, maiore cum gratia hæc Græcè dicuntur : perinde ac si pro lupanaribus dicas meretricalia, à meretrice: aut prostibularia, à prostibulo. Possumus verò & lupam pro meretrice vsurpando, ita interpretari, Voluptas, finis : hoc lupæ est dogma. Non sint lupanaria, nec dogma lupæ erit. Sic autem hæc accipio ac si diceret Taurus, Istud Epicuri dogma, Voluptas, est finis: est dogma meretrice magis quàm philosopho dignum: si igitur cessent lupanaria, cessabit & illud meretricis dogma. Verùm siue ἐδὲν legas, siue ἐδὲ (quod malo) subaudiendum erit ἔσαι post δόγμα. In illa autem Græcorum quæ apud Gellium sunt verborum interpretatione superioribus editionibus subiuncta, πορνεία videbis reddi Venerem, quod miror. Ita enim totum hunc locum ibi interpretatum habes (sequendo illam vulgo receptam lectio-

Sed cur vestimentorum, & quidem chlamydū nominatim, potius quàm alius rei mentionem facit? Suspicio ad Lucullum voluisse alludere: de quo Horatius,

--*Chlamydes Lucullus ( ut aiunt )*

*Si posset centum scena præbere rogatus,*

*Quæ possum tot? ait: tamen & queræ & quot habebō*

*Mittam. Post paulo scribit sibi millia quinque*

*Esse domi chlamydum: partem vel tollere omnes.*

Quibus subiungitur hoc epiphonema,

*Exilis domus est, ubi non & multa supersunt,*

*Et dominum fallunt, & profunt furibus*

Plutarchus quoque in huius Luculli vita, istius rei meminit, & quidem etiam epiphonematis huius poetæ mentionem faciens. Scribit enim, *εις ὁ καὶ φλάκκος ὁ ποιητὴς ἐπιπερώνηκεν, ὡς ἔ νομίζει πλεόντων ἔ μὴ τὰ παρορῶμενα καὶ λαυδάγοντα πλείονα τῶν φαινομένων ἔστι.* Quæ tamen ab eo non omnino ita dicuntur. Nam paulo aliud est dicere, Nō existimare esse diuitias, ubi quæ negliguntur & latent, plura non sunt iis quæ conspiciuntur: quã quod legimus apud Flaccum, Exilē domū esse ubi non superuacanea sunt multa, & quum dominum lateant, furibus sunt vtilia. Sed quis apud Plutarchum putandus est subaudiri nominatius cum verbo *νομίζει*? potius certè de Lucullo quàm de Horatio eum intellexisse arbitror: ideoque *νομίζοι* lubentius scripserim.

## Q. CLAUDII QUADRIG. LOCVS

EX CONIECTATIONE EMENDATVS, CAP. XIII, LIB. IX.

IN narratione Q. Claudij Quadrigarij, ubi le-

negotium mihi faceffit : ac faceffet ( vt opinor )  
 & aliis, qui ex ea quandam ſequentiũ cum præ-  
 cedentibus incoherentiam contingere animad-  
 uertent. Ita enim non in hac editione ſolum ſed  
 in aliis etiã ſcripta eſt, τὸν γὰρ μυρίων καὶ πεντακχι-  
 λίων χλαμύδων δέομαι ἢ ἕξι μὴ πλείονων δέιδαι. οἷς  
 γὰρ ἔχω πορο δέομαι, ἀφελῶν ὧν ἔχω, ἀκοῦμαι οἷς ἔχω.  
 Quæ ſententia in illa vulgari interpretatione ita  
 reddita fuit, Enimvero qui decem millibus &  
 quindecim millibus veſtimentorũ egeat, is quo-  
 minus indigeat, fieri non poteſt. Quum enim  
 plus quàm habeam egeo, detrahens ex iis quæ  
 habeo, acquieſco. Atqui verba illa ſonant, Fie-  
 ri enim non poteſt vt qui quindecim millibus  
 chlamydũ eget, pluribus nõ egeat. Quũ enim e-  
 geã aliis vltra ea quæ habeo, poſtquã detraxi ex  
 iis quæ habeo, contentus ſum iis quæ habeo. Sed  
 quomodo conuenire poteſt particula γὰρ poſte-  
 riori membro, quum ea quæ in eo dicuntur, eius  
 non ſint qui rationẽ eorum quæ iam dixit, red-  
 dat, ſed potius ſtatuat quid ſibi factõ ſit opus, vt  
 in illud indigentiaẽ periculum non incidat? At  
 quam vocolam in huius locum ſubſtituemus?  
 Aptã eſſet οὐδ̄ : verũm ex ἀρα in γὰρ facilior fuit  
 mutatio. Vtrocumque autẽ modo legatur, ver-  
 tendum erit, Quum igitur egeam aliis vltra ea  
 quæ habeo. Fortaſſe tamen ſuſpicetur aliquis  
 ſcriptum fuiſſe, οἷς περ ἔχω. quam certẽ lectionẽ  
 malim quàm οἷς γὰρ ἔχω: ſed illarum quas dixi par-  
 ticularum altera multo magis mihi placet : quũ  
 poſterius membrum nullo alioqui vinculo prio-  
 ri iungatur, ſi οἷς περ ἔχω ſcribatur, nihilo magis  
 quàm ſi οἷς ἔχω ſcriberetur.

nem) Voluptatis finis, meretricis decretum est. tolle Venerem, nullum meretricis decretum erit. Miror (inquam) cur suam vocabulo illi significationem non dederit, sed ita verterit: quum Hierocles certo consilio *πορνεΐα* potius quàm *ἀρροδύτην* dixerit.

Et quoniam in vulgaris illius interpretationis mentionem incidi, de alio etiam loco huius capituli, cui alium quàm suum illa sensum tribuit, admonebo. Initio huius capituli referuntur hæc, tanquam ab Antisthene Socratico solita dici, (qui voluptatem summum malum, ut Epicurus summum bonum, esse existimabat) *μαρτίω μάλλον ἢ δέειν*. Ibi autem ita hæc redduntur, Insanire potius quàm oblectarer: quum debeant ista verbis opratiui modi reddi, Insaniam potius quàm oblecter. Immo & in eo peccatū est quòd *ἡδέσθαι* verbo Oblectari sit interpretatum. nam quum in malam partem Græcum illud ponatur, est potius Voluptuari. Dicendum igitur fuerit, Insaniam potius quàm voluptuer. Aut, quàm voluptate fruar. Aut, quàm voluptati me dedā. Vel, tradam. Possis autem & hac interpretationis forma uti, Contingat mihi insanire, potius quàm voluptate frui. Quòd si tam Latinum quàm aptum esset Voluptuari, eo libentius vterer.

CONIECTURA IN GRÆCAM  
 QVANDAM SENTENTIAM FA-  
 VORINI, CAP. VIII, LIB. IX.

IN ILLA Fauorini sententia, inter ingentes omnium clamores detornata, particula quædam

gimus, Gallus, sua disciplina, scuto proiecto, cantabundus: Manlius, animo magis quam arte confusus, scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbanit, non placet vocabulum cantabundus. Neque enim conuenire id puto cū eo quod scribitur, sua disciplina. (nisi potius scripsisse putandus est, ex sua disciplina.) Alioqui certè, quamuis vocabulum illud Cantabundus mihi displicere dicam, non ignoro à Gellio circa initium capitis inter cætera de eo scribi, & quantum insolens prouocator. Sed potest & absque cantu esse insolètia: atque adeo vel hoc quod à Quadrigario paulo antè refertur, Deinde Gallus irridere, atque linguam exertare, fatis magnum eius testimonium est.

Sed quid in locum illius cantabundus substitui, parua cum mutatione, poterit? contabundus, si qua meæ coniecturæ fides. Verisimile est enim, suam disciplinam ei quandam contationem præcepisse, scuto interim proiecto. (Vbi obseruandum etiam proiicere scutū, τὸ προβάλλεσθαι: vt & Proiectis altè brachiis, de athletis ab ipso Gellio dicitur: quum alioqui Proiicere scutum, dici etiam possit pro obiicere, ἀποβάλλεσθαι.) Neque ab eo qui hostem despiciens, inolefcit, alienum est, vt interim contetur, dum occasionem ferendi explorat, eique imminet. Obseruandum autem, quod dixerat disciplinam, artem postea vocare, quum hostem hosti simulque pugnam (id est, pugnandi rationem) pugnae opponens, scribit, Manlius, animo magis quam arte confusus.

Quòd si admittitur hæc mea coniectura, multo certè procliuor fuerit lapsus ex contabundus in cantabundus, quam ex cunctabundus. Cur autem



illa potius quàm hæc orthographia mihi placeat docebo : quum alioqui multas circa multarum vocum orthographiã *κωνοτομίας*, multaque *λεπτολογήματα*, soleam aliis relinquere, ac ne omnium quidem durissimis marmoribus ( quorum testimonia proferuntur ) mea in quibusdam duritia cedat. Ex Græco *κωντός* ( quod apud ipsum etiam Homerum extat ) factum fuit à Latinis Contus. Ex hoc autem verbum Contor, quod quamuis propriè significet (derivationem sequendo) Conto explorare, aut certè, Quasi conto explorare : tamen pro Morari seu Moram trahere potius dicitur : ideo ( vt credibile est ) quòd qui conto explorat, interim ab impellendo nauigio cessat. Sedenim & pro Interrogare ponitur: quòd plerumque per id quod interrogati respòdetur, fiat explorationis gentis quoddã. Verùm multo maiore in vsu esse cœpit hac in significatione compositum Percontor.

Contrà verò alii & Cunctari & Percunctari scribere malunt : quidam verò Contari quidem malunt quàm Cunctari, at Percunctari quàm Percontari. Et Cunctari quidem scribunt, quasi ex eo dicatur, quòd cuncti, id est omnes simul, non facilè moueri possunt: at Percunctari, tamquam ex eo dicatur quòd à cunctis inquiratur. Quum autè ex Donato hoc etymum afferatur, tamen & in Percontor, scriptura hæc eius testimonio confirmatur, tamquam dictum sit à conto, quo nauæ vtuntur ad loca inquirenda nauibus opportuna. Ego certè aut vtrobique, aut saltem in significatione Morandi, seu Moram trahendi, literis *Ο Ν Τ*, quàm *Υ Ν C Τ*, malim

scribere. Hoc addam, mihi magis verisimile fieri, Donatum de Percunctori (si ista eius sunt) scripserit, quòd ex cunctis inquiratur, quàm à cunctis inquiratur, ad vitandam ambiguitatem: ut Percunctor dictum sit (nam & hî coniectator esse volo) quasi lingua eius qui diligenter inquirit, per cunctos eat.

Iam verò quòd ad illa verba attinet, atque linguam exercere, in iis editiones superiores quàm istam sequi malui.

CALLIMACHÍ LOCUS EX  
CONIECTURA RESTITUTVS,  
CAP. XI, LIB. IIII.

GELLIVS ita hoc caput auspicatur, *Opinio vetus falsa occupavit & conualuit, Pythagoram philosophum non esitavisse ex animalibus: item abstinuisse fabulo, quem κύαμων Græci appellant. Ex hac opinione Callimachus poeta scripsit,*

Καὶ κύαμων ἀπὸ χεῖρας ἔχεν ἀγιώντων ἔδεδα,

Καὶ γὰρ Πυθαγόρας ὡς ἐκελευε λέγει.

Quædam v. e. d. editiones ἀγιώντων habent. Ac illud quidem ἀγιώντων (quod & ista editio habet) nihil posse significare, & ἀγίωτον, quod scriptura valde vicinum ei est, significationem planè ab hoc loco alien. m. habere, dico: (nam ἀγίωτον est quod rubiginem non sensit, aut sentire non potest) at verò ἀγιώντων esset participium à verbo ἀγίαν: quod huic loco quomodo congruere potest? Ut omittam, cum neutro horum stare verbum posse, etiamsi alioqui vtrumque convenientem huic loco significatum haberet.

Quid

Quid igitur hîc Callimachum scripsisse credendum est? aut, si non credendum, suspicandû salté est? Mea siue coniectura, siue diuinatione, substitui ἀναιμον: quod & versus numeri admittunt, & rem declarat cuius Callimachum facere hîc mentionem voluisse credibile est. Ita igitur priorem illum versum ( mutando etiam ἔχειν in ἔχειν: de qua emendatione dubitari non potest) scribo,

Καὶ κούμων ἀπὸ χείρας ἔχειν, καὶ ἀναιμον ἔδειδαι.

Habemus quidem certè in illo ἀναιμον quædam etiam huius ἀναιμον vestigia, id est, quasdam reliquas eius literas, α ν ι ο ν. Sed quid hoc ἀναιμον (vt iis etiã qui Græcæ linguæ indocti sunt gratificer) significat? Sanguine carens, Sanguinis expers. Quàm autem exhorruerit Pythagoras sanguinem habentibus vesci, cum ex multis multorum scriptorum locis, tum verò ex Nasone in sua Metamorphosi discimus, vbi Pythagoras ea de re loquens introducit. Huc verò pertinet & Porphyrii περὶ ἐμψύχων ἀποχρῆσις liber. Quum igitur in illa vulgari Græcorû quæ apud Gellium sunt interpretatione, ita hi Callimachi versus Latinè reddantur,

*A fabulòque manus tristante amouit edentes,*

*Hoc, vt Pythagoras iusserat, ipse loquor:*

*ego ita,*

*Euitare fabas, nihil auctum sanguine vesci,*

*Quondam vt Pythagoras, sic ego præcipio.*

Interim verò considera quomodo interpres ille (quicumque fuit) illam scripturam ἀναιμον sequutus sit, & ex ea sensum, velut aquam è pumice, elicere sit conatus.

TIMONIS VERSVS EX CONIE-  
CTVRIS EMENDATI, CAP. XVII,  
Lib. III.

TIMONIS versus, quibus caput istud clauditur, mendosi mutilique sunt. Nam ita scriptos cæteræ quoque editiones habent,

Καὶ σὺ Πλάτων. καὶ γὰρ σε μαθητὴν ὁ πόθος ἔχε.

Πολλῶν δ' ἀργυρίων ὀλίγην ἠλλαξας βίβλον.

Οθεν ἀπαρχόμενος γράζειν ἐδιδάχθης.

Nunc videndum est quam opem meæ coniecturæ hisce versibus afferre possint. Ac primùm ista, Καὶ σὺ Πλάτων, minimè suspecta esse (meo quidē iudicio) debent. Existimo enim, quū Timo iste modò hunc modò illum philosophum carperet, ita per apostrophen ad alios quoque sermonem couertisse, vtendo ellipsi. Ad emendationes autem vt veniam, pro μαθητὴν ὁ πόθος ἔχε, scribo, μαθητεύειν πόθος ἔχε.

In secundo versu, ἠλλαξας muto in ἠλλάξασο, non aliam ob causam quàm vt stet versus.

In tertio, pro Οθεν scribo Ενθεν. Quum autem manifestum sit deesse aliquam vocem ante γράζειν, nullum assequi coniectura potui quod aptiorem significationem habeat, & simul implendis huius versus numeris aptius sit, quàm τοιαῦτα. Denique pro tribus illis deprauatis hos integritati suæ restitutos (si δ' ἄσοχοι sunt meæ cōiecturæ) accipito.

Καὶ σὺ Πλάτων. καὶ γὰρ σε μαθητεύειν πόθος ἔχε.

Πολλῶν δ' ἀργυρίων ὀλίγην ἠλλάξασο βίβλον.

Ενθεν ἀπαρχόμενος, τοιαῦτα γράζειν ἐδιδάχθης.

MINI suspecta est elegancia ista qua Plautus dicitur *Verborum Latinorum elegantissimus*. Quid si igitur *elegantissimus* in diligentissimus mutetur? Ita certè ipse Gellius (si memoria me non fallit) de quodam alio loquutus est: & scimus hoc nomen non rarè & à quibusdam aliis, atque adeo à Cicerone, genituo iungi. Aut quid si potius *elegantissimus* in *eligentissimus*, quod scriptura magis vicinum, & ab eodem verbo est, mutetur? Sic certè Cupientissimus, & alia pleraque genituo iuncta reperiuntur. Non ignoro tamen, in quadam Badiana editione, quæ ante quadraginta octo annos prodiit, scriptum esse, *verborum Latinorum conseruator elegantissimus*: sed vereor ne vox ista *conseruator* sit irreptitia: siue ex margine alicuius manuscripti libri, quo vsi fuerint in illa editione, irrepserit, siue audacia alicuius *Ἐπιδορδωτοῦ*, qui illi editioni præerat, illam intruferit.

Animaduertendum est autem, in iis quæ paulo pòst habes, discrepare editionis huius lectionem ab ea quam superiores habent: quum etiam vocabulum quoddam Græcum in illis sit quod hinc abest. Ita enim illæ, *Vt rationem istam missam facias, & autoritates, sonus, qui & φωνία tantum, & positura ipsa verborum satis declarant, id potius ἐμπυλάεια ἢ ἐλέξεων, modulamentis orationis M. Tullij conuenisse. At verò in ista leges, Vt rationem autem istam missam faciamus, & autoritates: sonus tamen & positura ipsa verborum satis decl. &c.* Fortassis autem

Gellius illi nomini *sonus* aliquod adiectiuum adiunxerat: & addiderat, *qui Δεωνία dicitur*. Hoc saltem persuasum habeo, scriptum ab eo fuisse *ε̄ modulamentis*.

QUÆDAM CHRYSIPPI, EMENDATA EX CONIECTURA, NECNON QUÆDAM GELLIANA, Cap. IIII, Lib. XIII.

CHRYSIPPVS vultum Iustitiæ seueris atque venerandis verborum coloribus depinxit, teste Gellio: qui & verba eius affert, quibus magna vis magnūque pondus inest. Sed ista quæ locum illum claudunt, τοῖς μὲν ὡς πρὸς φίλους ὄντος τῆ ποιήτου προσώπου, τοῖς δ' ἑτέροις προσάντους, mendo vel potius mendis cadere dici non possunt. Quocumque enim te vertas, ex illis te verbis nō extricabis, ὡς πρὸς φίλους. at si meam coniectionem sequens, scribas ὡς προσφιλοῦς, statim te inde expedies. Neque enim dubium est quin προσάντους requirat aliquod nomen sibi oppositum: hoc autem fuerit προσφιλοῦς. Verūm & hoc addo, particulam ὡς non videri satis commodè ἀπὸ τῆ κοινῆ ante προσάντους subaudiri, sed esse repetendam. Qua tamen de re non valde laboro.

In Gellianis autem verbis quæ sunt initio capituli, vbi scribit de eodē Chrysiippo, *os et oculos Iustitia, vultūque eius seueris atque venerandis verborum coloribus depinxit*, suspicor deesse totum ante *seueris*. ita enim Gellium scripsisse, *os ε̄ oculos iustitia, vultūque eius totum seueris atque ven. &c.*

In capituli autem fine, quamuis ferri posse non negem, *delicatiores quidam disciplinarum philosophi,*

arbitror tamen à Gellio scriptum potius fuisse, *delicatioꝝ quidam disciplinarum philosophi*. Nam adiectio genitiui huius *disciplinarũ* cum nomine *philosophi*, non solùm est insolens sed etiam omnino superuacanea esse videtur: at si illi substantiuo adiectiuum addatur, tum verò necessariam dicere possumus.

DE HOMERICO VERSV QVI  
LEGITVR CAP. XXVI,  
LIBRI II.

GELLIVS quendam versum Homericum hîc affert, quo tamquam prouerbiali vtitur: sed ita scriptum vt ne suis quidem numeris constet. Scribit enim, *Postquam hac Fronto dixit, tum Faustinus, scientiam rerum uberem verborumque eius elegantiam exosculatus, Absque te, inquit, uno forsitan lingua profecto Græca longè anteisset: sed tu, mi Fronte, quod in versu Homericæ est, id facis,*

Καὶ νίκην ἐπ' ἀρετῆ ἀμνήρινον ἔθηκες.

Atqui Homeri versum ita scriptum apud eum esse scribique debere scimus,

Καὶ νύ κεν ἢ παρέλασεν, ἢ ἀμνήρινον ἔθηκεν.

Quem tamẽ non video quî sermoni isti accommodare possimus, etiamsi tertiam personam vtroque in verbo in secundam mutemus. Ac mihi persuadere non possum (vt dixi in Parodiarum exemplis) Gellium hæc ita scripsisse: quòd verisimile non sit eum voluisse ita versum corrumpere, scribendo ἐπ' ἀρετῆ. Ad vocem autem νίκην quod attinet, stat quidem cum ea versus: sed huiusmodi verbo ille accusatiuus iungi non potest,

vt opinor. Nihil ergo tutius video , quàm si dicamus , Gellium versum Homeri ita scripsisse vt apud eum legitur , nisi quòd tertiam personam in secundam utroque in verbo mutauit : sed vt eum sermoni suo accommodare posset , ratione particulae potentialis *κεν* non habuisse . Obserua autem legi hac in editione , non, *facies* ( vt in aliis ) sed *facis*. Atque hoc quidem magis quàm illud mihi placet : verùm utroque magis placeret *fecisti*. nam optimè cum duobus Græcis verbis quæ sequuntur, conueniret.

VERSVS QVIDAM PROVERBIALIS EX CONIECTVRA CORRECTVS , Lib. XIII, Cap. XVI.

CONIECTVRALEM vocare non debeo fortassis eam emendationem quæ nunc à me auferetur , quamuis ex mea coniectura profecta fuerit . Neque enim dubito quin aliqua extent harum Noctium exemplaria vetera in quibus illa reperiatur . Nulla quidem certè coniectatio maiore niti ratione potest, nec libentius à Græco sermone debet admitti : & tamen incidi in quosdam (quod referre pudet) qui, quum huius plusquam mediocrem cognitionem haberent, quàm necessaria esset illa mea coniecturalis emendatio non animaduertebant . Quum igitur ita scribi solet hic prouerbialis versus,

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος ἢ χείλεος ἄκρου,

& tamen recepta sit hæc eius interpretatio,

*Multa cadunt inter calicem supremâque labra,*

quæro quomodo πέλει tolerari hîc possit , quod aliud quàm SYN T significare nequit : & quid



causæ dici possit quin eius in locū πέται substituatur, quod sonat CADVNT. DT est inusitatū Πέτω. fateor: sed tamen futurum πίσω, (pro quo dicitur πεσῶ more Dorico) tanquam ab hoc themate est. Quinetiam multa ex eo composita scriptores Græcos legentibus nobis occurrunt. Inter quæ insigne est διοπετής siue διιπετής. Quinetiam προπετής & φειπετής, nec non παλιμπετής, ex eo sunt oriunda: quamuis hoc à paucis animaduertatur. Quæ quum ita sint, non est cur scripturam illā, πέται pro πέλει, in dubiū reuocemus. Sed lectorem Græcæ linguæ studiosum monendum obiter censeo, esse etiam quædam composita, iidem omnino syllabis finita, quæ tamē ab hoc πέτω nō sunt, sed à πέτω, vel potius πέτομαι, quod Volo, volas, significat. Ex eorum numero est ὑερπετής, apud Strabonem, libro quinto, προσημύδευον δ' οἱ ἐπιχώριοι, καὶ τοῖς ὄρνθς τοῖς ὑερπετέϊς γινγμύοις, κατὰ πῖπην εἰς τὸ ὕδωρ.

Habet hæc editio in hoc ipso capite, inter Catonis verba, *Verum vero inter offam atque herbam, ibi verò longum interuallum est: quum in aliis sit, Verum inter offam.* quod fortassè ita dicebatur vt *verum enim vero.* quoniā tamē sequitur *verò, ἐπέχα.*

## IN CAP. XXII, LIBRI I.

CONIECTURA mea quodā iam velut præiudicio nititur, de mutando aduerbio *potius* in nomen *potos*, in his quæ ab eo citantur Varronis verbis, *In conuiuio legi nec omnia debent, & ea potissimum quæ simul sint βιωραῖα, & delectent potius:* (ita enim scribendum, aut sunt & delectant) vt, id quoque videatur non defuisse, magis quàm superfuisse. Ita enim quæ huic loco deerant adiecit ista editio,

quum in aliis non plura his legantur, *ut id quoque videatur non superfuisse.* Cæterùm considera ( obsecro ) quomodo hæc cohæreant, & *ea potissimum quæ simul sint βιωρελῆ, & delectent potius.* Illi simul quomodo & *potius*, præsertim quum *potissimum* præcedat, reddi potest? At si *potius* in *potos* mutes, & vocem loco aptissimam repofueris, & bellam his verbis iuncturam dederis: hoc modo, & *ea potissimum quæ simul sint βιωρελῆ, & delectent potos.* Neque verò istud *potos* de iis qui ad ebrietatem vsque se inuitarunt, sed de iis qui honestis quibusdam inuitatiunculis contenti fuerunt, debes intelligere: siue largioribus paulo iucundioribusque vini inuitationibus, ut loquitur ipse Gellius libri decimi quinti capite secundo: ubi etiam addit, de Platonis sententia, modicis honestisque inter bibendum remissionibus refici animos ad instauranda sobrietatis officia, & integrari reddique eos sensim lætiores, atque ad intentiones rursus capiendas fieri habiliores. Adicit verò & alia eodem pertinentia, quæ longè absunt ab ebrietatis laudatione: quam tamen malè quidam hoc capite contineri dicunt: quibus & ipsi librorum indices assentiuntur. Illud igitur *Potos*, quod pro *Potius* substituo, ita intelligendum esse dico.

Sciendum est porro, idem omnino mendum & Plautinum quendam locum inuasisse. ideoque ad similem eius ex coniectura emendationem respiciens, hanc quodam velut præiudicio nixam dixi accedere. Ignotus autem ille Plauti locus non fuerit ei qui meam de Plauti Latinitate dissertationem legerit, quæ subiuncta est libro

Qui inscriptus à me fuit, *De Latinitate falso suspecta expostulatio*. In illa enim dissertatione, ostendere volens multa menda apud illum ex ignoratione prisca sermonis prouenisse: interdum quidem, quòd vocabula planè incognita essent, ideòque suspecta: interdù verò quòd declinatio seu coniugatio, aut constructio, insolens esset: atero, in exemplum huius tertiæ mendorum causæ, hunc Amphitruonis locum,

*Ibo intrò, ornatum capiam qui potius decet.*

quum scribi oporteat, *qui potius decet*. Sed putarunt aliter dici non posse quàm *potos decet*: ignorantes, Latinos suo verbo *Decet* interdum Græci *οπέπτε*, cui significatione respondet, etiam constructionem dedisse. Sed tamen apud eundem quidam loci calamum correctorum effugerunt: ex quibus est hic,

*Istuc facinus quod tu insimulas, nostro generi non decet.*

Terentius quoque, & post eum Cicero, constructionem hanc non refugit. Verùm instar multorum exemplorum esse illud debet, in quo etiam eandem quam hîc deprauationem habemus.

Hoc porro isti annotationi libet ἐπιμαρτυρῆσαι, Gellium, tamquàm iitius Varroniani de cõuiuialibus sermonibus præcepti memorem, eique obsequi volentem, scripssisse libri decimi quinti capite secundo, *Is in conuiuuiis iuuenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus lunæ solenne nobis fuit, simulatque modus epulis factus, & utiles delectabilésque sermones cœperant, tum, silentio ad audiendum petito, loqui cœptabat*. Obserua enim eum suis etiam & suorum

fermonibus vtilitatem pariter & delectationem tribuere. Eadem verò laus & iis carminibus danda est, quæ *κόλια* vocabant, in conuiujs cani solitis: vt vel ex Athenæo discere possumus.

Enimvero mihi venit in mentem, illius Varroniani præcepti mentionem à Gellio alibi quoque esse factam: capite videlicet vndecimo libri decimitertii, *Sermones igitur (inquit) habendos censes non super rebus anxiiis aut tortuosis, sed incundos atque inuitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate vtilis.* Et veniens ad ipsa Varronis verba, hæc inter cætera refert, *Et in conuiuio legi non omnia debent, sed ea potissimum quæ simul sint εὐωρελῆ, & delectet.* Tantū verò abest vt hic locus mihi aduersetur, vt etiā pro me faciat. Nā ab eo abesse videmus illud *potius*. Quòd autē post *delectent* nō habemus *potos*, minimè mirari debemus, quū sciamus sæpe vltimum loci alicuius citati vocabulum desiderari, præsertim vbi absque illo sensus tamen aliquis loco subest. Sic certè videmus & ista hīc omitti quæ altero in loco posita sunt, vt id quoque videatur nō defuisse, magis quàm supersuisse.

EMENDATVS EX CONIE-  
CTVRA LOCVS CAPITIS XVII,  
LIB. X.

POST QVAM dixit Gellius Democritū philosophum oculis se priuasse: quoniam sibi persuadebat fore vt cogitationes suæ in contemplandis naturæ rationibus vegetiores & exactiores essent, si eas videndi illecebris & oculorum impedimentis liberasset: addit, *Id factū eius,*

modumque ipsum quo cecitatem facile solerita subtilissima conciuir, Laberius poeta, in mimo quem inscripse Restionem, versibus quidem satis mundè atque graphice factis descripsit: sed causam voluntaria cecitatis struxit aliam: vertitque in eam rem quam tum agebat, non inconcinniter. Sequitur ea pars in qua vocem illā deprauatam in superioribus editionibus habemus, Est enim persona qua hoc apud Laberium dicit, diuitis, auari & parci, sumtum plurimum ἀωτιάντῃ & propinationem ἀδολεσκέτις filij deplorantis. In superioribus editionibus, dixi: quoniam in ea quæ nunc prodit, legitur, sumtum plurimum ἀσotiάντῃ ἀδολεσκέτις viri deplorantis: ommissa altera illa voce propinationem, quòd in vet. nonnullis exempl. non extet: & mutato genitiuo filij, in genitium viri. De qua mutatione postea dicam. Nunc autè illum alterum accusatiuum seruandum potius fuisse dico, sed corrigi debere, & litera vna ablata in popinationem verti.

Ad illum autem genitium quod attinet, filij (de quo dicturum me promisi) mutatum in viri, ego hîc alia vetera exemplaria illis quæ viri habent opposuerim: ex quibus est mecum, quod primū inter ἀχιβέστατα locum meretur: sed (quod valde dolendum est) multæ multis in locis paginæ ei desunt. Neque verò dici hoc Latinè potest nisi Græcorum imitatione, qui suum ἀῦδρα non aliis solùm multis nominibus sed & quibusdam eorum iungunt quæ ætatem significant: præsertimque poetæ. Neque enim solùm ἀῦδρα γέγοντα dicunt, sed etiā ἀῦδρα νέον. Verùm ἀῦδρα νεανίαν seu ἀῦδρα νεανίον, non memini me legere.

Cæterum in iis quæ paulo ante hunc locum

leguntur, consultò scripsi *conciuit*, non *consciuit*: quòd ita scribi debere existimè. Eodémque modo, pag. 348, *necem sibi gladio manu sua conciuit*: non *consciuit*: vt tamen scribi videmus passim, non apud hunc autorem solùm, verùm & apud ceteros, vbicunque hoc loquendi genus occurrit. Nam vt *scire* est εἶδέναι, ita *Conscire* est σωηδέναι, & quidem huius exemplo factum: (sicut & *Conscientia*, exemplo Gæci nominis σωηδής, quod elegantius τὸ σωηδὲς dicitur: sed ita vt Latini participio participium hoc imitari & repræsentare non possint.) Ergo Horatianū illud, *Nil cōscire*, est ἄδέν σωηδέναι ἑαυτῶ: & *Conscire* sibi necem alicuius, σωηδέναι ἑαυτῶ τὸν φόνον τινός: at verò qui sibi manus affert, cur itidem conscire sibi mortem dicetur? At *Concire* minimè ratione caret: vt vel ex eius germano *Accire* apparet. Facio autè præter morem meū, quòd de iis quæ ad orthographiam pertinent disputo: sed miror, homines, qui omnes orthographiæ νεωπερισμοὺς conquirunt, etiam in iis quæ siue hoc siue illo modo scribas, eundem vsum eandémque significationem habent, de iis non cogitare quæ contrà sine significationis mutatione ideòque magno errore vsitatam retinere scripturam non possunt.

EMENDATIONES CONIECTV-  
RALES DVORVM LOCORVM,  
Cap. IX. Libri IX: & Cap.  
vlt. Libri vlt.

SCRIBIT Gellius initio capitis noni libri itidem noni, aliorum etiam iudicium sequens,

quando ex poematis Græcis vertendæ sunt insignes sententiæ, non semper cõitendum esse vt omnia omnino verba in eum in quem dicta sunt modum vertamus. Pleaque enim gratiam perdere, si, quasi inuita & recusantia, violentius transferantur. Sed adiungitur illi *vertendæ* & aliud vocabulum, in hac quidem editione, *imitandæ*, in aliis autem *mutandæ*. Nã in hac legitur, *Quando ex poematis Græcis vertendæ imitandæque sunt insignes sententiæ*, at in aliis, *vertendæ mutandæque sunt*. Ego autem, si quidem *mutandæ* retineatur, particulam *que* itidem retinendam censeo: at si malimus *imitandæ*, vuculam *ve* eius in locum reponendam dico. Cur enim coniungantur quæ diuersa sũnt? Atque adeo de Virgilio loquitur, tãquam partim interprete, partim imitatore, dicens, eum, scitè & consideratè, quum aut Homeri, aut Hesiodi, aut Apollonij aut Parthenij, aut Callimachi, aut Theocriti, aut quorumdã aliorũ locos effingeret, quẽdã reliquisse, alia expressisse.

Contrà vero cap. vltimo libri vltimi, disiuñctiuam particulam in copulatiuam mutandam censeo, pag. 541, nam quum ibi scriptum sit, *Quibus in legendis antè animus senio aut tadio languebit, quàm vnum alterũve repererit, quod sit aut voluptati, legere: aut cultui, legisse: aut vsui, meminisse*. Hic enim scribendum aĩo *senio ac tadio*, vel *senio atque tadio*. vt hæc duo posita sint ἐν τῷ ἑκκατῷ: vsurpando *senium ἀρχαϊκῶς*. nam ita Plautus non rarò vtitur.

DE QVODAM LOCO CAP.

VIII, LIB. II.

IN FINE huius capituli scribere malim,

*nam id quoque non imperitia factum quis non videt?* Magis enim hæc scriptura conueniet cum iis quæ dixit, quàm altera: quoniam potest quis dici aliquid imperitè fecisse, (si accipiamus pro eò quod dicitur Imperitorum more) qui tamè imperitia non fecerit. Atque adeo paulo ante dixit de eodem, *non inscitia videtur partem illam syllogismi prætermisisse*, Neque tamen & illam lectionem ferri posse negauerim, modò alio quàm quo dixi modo exponatur.

Cæterùm illud *cuiusmodi*, quod ista editio habet, ubi scribit Gellius, *sed Epicurus, cuiusmodi homo est, non inscitia videtur partem illam syllogismi prætermisisse*: id ex vetustis affert libris: quum in aliis editionibus scriptum sit, *cuiusmodi homo est*. Nec aliter Herodes Atticus, pag. 227, *Demus huius aliquid aris, cuiusmodi est: tamquam homines, non tamquam homini*. At pagina 308, *Ea res cui modi sit, ad considerandum ponemus*.

## DE QUIBUSDAM GRÆCIS VERBIS CAP. VII, LIB. II.

IN HVIUS itidem capituli fine quiddam est mihi suspectum: istud videlicet, *Neque ὅτις νόμιμον δεξὶς ἀγαθόν* *videri potest*. Haud enim νόμιμον ἡ̄ esse iul stitium potest: quum autem sit adiectiuum, sicut & ὅτις, particula connexiua interiiciatur necesse est. Neque enim Græci hæc adiectiua sine illa copula coniungunt, vt opinor: sicut Latinos nonnulla coniungere videmus, veluti quum Purum putum dicunt, item Suum proprium. Quorum posterius etiã apud



hunc ipsum scriptorem extat: qui & totam integram dicere non dubitavit, libri duodecimi capite primo, *Oro te, inquit, mulier, sine eam, totam integrã esse matrem filii sui.* Sic enim & superioris tēporis editiones habent.

VERBUM ANTIQVVM MUTVITARE, EX CONIECTVRA REPOSITUM pro Mutitare, Cap. XXIII, Lib. II.

SCRIBIT Gellius initio huius capituli, parsi-  
moniam apud veteres Romanos, & victus atque  
cœnarum tenuitatem non domestica solum ob-  
servatione ac disciplina, sed publica quoque ani-  
maduersione legumque complurium sanctioni-  
bus custoditam esse. Quibus subiungit, *Legi adeo nu-  
per in Capitonis Atei coniectaneis (in aliis, collectaneis)  
senatus decretum vetus, C. Fannio & M. Valerio Messa-  
la C O S S. factum, in quo iubentur principes ciuitatis,  
qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, id est,  
mutua inter sese conuiuia agitarent, iurare apud C O S S.  
verbis conceptis, non amplius in singulas cœnas sumptus  
esse facturos quàm centenos vicensque aris, præter olus  
far & vinum.*

At ego non video quomodo *Mutitare* dixe-  
rint, pro eo quod est *Mutua* inter sese conuiuia  
agitare, ac non potius *Mutuitare*: præsertim quum  
*Mutitare* speciè potius præ se ferat verbi à nomi-  
ne *Mutus* deriuati. Minimè igitur cōiectura mea  
illic *mutuitarent* scribere dubitat.

Libri autem vltimi capite primo, vbi legimus,  
*Hanc autem fidem maiores nostri non modò in officiorio  
vicibus sed in negotiorum quoque contractibus sanxe-*

runt, maximèque in pecuniâ mutuatîca vsus & commercio, magis placeret mutuatitia.

DE QVODAM Loco CAPITIS XX, LIB. II.

MIRVM videri possit quod in huius capituli fine legimus à Gellio annotari, verbum *μελισσῶνες*, quo Varro vsus sit, Græcum esse. Quis hoc ignorat? si nemo ignoat, cur dignum visum est de quo lectores admonerentur? Sed totum locum consideremus, quem alioqui multo emendatiorem hæc editio exhibet. Ita igitur in præcedentibus, *M. autem Varro de re rustica III, μελισσῶνες, ut ἀμπελῶνες & σαρνῶνες, inquit, ita facere oportet. quæ quidam mellaria appellant. Sed hoc verbum quo Varro vsus est, Græcum est. nam μελισσῶνες ita dicuntur.* Ita inquam editiones quæ hanc præcesserunt, multum certè negotii hoc in loco lectoribus exhibentes. Vide igitur quomodo illa verba, ut *ἀμπελῶνες & σαρνῶνες*, sua sede mota in illis fuerint: atque ut illum Varronis locum turbabant, ita vicissim ab eo aberant cui necessaria erant. nam illis caput claudi oportebat: ut factum esse vides hac in editione. Ita enim hæc in ea leguntur, *M. autem Varro de re rustica tertio, μελισσῶνες, inquit, ita facere oportet, quæ quidam mellaria appellant. Sed hoc verbum, quo Varro vsus est, Græcum est. nam μελισσῶνες ita dicuntur ut ἀμπελῶνες & σαρνῶνες.* Sed quod mirum videri dixi, nihilominus tale manet. quid enim opus erat lectores de re omnibus nota monere? Neque tamen vocem Græcum pro alia positam suspicari possumus,

mus, propter illa quæ subiunguntur. Hoc saltem dicendum est à Varrone fuisse Latinis literis scriptum, non Græcis: & Gelliū intellexisse, quamuis Latinis scriptum literis esset, non esse ex iis quæ iam vsus Latina non minus quàm Græca fecisset. At si Græcè scripisset, *μελιωδῶνας* non *μελιωδῶνες* dixisset.

DE QVODAM LOCO CAPI-  
TIS XXIII, LIB. II.

GELLIUM talē vsum particulæ *Quin* dare voluisse nō puto, vt ita scripserit, *Atqui quum legimus eas, nihil sanè displicent, quin lepidè quoque & venustè scripta videantur, prorsus vt melius posse fieri nihil censeas.* Scimus varios hęc particulā (cuius & ipse Gellius mentionem facit) vsus habere: sed talis exemplū extare in tota Latinitate non credo. Quamobrem lego, *Atqui quum legimus eas, nihil sanè displicent: quin lepidè quoque & venustè scripta videntur.*

LOCVS EX CONIECTVRA  
EMENDATVS, LIB. III,  
CAP. XLII.

Hoc in loco, *Atque is (inquit) Demosthenes, domo egressus, vt ei mos erat, quum ad Platonem pergeret, complurèsque populos concurrentes videret: percunctatur eius rei causam, cognoscitque currere eos auditum Callistratum. Is Callistratus Athenis orator in republ. fuit: hoc, inquā, in loco suspecta mihi sunt ista verba, complurèsque populos concurrentes videret. Quomodo*

enim in vna eadémque ciuitate complures populi esse dicantur? nam etiam si complures è diuersis populis ac gentibus in vnam eandémque ciuitatem conuenerint, non tamen, vt opinor, ea multos habere populos dicenda est. Esto igitur, (quod tamen mihi non fit verifimile) magnam hominum multitudinem tota è Græcia ad audiendum Callistratum, sicut ad audiendos celeberrimos illos antagonistas, Demosthenem & Æschinem, Athenas cõfluxisse: minimè tamè ita loqui licuit, meo quidem iudicio. Quomodo igitur locus hic parua cum mutatione emendari poterit? Scribendo, *complurésque è populo concurrentes videret.*

Suspectus alicui fuerit fortassis & hic locus, *Is Callistratus Athenis orator in republ. fuit. illi δῆμαγωγούς appellat.* Dubitari enim potest an omnes absque vllò discrimine qui Athenis in republ. oratores essent, δῆμαγωγούς vocarentur. Ideoque videndum an suspicari saltem liceat, scriptũ à Gellio fuisse, *Is Callistratus Athenis orator in republ. fuit, ex iis quos illi δῆμαγωγούς appellat.* At verò perperam in huius capituli epigraphæ, seu indice, rhotorem vocari eum qui orator, & quidem δῆμαγωγός esset, perinde ac si quis imperatorem quempiam tironem vocaret, & Demostheni quoque alibi hunc titulum ineptè (meo quidem iudicio) tribui, do cui in præcedentibus.

## DE QVIBVSDAM LOCIS CAPITULI. XVII, LIB. XIII.

TITVLVS hic tragædiæ Sophoclis non dubito quin sit mendosus: at verò titulus φιλοκλή-

της, quæ aliæ editiones habent, mendo quidē caret, verum, si in hac tragœdia versus ille non legitur (vt legi non puto) aliū titulū à Gellio scriptū fuisse existimādum erit. Quis autē ille sit, veteres qui omnibus huius poetæ tragœdiis fruebantur, facilè dixissent : nobis difficile est quod illis hac in re facillimum fuit. Hoc tantum affirmare possum, vidisse me inter nomina comœdiarum Sophoclis quoddam ei quod ista editio habet persimile. Est autem credibile, quosdā *ῥαδιορ-  
δωτὰς* scripturam tituli sibi incogniti in eam mutasse quam titulus sibi cognitus haberet, & quæ ad illam proximè accederet. At verò apud Euripidem in Bacchis, nudiustertius etiam, eū de quo nunc agitur versus legi.

Versus autē Æschyli qui subiungitur, necnon Euripideus, (vt taceam de duobus quæ præcedunt crassioribus mendis) facilè potest emendari. Æschyleus ita,

*Σιγῶν δ' ὅπου δεῖ καὶ λέγων τὰ κείρια.*

Euripideus autem hoc modo,

*Σιγῶν δ' ὅπου δεῖ καὶ λέγειν τὸ ἀσφαλές.*

## CORRECTA QVÆDAM IN CAP. XV, LIBRI V.

VERBA hæc, *ἔχ' ἀπλῶς πληγὴν ἀέρος ὅσιν ἢ φωνή.* πλήθει γὰρ τὸν ἀέρα καὶ δάκτυλος *ῥαδιορ-  
δωτὰς*, &c. hæc inquā verba, & quæ sequuntur, in vulgari interpretatione ita redduntur, Non simpliciter plaga aeris, vox est. nam digitus contractus quoque aerem percutit, non ita tamen vocem facit. sed quanta plaga & vehemens, & tanta vt audibilis

fiat. Sed non mirum est interpretem hunc (quicumque fuit) in iis quæ mendosa sunt labi, quum idē illi in iis etiā quæ omni mēdo carent cōtingere videamus. Hic certè *ῥειαζόμενος* pro *παραζόμενος*, & *ποση* pro *πόση* scribendū esse arbitror: vel potius illud quidē arbitror, hoc autē affirmare etiam audeo. Dicitur autem *δάκτυλος ῥειαζόμενος*, digitus qui circa quidpiam ducitur. at verò *ἡ ποση πληγή*, erit percussio (nam *πληγή* in hoc loco & aliis huiusmodi ita potius reddi debet quàm plaga) certam quādam habens quantitatem.

QVÆDAM EX CONIECTURA  
EMENDATA, ET NONNVL-  
la exposita, in Cap. v, Libri XII.

IN illa Tauri philosophi dissertatione miror tādiu tolerata fuisse duo ista vocabula, *ἁποπροηγόμενα* & *ἄποπροηγόμενα*, quæ quum tamquā Stoicis (& Zenoni nominatim) vsitata afferantur, à nullo tamen eorum, si rediuiui locum hunc legerent, intelligerentur. Repetā paulo altius, *Neque aliud esse verè & simpliciter bonū, nisi honestum: aliud quidquam malum, nisi quod turpe esset, existimatum est. Reliqua omnia quæ in medio forent, ac neque honesta essent, neque turpia, neque bona esse neque mala decretum est. Productiones tamen & relationes, suis quæque momentis distinctæ diuisæque sunt, quæ ἁποπροηγόμενα καὶ ἄποπροηγόμενα ipsi vocant. Propterea voluptas quoque & dolor, quod ad finem ipsum bene beatæque viuendi pertinet, & in mediis relictæ & neque in bonis neque in malis iudicata sunt.* Placuit totum locum afferre,

vt iudicium de hac emendatione possit ferri, non interrupta, Gellij ad eundem gratia, huius timentis lectione. Quum igitur *προηγμένα* & *ἀποπροηγμένα* reponenda esse dicam in locum horum, *προηγμένα* & *ἀποπροηγμένα*, consideres inter alia velim vocabulum illud *productiones*: quum Cicero itidem *προηγμένον* *productum* interprete- tur, non minus quam *promotum*. Ita enim Cicero De fin. libro tertio, *Itémque hinc esse illud exortum quod Zeno προηγμένον*, contraque quod *ἀποπροηγμένον* nominauit, quum uteretur in lingua copiosa factis tamen nominibus ac nouis. quod nobis in hac inopi lingua non conceditur: quamquam tu hanc copiosorem etiam dicere soles. sed non alienum est, quo facilius vis verbi intelligatur, rationem huius verbi faciendi Zenonis exponere. Atque his ista addit quæ ex ipso Zenone ita videtur sumpsisse, vt eius non tantum sententiam sed verba etiam expresserit. vt enim, inquit, *nemo dicit in regia, regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem (id enim est προηγμένον) sed eos qui in aliquo honore sint, quorum ordo proximè accedit vt secundus sit ad regium principatū: sic in vita, non ea quæ primario loco sunt, sed ea quæ secundum locum obtinent, προηγμένα, id est producta, nominentur. Neque tamen hac interpretatione, quæ verbum verbo reddit, est contentus, sed alias quoque affert. Addit enim illis ista, Quæ vel ita appellemus (id erit verbū è verbo) vel promotā: velut illa, remota. Vel (vt dudū: diximus) præposita, vel præcipua: & illa, reiecta. Re enim intellecta, in verborum usu faciles esse debemus. Quoniam autem omne quod est bonum, primum locum tenere dicimus, necesse est nec bonum esse nec malum hoc quod præpositum vel præcipuum nominamus.* Vbi ob-

feruã etiam, ista postrema cum Gellianis conuenire.

Quod quum ita sit, vndenam fit vt apud ipsum Gellium *productiones* quidem legamus, sicut apud Ciceronem *producta*, sed ei *relationes* opponi videamus? Ego aliud quod respondeam non habeo, nisi suspectum mihi esse illud vocabulum *relationes*: nec tantum suspectum esse, sed omnino pro mendoso haberi. Quid igitur eius in locum substituetur? Non errabit (meo quidem iudicio) qui *remotiones* substituet: aut *reiectiones*: quum Ciceronẽ ἀποπροηγμένα & remota & reiecta interpretantem audiamus. Neque verò est quod quis miretur, in Latina interpretatione duo contraria non poni quæ ab eadẽ sunt origine, vt sunt Græca, προσημένα & ἀποπροηγμένα. Nã ne ipse quidem Cicero illi *producta* aliud reddit participiũ quod ab eodem primitiuo verbo sit oriundum. Neque verò est cur aliquis illud *productiones* in *promotiones* mutandum putet, vt quod dixi queat effici. neque enim semper hoc, in huiusmodi præsertim locis, obseruatur.

Verum, quocumque hæc exponẽda modo sint, hoc saltem constat, ipsissima esse Zenonis verba, & aliorum qui eum magistrum habuerunt Stoicorum, non autem illa, προηγμένα & ἀποπροηγμένα. Nam & Chrysippus apud Lucianũ, ἐν βίῳν πρᾶσι, dicit ei qui ipsum emere volebat, ἐμαρτυροῦμαι ὅτι τῶν τοιούτων τὰ μὲν ὄντι προηγμένα, τὰ δ' ἔμπαλιν, ἀποπροσημένα;

SED libet & de illis verbis, τὰ πρῶτα κτ' εἶναι, non magno interuallo præcedunt, te moneant. præsertim in illa vulgari interpretatione red-



dita esse, *primigenia*. quum sonent, *Qua prima sunt secundum naturam*. sed ita ut prima hinc intelligere debeamus ea quæ sunt Potissima, siue Præcipua. Hoc autem bene à Tauro exprimitur, dicente, naturam existimasse hoc esse fundamentum conseruandæ hominum perpetuitatis, si vnusquisque nostrum, simulatque editus in lucem foret, carum prius rerum sensum affectionemque caperet quas veteres philosophi τὰ πρῶτα καὶ φύσιν appellarunt, ut omnibus scilicet corporis sui commodis gauderet, ab incommodis omnibus abhorreret. Sed quid volumus amplius? ipse Chrysippus apud Lucianum, interrogatus quid sit factururus, πρὸς τὸ ἀκρότατον τῆς ἀρετῆς ἀφικόμενος, id est, postquam ad summum virtutis peruenerit: respondet, πρὸς τὰ πρῶτα καὶ φύσιν καταγνήσομαι. λέγω δὲ, πλοῦτον, ὑγίαν, καὶ τὰ τοιαῦτα. Id est, Versabor circa ea quæ prima sunt secundum naturam. intelligo autem, diuitias, sanitatem, & alia huiusmodi. Atque his ipsis verbis usum esse Chrysippum, πρὸς τὰ πρῶτα καὶ φύσιν καταγίνεσθαι, aliunde etiam constat: verum an ille diuitias, non minus quàm sanitatem, hoc in numero posuerit, an Gellius aliquid ei affingere voluerit, dubitari posse non inficior.

LOCI ALIQVOT EX CONIECTVRA CORRECTI LIBRI  
VLTIMI CAP. VLT.

PLERAQVE habet caput istud quæ meas aures offendunt (ad sermonem quod attinet) & non suspecta esse non possunt. Eorum nonnulla indicabo, & emendare etiam conabor. Incipiam

autem ab hoc loco, *Facta est igitur in his quoque cōmentariis eadē rerū disparilitas quæ fuit in illis annotationibus pristinis: quas breuiter et indigestè & incōditè, annotationibus, tractationibus lectionibusq; variis feceramus.* Nō placet hæc repetitio datiui annotationibus, nec Gelliana esse mihi videtur. In priore quidem certè loco minimè suspectum illum habeo: quoniã conuenit cū iis quæ modò dixerat, *Nam proinde ut librum quēque (aut quemquam) in manus ceperam, seu Græcum, seu Latinum, vel quid memoratiuum dignum audieram, ita, quæ libitum erat, cuius generis cumque erant, indistinctè atque promiscuè annotabam:* verùm in posteriore quid sibi vult ista repetitio? nonne videmus, cum generali annotationum appellatione vsus, trium deinde quæ harum velut materia fuerant mentionem facere? Atqui, si annotationes hoc in numero fuerunt, annotationes fuisse annotationum materiam dicemus. In hoc tam absurdum ne incidamus *annotationibus in obseruationibus* muto. Viderit tamen lector an aliud aptius excogitare possit, quod iisdem illis quinque syllabis terminetur. Hoc autè propterea dico, quòd verissimile sit librarium illam præcedentem vocem annotationibus hîc malè repetiuisse, & in locum alius quæ iisdem saltem syllabis finiebatur coniecisse. Nam hac quoque in re peccare librariorum fuisse solitos, in meo De mendorum origine libro docui.

Suspecta mihi sunt & ista verba, *Est qui memoriales titulos fecerit*: quæ nonnulli ita intelligunt, ut is cuius mentionem facit, dicatur suum librū inscripserit **MEMORIALES TITVLI**. Atqui, si ita intelligamus, quid verbo *fecerit* facie-

mus? nisi aut cum illo nomē Titulum vel deesse vel subaudiri putemus, aut certè pro Inscripturæ accipi posse existimemus. Atqui hoc absurdū esse aio. si qui autem vocem Titulum vel deesse vel subaudiri dicant, & horum alterum credendum sit, potius deesse crediderim. Sed cur non mea hæc coniectura, est qui MEMORIALIA titulum fecerit, potius admittatur?

Paulo pòst autem malim *ῥαφῶ* quàm *συγγραφῶ*. Scimus enim *συῖ ῥαφῶ*, præsertim quum sine adiectione ponitur, esse historicorum: quod & librorum Thucydidis inscriptio testatur. Atque adeo appellationem *συῖ ῥαφέως* ad historicū itidem restringi videmus. At verò *ῥαφῶ* satis apta, meo quidem iudicio, metaphora potuit aliquis suos libros, qui diuersis argumentis velut variegati essent, inscribere: & persimili ei qua vsus est qui *Pratum* inscripsit. quod perinde est ac si aliquis Anthologiam vocet. Obseruandum est autem, quorūdam alioqui librorum mentionem à Gellio fieri quibus tales tituli minimè cōuenire potuissent. Nam qui suis in libris, (exempli gratia) de disciplina regia & de philosophia & de natura humana agebat, & quidem hunc eis titulum tribuebat, *Pratum* aut *ῥαφῶ* itidem haud aptè inscripsisset. Alioqui *ῥαφῶ* alia etiā significare scio, vulgarémque eius significatum esse quum de scriptione dicitur: sed qui nihil adiciebat, *συῖ ῥαφῶ* dicere malebat, aut certè (quoniam historici suæ scriptioni illud vocabulum quodammodo attribuebant, vti dixi) *συῖ ῥαμμα*, quantum quidem me obseruare memini. Cæterum perperam hac in editione, sicut in reli-

quis, legi hoc loco, *est qui scripsit*, verbo *scripsit* occupante sedem *τὸ* *inscripsit*, antea monui. L'acilis autem fuit librariæ particulæ *in* ommissio, præcedente voce quæ eadem litera finitur à qua hæc incipit. Sic autem *scribit*, perperam pro *inscribit*, initio capitis primi libri primi.

Verùm & de titulo qui hanc proximè præcedit, dicendum aliquid videtur. hæc enim verba præcedunt, *est item qui ἐπιπίδων*, vt quidem hac in editione scriptum est: quum in aliis sit *ἐπιπίείδων*. Vt autem hanc scripturam ferri non posse dico, ita cur alteram repudiemus, nihil esse causæ aio. Legimus enim & apud Plinium hanc inscriptionem: in Præfatione, vbi scribit,

*Quid singulis contineatur libris, huic epistola subiunxi: summâque cura, ne legendos eos haberes, operam dedi. Tu per hoc & alius præstabis ne perlegant: sed, ut quisque desiderabit aliquid, id tantum quaerat, & sciat quo loco inueniat. Hoc ante me fecit in literis nostris Valerius Soranus, in libris quos ἐπιπίδων inscripsit.* Scimus porro à nomine *ἐπίπις* derivari *ἐπίπις*, *ἐπίπιδος*: sicut à *δραστής* deductum est *δραστής*. Præter generalem autem inspectorum significationem, & eam etiam qua vocabulum istud de iis dicitur qui aliquid ita inspiciunt vt censura notare velint siquid rite factum non fuerit, videntur ita etiam appellati fuisse ii qui *μύσαι* initio dicebantur, (quum videlicet primùm *παρελάμβανον τὰ μυσήρια*) quoniam sacrorum ritus occultiores illis intueri licebat: vel quòd inspicerent & curarent vt ritè peragerentur: quæ admodum in meo Græcæ linguæ Thesauro dixi. Ibidem verò annotatum à me fuit, Valeriū

Soranum libros quosdam suos ἐπόμιδας nominasse, qui de grammatica (vt Turnebus se arbitrari dicit) scripti erant: tanquam à mysteriis literarum & doctrinæ: quia initiati, primùm μύσας vocabantur, post annum ἐπόμιαι, quòd ad inspicienda sacra occulta admitterentur: aut certè ob quam modò attuli rationem. Optime autem conuenit cum ista appellationis ἐπομιδων expositione quod apud eundem Plinium legimus, hunc Valerium, qui libros suos ita inscripsit, pœnas luisse quòd occultum vrbis Romæ nomen enuntiaffet. Libris enim talibus aut certè talium librorum scriptoribus horù secretorum enuntiatio conuenit.

Non multo pòst, vbi legitur, *Nos verò vt coeptus noster est*, in margine mei exemplaris scripseram *captus*: sed quum de ea quoque emendatione admonere vellem, animaduerti in hac editione ita legi, quum altera illa scriptura aliis omnibus in editionibus (quæ quidem in manus meas venerunt) inueniatur. Occasionem autem coniecturæ meæ præbuerat vsus quem hoc vocabulum habet cū apud alios, tum verò apud hunc ipsum, libri primi capite nono, *Quin & tempus certum statuebat vt tacerent: non omnes idem, sed aliud aliis tempus, pro aestimato captu solertia*. Vbi editio hæc habet, *non omnes in idem, item pro existimato captu solertia*: sed vtrobique non minus mihi placet aliarum editionum scriptura.

Paucis interiectis, vbi habes, *Namque illi omnes, & eorum maximè Græci, multa & varia lectitantes, in quas res cumque inciderent, alba, vt dicitur, linea, sine cura discriminis, solam copiam sectati, conuer-*

264 HENR. STEPHANI  
*rebant: hîc, inquam, caue ne eas editiones sequaris in quibus conuerrebant in conuertebant mutatum fuit, atque hîc obiter loci cuiusdã. Lucæ euangelistæ recordare, in quo quum itidem perperam scriptum esset domum euertit pro euerrit, huius tamen loci emendatio, quasi quædam nimirum audax nouatio, mouendarum tragœdiarum causa hominibus Græce linguæ ignaris fuit.*

De hoc autem qui proximè sequitur loco, antea admonuit de hoc inquam, *quibus in legendis antè animus senio aut tadio languebit.*

Quod verò hîc imperfectum relictum est Heracliti Ephesii dictum, in aliis editionibus integrum est, hoc modo, **INTROITE. NAM ET HIC DII SUNT.** & existimatur hæc cuidam dixisse, quem domum suam vocabat: perinde ac si dignum se quoque significaret qui inuiferetur. Crediderim autem, Heraclitum, quum hoc diceret, ad sacella aut aras respexisse in quibus cõtrà scriptum erat, **A Γ Ν Ω Σ Τ Ω Θ Ε Ω.** cuius epigraphes seu programmatis non in sacris tantum literis, sed etiam apud duos profanos scriptores fit mentio. Ad eiusmodi (inquam) sacella respexisse Heraclitum puto: quoniã quæ ignoto deo sacrata sunt, nulli sacrata esse videri queunt. Sed hæc tamen tanquam ex coniectura tantum proficiscentia, lectori propono.

Circa initium paginæ sequentis, hac in editione habes, *quæque erunt item pauca remotiora super augurio iure & pontificio: quum scriptum sit in aliis, super augurio & iure pontificio.* fortasse autem scriptum à Gellio fuit, *super augurum iure & pontificio.* Nisi fortè *augurali iure* scripisse credendum

potius est.

In eadem pagina, vbi habes, *an minuta iste admonitiones pauillula nequaquam tamen sint vel ad alendum studium inhonesta*, in quibusdã editionibus scriptum est contrarium *honesta*. quod nullo tolerari modo potest: in quibusdam verò legitur *inepta*, quod non minus mihi placet.

Paulo pòst, vbi scriptum est, *delectatior motio*, suspecta est vtraque vox: & pro illa quidem voce *motio* quin substituenda sit *notio*, mihi dubium minimè est: at verò pro *delectatior* substitui debere *delicatior* nescio an auctor dixerit.









suivante est bien recollée de l'ère qui te a si  
bon travail.

p. 495. naiss et se fit un grand tort par une dit pite  
qu'il est de jemie de a Rome carter nos autres  
sophiste nommé Polémon car furey fons  
1. voir patragi dant le ju gend et dand d'effim  
qu'on de fdriz et p'hauffeur d'un carter


ind. p. p.  
1022.  
journ. d. s. c.  
v. p. 245.  
gall. d. a. c.  
28. p. 97

Lautae d'une maniere qui les se hauffeur  
Blancs tout dore on marque qu'il d'apuroir  
à une plutaïque a qui fdriz p'but d'olives  
et d'herivine de plutaïque luy a d'adit' en  
de ses ouvrages.

l'auvin fisible accois veu jufq' apert le  
Carpulot de fonal aprouto l'ost adine jufq' bien  
aucun tout le Royne d'Antonin.)

quel p'rog' all' in grotle d'un d'ermote d'atlexandrie qui  
de d. p. 485 de p'ple d' l'axosin qui s'tant fonné par d'ort  
de le style de son maître parois l'ou d'ort j'ont  
publiquement sur les faitte qu'on d'uy p'ap' d'ort  
il d'ort a Rome veld d'ort 68.





1870  
1871  
1872  
1873  
1874  
1875  
1876  
1877  
1878  
1879  
1880

---

1. +

11

